322239/C.

A.XXXI Lan

L'Ant. Amcan
Lugano
1550 fr. 3 vols
April /28

1/.

654 pp (656) ch. er.

1/.

Coll. J. G.

Derbiani

51259

JOSEPHI LANZONI,

FERRARIENSIS

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS

IN PATRIA UNIVERSITATE LECTORIS PRIMARII,

S. R. I. Academiæ Cæſareo-Leopoldino-Carolinæ
Naturæ Curioſorum Socii &c.

OPERA OMNIA,

MEDICO-PHYSICA ET PHILOLOGICA

CUM EDITA HACTENUS, TUM INEDITA.

Accedit

VITA AUCTORIS HIERONYMO BARUFFALDO
Ph. D. Ferrarienſi, Scriptore.

CUM INDICIBUS RERUM CUIQUE VOLUMINI NECESSARIIS.

TOMUS TERTIUS.

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET & SOCIOR.

M. DCCXXXVIII.

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec non S. R. J. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

TRACTATUS DE BALSAMATIONE CADAVERUM.

IN QUO NON TANTUM DE POLLINCTURA apud Veteres; ſed etiam de variis Balſamandi Cadavera modis apud Recentes, multa curioſa breviter exponuntur.

LAUSANNÆ,

Sumptibus MARCI - MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

ILLUTRISSIMO VIRO,
omnium Virtutum genere inſtructo,

D. JOH. JACOBO MANGETO,
Medicinæ Doctori Celeberrimo; Practico
apud Genevenſes præſtantiſſimo, Egregio
ſæculi noſtri Ornamento,

LITERARUM, æque ac LITERATORUM
Coryphæo,

Medicinæ proceribus amore devincto
Virtute æmulo

Meritis ſuperiori

JOSEPH LANZONUS,
velut Apollinis Numini,

Libellum de BALSAMATIONE CADAVERUM,
in obſervantiæ, Cultuſque teſtimonium, lubens,
meritò donavit, & dedicavit.

AD LECTOREM.

HAbes hic, *Lector benevole*, Tractatum de *Balſamatione Cadaverum* tam Veterum, quam Recentiorum, genio Amicorum nonnullorum obtemperandi cauſa, quibus non obedire crimen maximum eſſet, animique relaxandi gratia horis ſubſecundariis, ſi non perfectum, ſaltem inchoatum. In hoc varias medicas non tantùm Mortuos Balſamandi formas notavi, verùm multa de Antiquorum Pollinctura, de Unguentariis, de Pollinctoribus &c. collegi ex quorundam Græcorum,& Latinorum Scriptorum monumentis, pariterque Poetarum non paucis carminibus hoc ornavi opuſculum,ut nempe non erudire te tantum,ſed, & oblectare aliquatenus poſſem, teſte enim Horatio de Arte Poetica.

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci
Lectorem delectando, pariterque movendo.

Typis autem Tractatum hunc tradidi,non ut inter Scientes aggregari contendam,ſed ut me Virtutis Amantem vixiſſe ſciant Poſteri.

Si tibi rem gratam egerim lætabor, ſi verò hæc qualiacumque ſint alicui ingrata fuerint, nè minima quidem moleſtia afficiar, ſcio enim cunctorum genio indulgere admodùm arduum eſſe, omnibuſque placere difficile, nam quot capita, tot ſententiæ; In hiſce autem ſicubi erraverim, & ſicubi aliqua deficiant humanitati adſcribatur, in magnis enim voluiſſe ſat eſt.

Hunc itaque libellum affectu bono tibi donatum grato animo excipe, *Lector amice*; ſi quid boni in illo reperias, fruere, & ubi erravi, excuſa, nec non memor eſto illius quod Plinius Senior dicere ſolebat, nempè, *nullum eſſe librum tam malum, ut non aliqua parte prodeſſet*, *Vale.*

CAPUT PRIMUM.

De Antiquitate, & Nobilitate Balſamationis.

SEMPER ingenioſa, atque immortalitatis amans adeò mens hominum fuit, ut non tantum ipſa proprios ad perpetuè vivendum exhibuerit partus unde Venuſinus Vates.

Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam......

& Saluſtius *ingenii egregia facinora, uti Anima, immortalia ſunt*; hinc ex Suvertio in Select. Chriſt. orb. delit. Joſeph Malateſta Garuffius Amicus meus maximus in principio ſuæ eruditiſſ. *lapidariæ lucernæ* ait; *Mortales ſumus, ſed tamen quodam naturæ nobilioris inſtinctu immortalitatis avidiſſimi, quo ſit, ut fugientem vitam perennare jubeamus in nomine quantum poſſumus.* Verum humana etiam corpora arte balſamica accommodavit; ut inimicæ obſtaret mortalitati, quem religioſum Balſamandi corpora morem, antiquiſſimum, ideóque nobiliſſimum ſemper fuiſſe, ex eo colligitur, quod docti Veteres poſt conclamatum, ſeu vale ter dictum jam expirato, propinquiores calidâ aquâ cadaver abluebant, & pretioſiſſimis unguentis ungebant, unde *Ennius.*

Tarquinii corpus bona Fœmina lavit, & unxit.

Perſius

Compoſitus lecto craſſiſque lutatus amomis.

& *Ovidius*

Nec poſitos Artus unget amica manus.

Hinc

Hinc Joſephi Patris Cadaver unctum fuiſſe colligitur ab ultimo cap. Geneſ. in his verbis : *Præcepit ſervis ſuis medicis, ut aromatibus condirent Patrem.* Immò tam fuit balſamationis amica ſapiens Antiquitas, ut poſt Rogi quoque extinctionem vino, & lacte reſperſo factam, oſſa Cadaveris lachrymis rigans ſinu fovebat, inde, tollebat in altum, ac demum in urnâ condebat unguentis, & odoribus perfuſa, unde legitur apud *Simon. Maiol. Dier. Canicular. colloquio primo*; *cineres, & quod reliquum erat veteres collexiſſe, & ſuavi odore extinxiſſe* : Quamobrem Ægyptii tanti exiſtimaverunt Cadaverum inunctionem, ut nec cremarent, nec tumularent Mortuos, ut refert *Pompon. Mela lib.* 1. *cap.* 9. his verbis, *nec cremare, nec fodere fas putant mortuos, verùm arte medicatos, intra penetralia collocant*, unde *Silius Ital.* cecinit

Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funera ſtantia ſaxo
Corpora.....

idemque ait *Tullius in Tuſcul. mortuos Ægyptii condiunt, & eos domi ſervant.* quibus aliquandò datis fœnore accipiunt, ut ait Sardus noſter; cum igitur tanta antiquitate, & per conſequens nobilitate gaudeat Cadaverum unctio, ideò aliquod in ſequentibus capitibus de hac exarare decrevi, ut cum ſtyli mei tenuitas nulla prorſus perſpicuitate induatur, ſaltem ſubjecti gaudeat nobilitate.

CAPUT II.

De Balſamationis utilitate, & Cadaverum conditorum duratione.

CUm ex capite antecedenti jam conſtet, vetuſtiſſimum fuiſſe inventum condiendi mortuos, quippe apud antiquos Ægyptios, Judæos, & Romanos ſuaviſſimis unguentis, corpora perfundi, repleri, ac pollinciri conſueviſſe nemini non notum, ita fatendum eſt ipſos tantas diligentias, tantoſque ſumptus in conditura Cadaverum adhibuiſſe, ut ad longum tempus integra manere poſſent; unde docuit *Licetus de Lucern. Sepulcr. lib.*4. *cap.*6. poſſe virtute Balſami adeò condiri Cadaver, ut ad plures Olympiadum centurias integrum ſervetur, hujuſque rationem reddidit ipſe *Licetus cap.* 4. *illius libri* dicendo, *ubi per multos menſes nedum*

per

per annos plurimos medicamen in corpore manſerit, non poteſt poſtea ulla ratione ab eo removeri, ſiquidem altiſſimè penetrat ejus vis, & cum virtute materia penitiores corporis defuncti partes, ita ut amplius ab eo ſeparari non poſſe videatur; & ſic qui mortem evitare non poſſunt, corporis ſaltem gaudeant duratione.

Patet ergò quænam ſit utilitas Balſamationis, hac enim mediante ad incredibile quoddam tépus perdurant Cadavera, etſi non viva, incorrupta tamen, & integra permanent corpora, unde optimè Homerus.

Patroclo autem rurſus ambroſiam, & nectar rubrum
Inſtillavit in nares, ut ei corpus integrum eſſet.

Sic Cleopatræ Reginæ corpus, 126. Olympiadum ſpatio integrum, ac incorruptum Heraclius Imperator invenit, ut ex illius epiſtola ad Sophoclem Amicum ſuum apparet: De Tulliolæ Ciceronis filiæ corpore, referunt multi, hoc nullâ læſum fuiſſe putredine è ſuo tempore uſque ad Sixtum. IV. Pontif. Max. narrantes, ipſumque Tulliolæ Cadaver non tantum ſe vidiſſe, ſed quoque tetigiſſe ait *Gabriel Zerbus in Anatom*: de qua re *Raphael Volaterranus* inquit: *ungebantur corpora, & cum aromatibus tantâ condebantur curâ, ut nos Romæ teſtes ſimus ante paucos hos annos fœminam in tumulis albanis fuiſſe effoſſam ſuprà mille trecentos Annos ſepultam, ut è veſtigio Sepulchrorum animadvertimus, integram membris, craſſo opertam unguento*; Quin immò *Alex. ab Alex. lib. 3. cap. 2. genial, dier. ſcribit*: *memini dum Romæ agerem in vetuſtis Sepulchris, quæ in viâ Appiâ plurima viſuntur, inter ædificia hortóſque, interque coagmenta lapidum, erutum Cadaver fuiſſe multo ævo vetuſtum adoleſcentulæ Mulieris facie, capillo, oculis, naribus, & reliquis lineamentis prorſus integris, & incorruptis, niſi quòd veſtigia liquaminum, & unguentorum, quibus delibutum fuerat, apparebant*; Alii autem Auctores, hoc Cadaver Tulliolæ fuiſſe negant, quocirca Fortun. Licetus aſſerit, tria eodem in loco Romano, & eodem ferè tempore mulierum Cadavera detecta fuiſſe, Tulliolæ unum, Juliæ Priſcæ Secundæ alterum, de quâ Domitius, & Statius, & tertium Mulieris adhuc ignotæ.

Concludendum igitur, Cadavera medicata ad multiſſimos Annos incorrupta poſſe conſervari non ſine magno inſpicientium ſtupore, quemadmodum apparet hodie in Magnatum Muſæis, & celeberrimis Pharmacopœis; in illis enim, & iſtis, & corpora integra, & corporis humani partes medicamine accommodatæ inſpiciuntur,

quæ Cadavera condita Mummias vulgus appellat, de quibus ſermo erit in capite octavo hujus Opuſculi.

De tali verò incorruptione Cadaverum plura qui cupit, legat *Theophil. Rainaud. Soc. Jeſu* tom. 13. & *Joh. Hieron. Sopran. Soc. ejuſd. comm. in David. digreſſ. 2. cap. 5. 6. & 7.*, alioſque multos, tum Antiquos, tum recentes Auctores.

CAPUT III.

De Balſamationis definitione, cauſis, fine &c.

DEfinitur Balſamatio Corporum mortuorum: præparatio, ne ob putredinem, tam facilè pereant; unde duplex cauſa Balſamationis, ſeu conditura apparet; una ſcilicet phyſica, altera civilis; prima, ut putredo à corpore arceatur, ſecunda, ut his honos in primis honoratis Viris exhibeatur. Myſticam addit cauſam *Quenſtedt in Tractatu de rit. Sepul. cap.* 5. ut ſcilicet ſit teſtificatio Fidei de reſurrectione corporum, & Symbolum incorruptibilitatis futuræ; ideóque finis hujus laudatiſſimi operis erit Cadaverum conſervatio à corruptione, licet multi ad Cadaveris fœtorem arcendum conditurам fieri autument, & *Tib. Donatus in 6. Æneid.* rationem hanc adſignavit, ut nempè celerius flammam Cadavera conciperent: *Julius Jacobonus* autem in *append. ad Fontium de priſca Cæſiorum gente*, arcendi cauſa intolerabilem uſtrinæ fœtorem, conditurам fieri voluit, quando ſcripſit: *ex quo mos invaluit, ut mortui omnes poſtmodum lavarentur, dein aromatibus, odoratiſque aſpergerentur unguentis ob intolerabilem, ut opinor, uſtrinæ fœtorem.* Quæ ſanè cauſæ locum non habent apud eos, qui corpora non cremabant. Porrò Ægyptii ſummâ diligentiâ Balſamatione utebantur, non aliam ſanè ob cauſam niſi, ut diuturnius corpora incorrupta ſervarentur, nam illi, teſte *Servio in 3. Æneid.* ſequuti Stoicorum ſententiam, perſuaſum habebant, tamdiù animam durare, quamdiù duraret & corpus. Ad conditurам hanc exercendam multâ religione, ac ſummâ diligentiâ utebatur Antiquitas; hinc pios ungendi ritus invexit, Pollinctores elegit, varias condiendi formas aptavit, & Pollincturam, hoc eſt, funeralem cœnam inſtituit. De iſtis ergo breviter aliquid in ſequentibus capitibus delibemus, antequam de recenti balſamandi Cadavera modo ſermonem faciamus, ut ſic ſuavior, atque jucundior noſter hic libellus incedat.

CAPUT IV.

De Mortuorum Unctione.

CAdavera ungebant Antiqui, & tanti æſtimabant Mortuorum unctionem, ut pretioſiſſima unguenta ſeligerent, ita ut cederent in Cadaverum linimenta theſauri; & Pollincturæ pretium mortem quoque faciebat pretioſam, cui uſui alludens Juvenalis cecinit.

Et matutinos ſudans Criſpinus amomo
Quantum vix redolent duo funera,.....

Nec tantum patrii odores ad mortuos ungendos ſufficiebant, ſed ad hunc uſum Indica quoque tellus demandabat aromata, quapropter, referente D. Marco, Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum; & D. Joannes ait *acceperunt ergo corpus Jeſu, & ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire;* imò Jeſus quoque dixit de Magdalena loquendo, *prævenit ungere corpus meum in ſepulturam;* undé meritò Tertullianus vocavit aromata ſolatia Sepulturæ. Undè Judæos extrinſecùs corporibus mortuis unguenta, & aromata antiquitus applicaſſe, & deinde faſciis involviſſe notavit cum Gherardo, & Iſaaco Caſaubono, *Quenſtedt in Sepultur. Vet:* & Judæorum conſuetudinem fuiſſe corpora condere more Ægyptio auctor eſt *Tacitus*, quod, & in Judæorum ſacris libris manifeſtius conſpicitur. Condiri verò odoramentis, & aromatibus obſervavit Cl. noſter *Lil. Greg. Giraldus de var. ſep. ritu*, & *Comenius in Janua Erudit.* Hinc *Polid. Virgilius lib. 6. de rer. inventor.* ait *Cadavera abluuntur, & unguntur:* Minutius Felix. *non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis, reſervatis unguenta funeribus.* Clemens Alexandrinus: *nimiæ unguentorum unctiones juſta, quæ fiunt mortuis, potius quam familiarem vitæ conſuetudinem redolent.* Nicol. Perotus, *unguenti voluptas inter laudatiſſima vitæ bona admiſſa eſt, ceperuntque etiam defunctorum corpora ungi.* De Funere Juſtiniani Imperatoris, qui immenſa veteris prudentiæ volumina coadunavit in uno ſic canit Corripus.

.............unguentaque mira feruntur;
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.
hinc *Virgilius lib. 6. Æneid.* in funere Miſeni cecinit
...........corpuſque lavant frigentis, & ungunt
Homerus 24. *odyſſ.*
Depoſuimus in lectis, purgantes corpus pulchrum
Aquâque calidâ, & unguento.
& *in Iliad. lib.* 18. idem *Homerus* ſcripſit
Poſtquam calefacta eſt aqua in ſonante lebete.
Tunc jam lavarunt, & unxerunt pingui oleo.
& apud *Anacreontem* ex interpretatione Henrici Stephani
Tumulum quid eſt quod ungas.

D. Hieronym. *mortuo Cadaveri atque polluto*, ait *adv. Vigilant.* unde *Kirchmannus lib.*1. *cap.* 7. *de funer. Rom.* ſcribit; *ungi cœperunt mortuorum Cadavera, ſive ea terræ mandanda eſſent, ſive igni combu-renda.* Plutarchus ordinem funeris deſcripturus dixit; *unguenta, aromata & id genus cætera diſponebantur, inde funerationem facie-bant*, quod confirmavit doctiſſ. *Lil. Greg. Girald.* noſter *l. c.* dum ſcripſit: *poſtquam moriens exhalaverat animam, Cadaver, ii, quos Libitinarios, & Pollinctores appellatos diximus, lavabant, ungebant-que:* Unde non ſolum vivis, ſed mortuis etiam affricari unguenta obſervavit *P. Servius in diſſertat. de odorib.* hinc *Propertius lib.* 3.
Afferet huc unguenta mihi ſertiſque ſepulcrum
Ornabit cuſtos ad mea buſta ſedens.

Carolus Paſcalius de coronis lib. 4. *cap.* 7. ex Tullio colligit fu-nera aſperſa fuiſſe unguentis; *Ovidius* 4. *Faſtor.* in Funere Remi canit
Arſuroſque artus unxit............
Polydor. Ripa de Act. in mort. articul. cap. 90. *corpora* (ait) *defuncto-rum ungebantur*: quod etiam notat *Macer* l. C. in *l. Funer. ſumpt. D. de relig. & ſumpt. funer.* Chaſſaneus *de gloria Mundi part.*2. ait, *Cadavera pretioſis unguentis ungebantur, & in rogis multa aroma-ta ſimul cum Cadaveribus concremabantur.* De mortuis pollingendis meminit *Claudius Salmaſius de Cruce* ad Thomam Bartholinum, *Iſ. Caſaubonus comment. in Perſium*; & *Mar. de die Natali.* Hinc antiquas etiam mulierculas Martyrum Cadavera odoratis unguen-tis cu-

tis curâſſe colligit ex Baronio *Kirchmannus de Funer, Rom. lib.* 1. *cap.* 9. Quamobrem poſtea reſurrectionis ſpe Chriſtianos antiquos ad Cadavera condenda unguenta, & odores liberaliter adhibuiſſe, ut diutiùs integra ſervarentur ſcribit. *Octav. Ferrarius in diſſertat. de lucern. ſepulcr.* ut non falsò Tertullianus in *Apolog.* jactaverit: *ſi Arabiæ quærantur, ſciant Sabæi pluris, & carius merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis;* hoc eſt plus odoramentorum Chriſtiani in illa paupertate prodigii conſumpſiſſe quam Ethnici; ſcilicet Ethnici duobus digitulis paucos thuris globulos Diis numerabant; Chriſtiani plenâ manu, & ſinu caſſiam, & cinnama effundebant, ſumptibùſque funerum Arabias, & Sabæos exhauriebant. Futuræ ergo reſurrectionis fiduciâ bene ait *cit. Ferrarius;* cùm enim incertum eſſet tempus ſupremi Judicis adventus, ipſis Eccleſiæ incunabulis; non longè abfore ſummum diem credebant; atque ita omnia faciebant, ut brevi excitandas mortales exuvias à labe præſtarent immunes: Quam Sententiam confirmat *D. Auguſtinus de civit. Dei lib.* 1. *cap.* 13. ubi hæc habet. *Ipſe quoque Dominus die tertio reſurrecturus, religioſæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretioſum ſuper membra ejus effuderit, atque hoc ad eum ſepeliendum fecerit; & laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus cùm de Cruce acceptum, diligenter, atque honorificè ungendum ſepeliendumque curarunt: Verum iſtæ autoritates non hoc admovent, quod inſicullus Cadaveribus ſenſus; ſed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere ſignificant, propter fidem reſurrectionis adſtruendam.*

Notare autem oportet Ethnicos antiquitùs aliquos fuiſſe referente Bellonio, & Volſio cum *Laurent. Legato* in *Muſæo Coſpiano lib.* 5. *cap.* 20. qui intrà cavitatem Cadaverum Balſamo accommodatorum ad æternitatem, clauſiſſe ſcriptas paginas, Idola, variaſque ſupellectiles; quapropter narrat Rondeletius de Cadavere unguentis odoratis condito ab Ægypto in Gallias tranſlato, in cujus thorace aperto viginti antiquæ tabellæ fuere repertæ, in quibus arabici characteres conſpiciebantur, quos continere hiſtoriam vitæ Defuncti dicebant aliqui.

Notandum eſt etiam aliquos eſſe Scriptores exiſtimantes le-

gibus XII. tab. vetitam fuiſſe pollincturam, id eſt feralem unctionem, ſic enim *ſervilem uncturam* apud Ciceronem. 1. *de legib.* interpretantur Turnebus, Urſinus, Marcilius, & alii, quanquam (ne quid diſſimulem) ait Kirchmannus, Decemviros voluiſſe ne Servis honor iſte tribueretur.

De Mortuorum unctione plura cupienti dabunt Petr. Bellonius *de Admirab. oper. antiquor.* & *de Medic. Funere; Alexand. ab Alexandro Gen. dier. Joan. Andreas Quenſtedt in Sepult. Veterum; Joſeph Laurentius in Polymathia; Jo. Amos Comenius in Janua Erudition.* aliique.

CAPUT V.

De Libitinariis, Pollinctoribus, & Unguentariis.

PIo antiquorum mortuos ungendi ritu, jam in capite ſuperiori demonſtrato, nunc de Pollinctoribus, qui Cadavera ungebant verba facere oportet, & quia iſti erant Servi Libitinariorum, quibus tota funeris functio commiſſa erat, ideò prius aliquid de Libitinariis dicendum, poſtea de Pollinctoribus, ne aliquid quod ad noſtram faciat Materiam relinquatur; Libitinarii ergò à Libitina ſic dicti ſunt, ut ait Varro, in cujus æde (ut Acron Autor eſt) conſtituti erant; eſt enim Libitina exequiarum Dea, undè Libitinarii dicuntur, qui exequias, funeraque curant, iſtique in æde Libitinæ, quæ ad Sepulcrum ſpectant vendere conſueverunt, unde ait Tranquillus in Nerone *triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Horatius, *Autumnuſque gravis Libitinæ quæſtus acerbæ.* Et Livius *Peſtilentia in agris, foriſque & conciliabulis, & in urbe tanta, ut vix Libitina ſufficeret.*

Multi autem Libitinam Venerem eſſe dixerunt, inter quos Jacobonus, undè nonnulli veteres Venerem non ſolum natalium, ſed & Mortis quoque præſidem coluerunt, Libitinam nil aliud eſſe exiſtimantes, quam Venerem, ſicuti prodidit *Plutarchus in Numa Pompil.* hujuſque vocandi Libitinam Venerem cauſam reddit *Andreas Tiraquellus in* 15. *leg. connubial. Gloſ. prim. part.* 15. *pag.*

pag. mihi 219. dicendo; *hoc fortè argumento admonentes, eandem, quæ cauſa vitæ eſt, mortis quoque cauſam eſſe plurimis, quia nonnunquam mors in ipſo concubitu, aut etiam ob frequentiorem uſum evenit.* Optimè igitur legebatur in Epigrammate olim inſcripto Athenis in Adriani Gymnaſio, Venerem cæleſtem Parcarum eſſe vetuſtiſſimam, de qua re Pauſanias; de Venere quoque Libitina meminit *Dionyſ. Halicarnaſſ. lib.* 4. *Varro de ling. lat. lib.* 2. & huc pariter reſpicit, quod *Plautus in Mercatore* Deam Aſtartem dixerit, quæ & ipſa Venus eſt, ut tradit *Suidas*, & *Theophilactus in Oſeam*; & ante eos *Cicero lib.* 3. *de Nat. Deor.* dixit, vitam Hominum, Deorumque, & eandem mortem, & interitum eſſe, dum hæc verba protulit *Diva Aſtarte hominum, Deorumque vis, vita, ſalus; rurſus eademque eſt pernicies, mors, interitus.* De hac Aſtarte Dea fit mentio apud *Joſephum Antiqu. judaic. lib.* 6. *Lucianum in lib. de Syria Dea, Euſebium lib.* 1. *Evang. præpar. cap.* 7. *Seldenum de Diis Syriis Syntagm.* 2. *Arnobium lib.* 8. *diſput. adverſus Gentes, Artemidorum de ſom. Cornutum*, & *Jul. Aurelium de cognom. Deor. Theocritum in Idyl. M. Andr. Beverum in Selden. Epiphanium adverſus Gentes, Ælianum*, alioſque; & hinc fortaſſis eſt, quod ab Ægyptiis Venus *Nephtè* vocatur, quam finem ſive Mortem nuncupant. Silendum autem non eſt, Libitinam etiam à *Martiale* pro feretro haberi *in lib.* 8. *Epigram.* 42.

. . . . *una duos, ut Libitina ferat.*

Iſti funeribus neceſſaria præbebant, & ad hos Libitinarios pertinebat funus facere, quapropter non ſolum quidquid ad exequiarum apparatum requirebatur vendebant, ſed & operam ſuam funerum curatoribus elocare ſolebant, unde legitur *apud Valer. Maximum lib.* 5. *cap.* 2. *M. Cornuto Prætore funus Hirtii*, & *Panſæ juſſu Senatus locante, qui tunc libitinam exercebant, tum rerum ſuarum uſum, tum miniſterium ſuum gratuitò polliciti ſunt* &c. Hinc *Plinius lib.* 6. *Romæ*, ait, *quoque Corſidium Materteræ ſuæ Maritum funere locato revixiſſe, & locatorem funeris ab eo elatum: Seneca de tranquillitate cap.* 2. *dum illi hæres publicum funus eſurienti locat.* Hos verò homines, etſi neceſſarios ob munus ſuum inter viles tamen habitos jam fuiſſe putat Kirchmannus propter ſordidum, & turpe genus vitæ; quandoquidem nulli alii rei vi-

vebant quam quæſtui, quem abſque plurimorum Morte facere non poterant: In funerum adminiſtratione iſti Servorum opera utebantur, & in primis Pollinctorum, quos Libitinariorum ſervos fuiſſe colligitur ex *Ulpiano* qui ait, *ſi libitinarius Servum pollinctorem habuerit, iſque Mortuum ſpoliaverit &c.* & *Jul. Jacobonus in Appendice ad Fonteium de priſca Cæſiorum gente* ſcribit, *habebant libitinarii Pollinctores domi ſuæ ſervorum loco*, de quibus nunc ſcribendum eſt.

Pollinctores à verbo antiquo *pollincio*, *vel pollinceo*, aut, ut Gloſſarium, *pollingo*, quod eſt lavare, ungere, & curare Cadavera, dicuntur ut habetur ex Peroto, Nonio Marcello, & aliis. Fulgentius Pollinctores, quaſi Pollutorum unctores dicit, hoc eſt Cadaverum curatores: *Servius ad lib.* 9. *Æneid.* Pollinctoris nomen deducit à polline, quô mortuis os oblinebant, ne livor appareret extincti: *Turnebus* à pelle ungenda, quaſi pellis unctores; iſtorumque erat officium corpora mortuorum abluere, ungereque: unde *Apuleius* ait *pollinctor ejus funeri dum unctionem parat*, & *Plautus* in prologo Pœnuli; *eorum alter vivit, alter eſt emortuus, propterea apud vos dico confidentius, quia mihi Pollinctor dixit, qui eum Pollinxerat*; hinc legitur *in Ezechiel. cap.* 39. *donec ſepeliant illud Pollinctores in valle &c. Arnobius* huc reſpexit *lib.* 1. *adverſ. Gentes*, dum inquit: *unus fuit è nobis, qui redire in corpora jam dudum animas præcipiebat efflatas; prodire ab aggeribus conditos, & poſt diem funeris tertium, Pollinctorum velaminibus expediri*: & locum indè captavit Paraſitus Plautinus in *Aſinaria*, ubi Demenetum viſa Uxore, ejuſque minis auditis netu ſe eſſe examinatum, & penè mortuum ſignificaturus exclamat; *Ecquis currit Pollinctorem accerſere*, & *Martialis lib.* 10. *Epigr.* 97.

Jam Scrobe, jam lecto, jam Pollinctore parato.

De iſtis loquens *Nicolaus Rigaltius* in funere Paraſit. dixit; *Accedunt Pollinctores, & odoro unguentorum ſuffitu naſorum pestem interficiunt, ſimul, & honori Cadaveris cinnamomum, thus, caſſiamque acervatim congerunt, &c.* Hic patet ergo *Sidonium* impropriè Pollinctorem dixiſſe pro Uſtore *lib.* 3. *epiſt.* 13. dum ſcripſit: *cum verò illa ſordidior eſt, atque deformior Cadavere rogali, quod acibus admotis ſemicombuſtum, moxque ſidente ſtrue torrium devolutum*

tum reddere pyræ jam faſtidioſus Pollinctor exhorret. Pollinctorem etiam ſub Presbyteri nomine habuerunt aliqui, undè legitur in libro cui titulus *les Religions du Monde écrites par Alexandre Roſſ, & traduites par le Seig, Thomas Lagruë, diviſion.* 4. *pag.* 212. *Le Pretre avoit de coutume de laver, oindre, couronner, & porter ou mettre le corps devant le portail de la maiſon &c.* Santorellus autem in Poſtprax. med. quia hodie Pollinctores non ſunt, Chirurgis, ac Pharmacopolis, ait, datum eſſe aliorum munus exercere. De iſtis meminerunt *Pignorius in lib. de ſervis, Budæus in Pandectas, Joſeph Laurentius in Polymatia;* & alii plures.

Diximus de Pollinctoribus Cadavera ungentibus, nunc de unguenta vendentibus brevem ſermonem faciamus. Iſti unguentarii, ſeu, ut ſcribit *Servius*, unguentarii dicebantur, & à nonnullis pigmentarii; & illi erant qui unguenta conficiebant, & vendebant, de quibus *Jul. Pollux in dictionar.* quapropter ad alicujus Cadaveris conditũram parandam ab iſtis emebantur unguenta, & aromata, quæ jam præparata, & bene diſpoſita ad venditionem ſervabant, undè apud D. Marcum Maria Magdalenæ, & Maria Jacobi, & Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum. De iſtis *Cicero lib. de Officiis* meminit dicendo: *adde huc ſi placet unguentarios, ſaltatores &c.* & una cum Servio Pignorius ſcribendo, Amaracum puerum, regium unguentarium fuiſſe, qui caſu lapſus dum ferret unguenta, majorem ex confuſione odorem creaverit, quæ omnia *Iſidorus* in ſuas *Origin lib.* 4. tranſtulit; hinc legitur in *Cantic. cap.* 5. *Genæ illius ſicuti areolæ aromatum conſitæ à Pigmentariis.*

Unguentarii autem ſub nomine Medici, ut & Pollinctor, accepti fuere à variis, unde *Geneſ.* legitur Joſephum ſervis ſuis Medicis præcepiſſe, ut Patris defuncti Cadaver aromatibus condirent; & apud *D. Gregorium lib.* 4. *Dial.* ſequentia habentur verba, quæ ad noſtram rem faciunt; *Illuſtris Vir Stephanus, quem bene noſti, de ſemetipſo mihi narrare conſueverat, quia in Conſtantinopolitanâ urbe prô quadam cauſâ demoratus, & moleſtiâ corporis ſuperveniente defunctus eſt, cumque Medicus, ac Pigmentarius ad aperiendum eum, atque condiendum, eſſet quæſitus, & die eodem minimè inventus ſubſequente nocte corpus jacuit inhumatum.*

Spar-

Spartam autem non admiſiſſe Unguentarios legitur apud *Cælium Rodhiginum lect. antiq. lib.* 27. *cap.* 24. *pag. mihi*, 1050.

Referuntur etiam ab Autoribus alii Libitinariorum ſervi, ut *Succolatores*, *Uſtores*, *Necrophori*, *Veſpillones*, *Sandapillarii*, *Codonophori*, *Pileati*, *Anteambulones atrati*, *Ferales præcones*, *Orcini &c.* de quibus videatur *Laur. Pignorius*, *Lil. Gregor. Giraldus*, *Budæus*, & alii; quapropter benè *Petr. Chryſologus in Sermon.* ait. *Funus Divitis antecedit lugubris turba ſervorum.*

CAPUT VI.

De Cœna Pollinctura:

DIximus in capite ſuperiori de Pollinctoribus, nunc verba faciamus *de cœna Pollinctura*, *ſeu funerali*. quæ à multis dicitur *novendialis*; ſubque hujus nomine etiam totam funeris curationem intellexere nonnulli: Mortuis enim ritû romano non ante diem nonum parentabatur, unde ſi in nuptiis ſeptimus dies inſtaurationem voti habebat, ſic in funere nonus, quô parentalia concludebantur; huic ergo Poetæ alludunt, ut *Virgilius.*

Præterea ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit ....

& Statius

Roſcida jam novies Cœlo dimiſerat Aſtra
Lucifer ....

Hinc legitur apud *Thom. Garzonium in Plateâ univerſali*: *l'ottavo dì ardevaſi*, *& al nono ſi ſepelivano le ſue ceneri*, *e quindi hebbero*, *origine i giorni novendiali.* *Rhodiginus* autem ait novendiale dictum fuiſſe, quod novem diebus mortuos fierent Antiqui, & rationem adducit, ut enim nonus dies naſcentium, qui & luſtricus dictus fuit celebris: ita & nonum diem mortuorum celebrandum voluerunt.

Nono ergo die præter alia cœna funebris fiebat, quam feralem vocavit *Apuleius lib.* 4. *Floridor.* his verbis *procul ignes amolirentur cœnam feralem à tumulo ad menſam referrent*: Hæc feralis

cœna

cœna ponitur apud Feſtium, & Fulv. Urſinum in appendic. ad Ciacconium de Triclin. meritò inter feralia, de qua *Ovidius lib. 2. faſtor.* ita cecinit.

Hanc quia juſta ferunt dixere feralia lucem
Ultima placandis Manibus illa fuit.

diciturque feralis juxta multos à ferendis æpulis ad tumulum, cui cœnæ alluſiſſe videtur *Alexand. Rubeus* in Gallico libro, cui titulus *Les Religions du Monde, diviſion 6. pag. mihi*, 280. *tondò dum ſcripſit: Les femmes n'accompagnent pas le corps juſques au ſepulcre, mais elles demeurent au logis à pleurer, & à preparer des bonnes viandes &c.*

Hanc etiam cœnam Silicernium vocatam fuiſſe docent Nonnius, Feſtius, & Tertullianus; *quô differt ab epulo Jovis Silicernium? à Simpuvio obba? ab aruſpice Pollinctor?* Verum Silicernium ex Donato Çœna eſt, quæ propriè inferebatur Diis Manibus, quod eam ſilentes umbræ cernerent, id eſt poſſiderent; vel quod qui ferebant cernerent, ſed non deguſtarent, nam Inferis quæ libabantur, quiſquis guſtaſſet funeſtabatur, unde Pythagoræ Symbolum. *Ne guſtes quæcunque de menſa deciderint*; ea enim Amicis defunctis ſacra putabantur; ideò Silicernia, vel relicta ſuper ſepulcha, vel in funere combuſta fuiſſe notat *Laurentius Polymatia lib.* 3.

Hinc diſcitur ex *Athenæo lib.* 10. quicquid inter edendum ſub menſam cecidiſſe, id Amicis defunctis ſacrum putatum fuiſſe; & *Jo. Kirchmannus de Silicerniis* loquens ait; *& inde opinor ortum, ut Silicernia hæc antiquitùs ſuper tumulum relinquerentur, ſive etiam comburerentur, vel in culina, undè Feſtus culina vocatur locus, in quò epulæ in funere comburebantur vel in ipſo rogo, undè Virgilius*

. . . . congeſta cremantur
Thurea dona, dapes, fuſo crateres olivo.

Ex hoc igitur fonte manaſſe videtur genus loquendi. *Cœnam è rogo rapere*; vel ſimile aliquid; quo utebantur olim, aut ſummam mendicitatem alicui imprecaturi, aut exprobraturi diram habendi cupiditatem; ſive quod extrema mendicimonia neceſſitate coacta ſolerent Silicernia in buſticetis vorare; ſive quod inſigniter rapaces oporteret eſſe eos, qui à feralibus iſtis epulis non poſſent ſibi temperare, hinc Catullus.

........Sæpe quam in ſepulcretis
Vidiſtis ipſo rapere de rogo cœnam;
Et *Tibullus*
Ipſa fame ſtimulante furens, eſcaſque ſepulcris
Quærat, & à ſævis oſſa relicta lupis.

Si qui verò lucri cauſa omnia nefanda ſubire non verebantur, *Buſtirapi*, dicebantur, ut notat *Janus Guilielminus* in *Veriſimil.*

Has Epulas ad tumulos inſtitutas ex vetuſtiſſima conſuetudine fuiſſe advertit *Jac. Phil. Thomaſin. de donar. cap.* 36. unde Propheta in *Pſalmo* ait: *Comederunt Sacrificia mortuorum.*

Athenis per funeri præfectos, epulum apud defunctos maximé neceſſarium fuiſſe notat *Alex. ab Alexandro Genial. dier. lib.* 3. *cap.* 7. & de ferali hoc epulo, ſive cœna novendiali loquens *Jul. Obſequens* dixit, *in Sacro novendiali cœna Deæ poſita, à cane adeſa antequam delibaretur*; cui cœnæ ferali alludens *D. Auguſtinus lib.* 6. *confeſſ. cap.* 2. ait, *cum ad memorias Sanctorum, ſicut in Africa ſolebat, pultes, & panem & merum attuliſſet.*

De hac cœna loquens *Giraldus* noſter *de var. ſepel. ritu* ait; *ſunt apud Auctores ferales cœnæ, Silicernia, & funerum fercula, quem morem vix dum Chriſtiana lex compeſcuit; extant certè D. Ambroſii, & aliorum poſt eum contrà hanc conſuetudinem orationes, & decreta &c.*

In funerali autem cœna certos quoſdam cibos proprios fuiſſe tradit *Xiphilinus in Domitiano*; quare *Hermol. Barbarus in Plinium* in uſum cœnæ hujus feralis veniſſe apud veteres ſcribit far, Pollentam, Vinum, panem fermentatum, ficum, paſſam, ſuillam, bubulam, agninam, caſeum, ovillam, Alicam ſeſamam, oleum, & piſces; hinc apium, lentem, atque ſalem lugubria fuiſſe ex Plutarcho Sardus noſter teſtatur, Fabam pariter Feſtus inter lugubria ponit dum ſcribit. *Fabam nec tangere, nec nominare Dialiflamini licet, quòd ea putatur ad mortuos pertinere:* Lactucam etiam appellat funebrem Eubulus apud *Athenæum lib.* 2. imò ova quoque locum in mortuali cœna habuiſſe colligitur ex *Juvenali*,

......dimidio conſtrictus gammarus ovo
Ponitur exigua feralis cœna patella.

Gregor.

Gregor. Tholoſanus Syntagmat. Juris lib. 25. *cap.* 11. refert Numæ edictum, ne piſces qui ſquammoſi non eſſent ad Pollinctum emere fas foret; ſcilicet ne nimis magno in funeralibus cœnis mercarentur obſonia pretio, quam cœnam Pollincturam dixere, in qua, & ſi nihil deeſſet, omniaque affatim ſuppeterent, lætari tamen minimè decere ſcripſit *Alex. ab Alexandro Gen. dier. lib.* 3. *cap.* 7. Fuitque in hac cœna inſtitutum, ut per vini, cibique lenimen defuncti deſiderium levaretur. Cœnaturi prius potabant mulſum, & ii, qui funus efferebant, prius id in funeſta domo bibebant: unde Romani, referente Livio, libationes, & epulas, tum in ipſa ſepultura, tum poſt illam uſurpabant: Hujus autem cœnæ feralis uſum olim tranſiiſſe ad Chriſtianos *D. Auguſtinus narrat lib. 9. de civit. Dei. Quicunque*, inquit, *epulas ſuas eò deferunt, quod quidem à Chriſtianis melioribus non fit, & in pleriſque terris nulla eſt talis conſuetudo, tamen quicunque id faciunt, eas cum appoſuerint, orant, & auferunt, ut veſcantur;* hinc *Paulinus* cecinit.

.......ignoſcenda tamen puto talia parvis.
Gaudia, quæ ducunt epulis, quia mentibus error
Incepit rudibus, nec tantæ conſcia culpæ
Simplicitas pietate cadit, male credula Sanctos
Perfuſis halante mero gaudere Sepulchris,

De Epulo autem funebri, quod in funere Potentiorum fiebat, meminit *Gulielm. Budæus in Pandectas pag. mihi*, 493. & de Cocco ferali, qui mortuis tantum cœnam parabat *Juſtus Lipſius comment. ad* 4. *Annal, Corneli Taciti:* Aſt de Pollinctura cœna ſatis; nunc ad mortuorum condituram redeamus.

CAPUT VII.

De Variis Condiendi Cadavera modis apud Veteres.

SIcuti variæ apud Antiquos fuerunt Cadavera ſepeliendi rationes, ita varii quoque apud eoſdem Balſamandi ritus fuere: Legitur enim uſos fuiſſe Veteres in mortuis condiendis, & putredine abigenda, nunc ſale, nunt nitro, nunc cedro, mo-

dò Aſphalto, modò Melle, modò Cera ſeu Myrrha, ſeu Balſamo, ſeu Gypſo, & calce, & aliis hujuſmodi, undè optimè *Schindlerus in lex. pentagl.* ait; *condivit aromatibus, myrrha, aloë, cedro, melle, cera, bitumine, & reſina corpora mortuorum, ut incorrupta maneant.*

De Salitis Martyrum corporibus mentionem facit *Eunapius Sardianus de vit. Philoſ. in Ædeſio*, quapropter *Plinius lib.* 31. *cap.* 9. ait: *ſalis natura eſt per ſe ignea, omnia erodens, corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans, defuncta etiam à putreſcendo vindicans, ut durent ita per ſæcula.* De Cadaveribus Sale conditis ſcribit *Herodotus lib.* 2. *&* 3.

Nitrum teſte *Herodoto lib.* 2. carnes ita tabefacit, ut mortui tantùm cutis, & oſſa relinquantur; hinc ſcribit *Sextus Empiricus*, Perſarum morem fuiſſe vita functos in cruce tollere, nitro ſal?re, & poſtmodum corio contegere.

Ad Cadavera condienda, & incorrupta ſervanda cedrum facere dixi in mea *Citrologia part.* 2. *cap.* 7. quàpropter legitur apud *Plinium*, cedrum dare picem, quæ cedria vocatur, & hæc defuncta corpora ævis ſervat; hancque picem talem habere virtutem aſſerit Dioſcorides cum Galeno, & Joh. Kirchmanno. De Cedri virtute in conſervandis incorruptis Cadaveribus multa ſcripſere Scholiaſtes Nicandri, & Pancirolus; quare optimè ſcripſit *Guillandinus de Papyro, pag.* 203. *Cedrum eſſe mortuorum corporum cuſtodiam, ſive particularum emortuarum.*

Ægyptios aſphalto ad condituram mortuorum uſos fuiſſe narrat *Strabo lib.* 26. quare condita Cadavera, quæ hodie ad nos tranſvehuntur aſphalto eſſe medicata notat *Frid. Hofmannus clav. in Schroder.*

Mellem, Cadavera incorrupta ſervandi habere potentiam, dixit *Plinius lib.* 22. *cap.* 24. & poſt eum *Mercurialis var. lect. lib.* 2. cum *Aldrovando de inſectis lib.* 1. *Columella lib.* 12. ideòque Democritus juſſit, mortuos in melle ſervandos, cui alluſit *Lucretius.*

Avi melle ſitum ſuffocari, atque rigere.

Hinc Alexandrum Magnum melle conditum fuiſſe indicavit *Statius lib.* 3. *Sylv.* id ipſum de Hippocentauro qui Claudio Cæſari

ſari allatus fuit ex Ægypto narrat *Plinius* & *Athenæus lib.* 2. Ageſipolim quoque, cùm è Macedonia cum exercitu rediret in vicinis Olynthi oppidi locis gravi morbo correptum, mortuumque ſeptima die in melle conditum Lacedemonem eſſe reportatum, atque regia ſepultura honoratum, auctor eſt *Xenophon lib.* 5. *de reb. geſt. Græcor.* Aſſyrios melle conditos mortuos ſuos voluiſſe, ait *Alex. ab Alexandro lib.* 3. *gen. dier.* ut & Babylones feciſſe refert *Boemus Aubanus lib.* 2. *de moribus Gentium*; hinc de aliis Cadaveribus olim melle conditis meminetunt *Marc. Donatus dilucid. ad T. Liv. lib.* 4. Corn. Nepos, Plutarchus, Diodorus, Porphyrius, Herodotus, à Reies, aliique: Virtutem autem hanc corporum mortuorum conſervativam mel habere ait *Ettmullerus in Schrod. dilucid.* à Sale univerſali, quod in ſe continet.

Ab hoc ritu non multum differt illorum conſuetudo, qui cera mortuos oblinibant, unde *Cicero* 1. *Tuſcul.* ait *Perſæ jam cera circumlitos condiunt, ut quam maximè permaneant diuturna corpora*; De Ageſilao ſic loquitur, *Cornelius Nepos: ibi cum Amici, quò Spartam facilius perferre poſſent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ità domum retulerunt*; de cerea Magorum Balſamatione loquitur *Herodotus lib.* 1. & *Aldrovand. lib.* 1. *de inſectis.*

De mortuis in glacie, ac nive ſepultis meminit *Thom, Porcacchius in Funer. antiq.*

Myrrhâ corpora mortuorum condita jam fuiſſe, ſcribit *Philo* Carpatiorum Epiſcopus *in cantica*, undè *Marini* muſa ad funus Adonidis, delatam fuiſſe myrrham narrat, dum canit

Fanciulle arrecan poi candide, e bionde
De lagrime di Mirra altre vaſella,
E ſoſtien del licor, ch'entro s'aſconde
Mille dramme di peſo ogni Donzella.

Et Prudentius *in Hymno*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha ſabæo
Corpus medicamine ſervat.

Myrrham in Cadaverum ſuorum condituram adhibuiſſe Ægyptios colligitur ex *Herodoto lib.* 2., ubi etiam egregius iſte Auctor tres tradit deſcriptiones Balſamationis Ægyptiacæ, de quibus etiam *Diodor. Siculus lib.* 1. *Lucianus*, *Chryſippus*, *Sextus Empericus*, *Plutarchus*, *Gherard. Stotten*, & alii. Myrrham quoque maximè ad funera olim ſpectaſſe colligitur ex ſequentibus *Sedullii* carminibus *de muneribus oblatis Puero Jeſu.*

Aurea naſcenti fuderunt munera Regi;
Thura dedere Deo, myrrham tribuere ſepulto.

Nec tantum myrrha, ſed & oleo quoque Myrrhino Cadavera nonnulla condita antiquitùs fuiſſe colligitur ex Hiſtoricis, quam olei compoſitionem nos amiſiſſe aſſerit *Gulielmus Coule in Sermon. de Balneis Veterum pag. mihi* 68. his verbis: *Ma noi habbiam perſo l'uſo della compoſitione dell' oglio di Mirra, perchè la Mirra, che ſi porta oggi d'Alexandria è del tutto contrafata, e ne viene pochiſſima in Francia, & in Italia.*

Opobalſamum ad condituram Cadaverum jam fuiſſe uſurpatum colligitur ex inſcriptione Hiſpanica relata ab *Arnobio lib. quint.* & *Kirchmanno lib.* 1. *de Fun. Rom. cap.* 8. quæ talis eſt. *Mater ad luctum, & gemitum relicta cum lachrymis, & opobalſamo udum hoc ſepulchro condidit.* De Cadaveribus Balſamo medicatis vid. *Kornmannus de Mir. mort.* & Reies *camp. Elyſ. jucund. quæſt.*

Gypſo Æthiopes induxiſſe ſuos mortuos ait *Herodot. lib.* 3. unde *Aldrovandus lib.* 6. *de inſect.* ait: *Æthiopes amicorum ſuorum Cadavera, ubi interaneis, & carne expediverant, gypſo obduxiſſe, ipſiſque ſic incruſtatis mox opere tanquam tectorio; colores pinxiſſe, qui defunctos ad vivum exprimebant, hac autem Arte ornatos columna vitrea, & cava includebant: ut pyxidati per medium vitrum apparerent, neque interim odore tetro ſpectatores à ſe averterent.*

Calcis uſum ad Cadavera conſervanda adhibitum jam fuiſſe notat *Welſerus*; ſic corpus D. Thomæ Apoſtoli calce conditum Meliapor in Coromandelio littore ſub Joanne III. Luſitaniæ Rege inventum fuiſſe Autor eſt *Maſeius in Indicis lib.* 8. ſcilicet immixta calci, & arenæ candidiſſima ſpecie oſſa, appoſita lanceæ cuſpide, & viatorii baculi fruſto atque vaſe fictili, ait Joh. Kirchmannus *loc. cit.*

Py-

Pythagoræi non unguentis, ſed foliis populi, myrthi, & aloes ſtipati humi mandabantur, ſicut M. Cato condi, & humari voluit. Arabes; & Sabæos Cadavera fimo, & ſtercore condita ſepulchro tradidiſſe, ait *Thom. Phorcacchius in Funer. Antiqu.* una cum *Cœlio, Jo. Textore in Officina, & Al. Sardo lib.* 1. *de Mor. Gentium.* Indi Adipem ſuillum adhibuere ad mortuorum condituram. Herba Aloë uſos nonnullos fuiſſe ad Cadavera condienda, legitur apud *Meſvem cap. de Aloë;* & rectè quidem, nam herba Aloë, ait Chryſoſtomus, ut eſt amariſſimi ſucci, ita vim habet reſiſtendi vermibus, & putredini. Spartanos mortuis ſuis condituram paraviſſe foliis Oleæ legitur apud multos, ſed præcipuè apud *Thom. Porcacchium in Fun. antiq.* his verbis, *in Sparta li Corpi morti ſi ſeppellivano nelle foglie del l'Ulivo.* Aſſyriorum Cadavera Regum in Paludibus pleraque, paluſtribuſque in locis fuiſſe condita tradit *Cæl. Rhodiginus lib.* 17. *lect. antiq. cap.* 20. Scytharum Cadavera cupreſſû, ſeminibuſque aniſorum, & petroſelini, ut ad longiſſimum tempus conſervarentur accommodata fuiſſe ſcribit *Joſ. Donzellus* in *petitor. Neapol.* unde notat *Paræus* ipſam ſcyticam gentem, quæ barbarie, atque immanitate reliquas ſuperare videtur, Regis ſui Cadaver non ſepelire, niſi priùs exenteratum, & cupreſſo tuſo, thure, petroſelini, & aniſi ſeminibus farctum, cerâ obliniecrint. Oleo Palmæ uſos ad mortuorum condituram aliquos Giaghos idololatras narrat Fr. *Anton. Cavazzius Capuccinus in Hiſtorica deſcriptione Conghi, Matambæ* &c. *lib.* 1. Aquam Stygiam vim habuiſſe incorrumpta conſervandi Cadavera deducit *Alex. Taſſonus lib.* 9. *ſuar. opinion.* ex Cardano, qui e Q. Curtio notat, Cadaver Alexandri magni, utpote aqua ſtygia venenati, incorruptum, & inſepultum ad multos dies duraviſſe, quam opinionem, ut ineptam ridet *Scaliger*, & jure.

In Galliis terram eſſe, conſervandi incorrupta Cadavera potentiam habentem ſcribit *P. Menochius in hiſtor. part.* 4. *cap.* 44. his verbis *Il P. Franceſco annati m'hà raccontato, come teſtimonio di veduta, che in Toloſa in Francia nel Convento de P. P. Franceſcani detti della grand' Obſervanza, vi è un certo ſito, la cui Terra hà proprietà di conſervare i corpi in lei ſepolti, incorrotti, de' quali ſe ne*

ſe ne moſtra ivi buona quantità poſta per ordine, e ſi va dà Foreſtieri a vedere per maraviglia.

Syros reſinâ corpora ſuorum mortuorum medicata ad longum tempus aſſervaſſe notat *Alex. ab Alexandro, lib.* 3. *gen. dier.*

Fumo nonnulla Cadavera olim condita fuiſſe, & ità ad longiſſimum tempus duraviſſe legitur apud multos, & præſertim apud *Licetum de lucernis.*

Panebios caput Regis ſui mortui auro circumtectum, conditum, atque ornatum ad æternitatem poſuiſſe, ait *Porcacchius in Funer. antiquis*: *his* verbis: *I. Panebii tagliavano la teſta al Rè morto, e indorandola bene, le conſagravano un tempio &c.*

Cedrino Unguento ad æternitatem accommodata fuiſſe Cadavera legitur apud *Gerardum Von Stotten* in *Amænit. Hiſtoric. Græc. & Rom. centur.* 1.

Afros Græcorum morem imitantes olim Cadavera ſuorum mortuorum Balſamicis liquoribus accommodaviſſe ſcribit *Boem. Aubanus in ſuo libro de Morib. Legib. & ritib. omnium gentium cap.* 6. *lib.* 1. qui de Africa agit.

Plura cupienti de variis condiendi Cadavera modis apud VETERES dabunt *Herodotus, Diodorus Siculus, Jo. Stephan. Menochius in Storeis; Kirchmannus de Fun. Rom. Thom. Porchacchius in Fun. Antiq; Alexander ab Alexandro Genial. dier. libro; Aldrovandus lib. de Inſectis; Caſpar à Reies in camp. Elyſ. jucund. Quæſtion. Tiraquel. in not. ad Alexandr. Plutarchus in vitis Illuſtr. virorum;* & alii plures tam Antiqui, quam recentes Scriptores.

CAPUT VIII.

De Mumiâ.

QUia Mumia per Authores nil aliud eſt, quam Cadaver Balſamatione accommodatum, ideò nonnulla in capite præſenti mihi liceat afferre de Mumiâ ex variis Scriptoribus collecta. Mumia vocabulum eſt Arabicum, & Perſicum, monente *Braſa-*

Braſavola, & *Brunone in Lexic. Med.* quod per Rhaſim, Avicennam, Dioſcoridem, Serapionemque piſſaſphaltum denotat, de quo *Scaligerus*, Bellonius, & Agricola; per Iſaachum autem liquamen quoddam in ſepulturis inventum ſignificat, in quibus Hominum Cadavera aromatibus condita per multos Annos ſervata fuere. Aſt *Bernardus Cæſius* Jeſuita ait, *nomen Mumiæ Mauritanum eſſe, & ſignificare utiliſſimum ad medicos uſus ſuccum.*

Sex eſſe Mumiæ ſpecies novi apud Scriptores; prima naturalis, quæ Serapionis dicitur, & piſſaſphaltum eſt, aliæ quinque artificiales ſunt, de quibus erudite ſcribit *Illuſtriſſ. D. Paulus Maria Terzagus Medicus Mediolanenſis præſtantiſſimus, Patronus, ac Amicus meus ſemper colendus in Muſæo Septaliano; ex Latinis Italicis vocibus donato à P. Franc. Scarabello*, Secunda ergò Mumiæ Species Arabica, & Ægyptiaca nobilium dicitur, ex Aloe, Croco, Myrrha, & aromatibus confecta, de qua videatur Wormius in *Muſæo lib.* 3. *cap.* 26. hanc verò Mumiam, quæ olim in defunctorum Regum, & Heroum Ægyptiorum ſepulchris tantum inveniebatur, modò ad nos non pervenire ait *Zwelferus in Pharm. Auguſt.* in tanta enim æſtimatione apud Ægyptios ſunt Regum ipſorum Cadavera, eaque tam reverenter habent, ut nonniſi in magna egeſtate, tanquam prætioſiſſimum ſuum diadema, pro magno ære aliis oppignorent. Porrò Arabum Mumiam antiquiorem, & pretioſiorem ita paratam fuiſſe legitur in *Muſæo Calceolariano à Ceruto* incepto, & à *Chiocco* perfecto, *ſect.* 6. Mos erat Arabum, cum quis nobilitate præſtans moriebatur, corpus ungebant unguento ex Aloë, Myrrhâ, & thure confecto, inde pannis lineis opertum corpus in conditoriis ſervabant, temporis progreſſu accedente corpori putredine, & colliquata pinguedine cum illâ conditurâ fermentatâ, mixtura optima fiebat; hanc & ſepulchris ſubreptam Mercatores in Europam deferebant, ut optimè notat *Montanus in lib.* 1. *Avicen. cap.* 1. *de humoribus*; de hac plura apud Mathiolum in *Dioſcor. lib.* 1.

Tertia Plebeorum Ægyptiorum conditura eſt, bitumine minoris diſpendii facta, quam illam eſſe, quæ frequenter ad Europæos transfertur, teſtatur *Laur. Legatus in Muſ. Coſp.* & *Jul. Cæſ. Scaliger de Subtil. ad Cardanum*; de hac loquens *Zwelferus loc. cit.* ait: *quæ*

ad nos autem hodierna die tranſportantur Cadavera nigricantia linteis involuta, ſæpènumero fœdiſſimâ morte defuncta, nil minùs ſunt quam vera Mumia Ægyptiorum, quæ ipſa etiam tantum abeſt, ut utiliter intrà corpus aſſumi, quin magè plurimum obeſſe poſſit: de hac plura apud *Joh. Daniel. Horſtium in Pharmacopæa ſuâ.*

Quarta Piſſaſphaltum eſt factitium ex bitumine, & pice conflatum, quod tamen negare videtur *Fer. Imperatus in hiſtor. naturali lib.* 14. his verbis; *ſono ingannati alcuni che il Piſſas falto fuſſe coſa compoſta di pece, e di bitume.* Quinta Mumia recentium dicitur, quæ fit carnibus juvenis morte violentâ interempti, expoſitis ſolaribus radiis, indè in umbrâ reſervatis, conſperſis pulveribus Myrrhæ, & Aloes, & poſtea aquâ vitæ irroratis, & in umbroſo loco ſiccatis; de qua plura apud Schroderum & Crollium.

Sexta Cadaver eſt ſub arenâ ſepultum, & exſiccatum à fervidis ſolis radiis, ut accidit apud ſolitudines Ammoniorum intra Cirenem, & Alexandriam, ſi *Legato* credamus, ubi viatores ſub arenæ montibus prius ſepulti, quam mortui remanent, monente *Daniele Bartolo* in *Geograph. moral. cap.* 24. undè *Solinus* ſcripſit; *ita etiam continens naturam maris patitur, nec intereſt, ubi potius ſint procellæ, cùm ad exitum viantium Elementis congruentibus in Terris Flabra ſæviant, in Marri Terræ;* cujus natum quoque eſſe arenas in fine Judeæ cecinit *Taſſus can.* 17. *Hieruſ. liber.*

Gaza è Città della Giudea nel fine,
Su quella via, che in ver Peluſio mena,
Poſto in riva del Mare, & ha vicine
Immenſe ſolitudini d'arena;
Le quai, com' Auſtro ſuol l'onde Marine,
Meſce il turbo ſpirante; onde à gran pena
Ritrova il Peregrin riparo, o ſcampo
Nelle tempeſte d'ell, inſtabil campo.

De iſtis Mumiis ſub Arenæ Montibus repertis ſcribens Illuſtriſſ. D. *Carolus Patinus* in Archilycœo Patavino Lector primarius, Patronus, atque Amicus meus ſemper colendus in *ſecunda Relatione ſuor. itiner.* è Gallico ſermone in Italicum tranſlatorum opera

Anto-

Antonii Bulifoni, ait, *Venè uno in Ulma nel gabinetto del Signor Veiemano, che mi pare altrettanto maraviglioſo, quanto, che eſſendo tuto intiero, ſi è conſervato ſenza Balſamo, e ſenza medicamenti: Fu ritrovato nel ſecolo paſſato nelle Arene dell' Arabia: l'ardore del Sole, che ivi è violente, ha veriſimilmente diſſipato tutta l'umidità di queſto corpo, &c. & hò letto in Herodoto, che un' Armata fù oppreſſa da una montagna d'arena, che il vento traſporta alcune volte, e che molt' Anni dopo, un vento contrario havendo ripoſto queſt' arena nel ſuo luogo primiero, ſcoprì agli abitanti li corpi di queſti Soldati coſi intieri, come ſe fuſſero ſpirati quel giorno ſteſſo.*

De Mumiæ virtutibus varia narrant Doctores, nam hanc reſolvere ſanguinem coagulatum ait *Bacco de Verulamio*; aliique dicunt conferre tuſſi, punctioni lienis, inflationi corporis, menſibus obſtructis, aliiſque uteri affectibus. Varia ſunt medicamina ex officinali Mumiâ, ut Tinctura, de qua *Crollius*, & *Quercetanus*; Elixir, de quo *Andr. Tenzelius in med. diaſtar.* & *Schroderus*; Arcanum ſuum, carnis Humanæ dictum, ex Mumia parat *Petr. Joan. Faber*; oleum Mumiæ *Quercetanus* componit; de oleo exaltato Mumiæ loquitur *Libavius*: Notat *Ettmullerus in Schrod. dilucid.* nullum ferè unguentum in graviori vulnere ſine admixtione Mumiæ præparatæ artificialis parari: de qua ſuprà *num.* 5. Aquam Divinam dictam præparat *Schroderus* ope Mumiæ.

Mumiam autem, quæ eſt confecta à corpore ſub arenâ ſuffocato, ut vidimus ſuprà, nullam in ſe habere qualitatem, ait *Montanus loc. cit.* non habet enim niſi ſummam terreſtreitatem, & faciunt nos devorare iſta Cadavera, inquit ipſe *Montanus*, ſic torrefacta, & aduſta pro nihilo: Veram autem Mumiam, quæ in ſecundo loco à nobis fuit in præſenti capite deſcripta, mirandum in modùm juvare dicit *cit. Montanus* ad convulſionem tollendam; & hæc optimè datur etiam in potu, ad ſanandas contuſiones tam interiores, quam exteriores; hanc capitis dolorem, paralyſim, epilepſiam, vertiginem, cordis paſſiones, & incontinentiam urinæ curare aſſumptam, tradit *Joſeph Donzellus in ſuo Theatro Pharmac. part.* 3.

Multi fuere Doctores, qui docuerunt poſſe fieri veram Mumiam in Xenodochiis, ponendo nimirum Myrrham, aliaque aro-

mata in ventriculo mortuorum, deinde eos ſepelire in loco ſeparato, & poſt duos, treſve Annos extrahere, & Mumiam habere; quod tamen ego non approbo, neque credo, tam facilè Mumiam haberi poſſe, neque tam facilè corruptionem Cadaverum arceri.

Quia verò difficillimum eſt in tantâ varietate, & diverſitate, optimam habere apud nos Mumiam, hoc remedii genere ſine Pharmaceutices incommodo facile carere poſſumus, ut optimè monet *Frid. Hofmannus Com. in Schroder.* & hujus loco alia medicamina ejuſdem energiæ ſubſtitui queunt, Mumiis ad nos delatis ex Pharmacopoliis exulantibus, & pro explenda curioſorum cupidine, ad conclavium ornamenta repoſitis, majoris ſecuritatis gratiâ, vel Arte confectas Mumias, vel alia medicamenta ex carne humanâ præparata adhiberi poſſe, docet *cit. Hofmannus.*

De Franciſco primo Galliæ Rege ſcribit *Bellonius* nuſquam profectum eſſe, quin ſecum haberet Mumiam, & Rhabarbarum: A Saxonibus ſe audiviſſe, narrat *Caſpar. Hofmannus* in *Paralipom. officinal. cap.* 7. apud ipſos nullum convivium tranſigi poſſe ſine *Mummei*, ut appellant: & Radzevillus ſcribit, ſe voluiſſe ſecum in patriam, duo talia Cadavera condita ferre, ſed in mari ſingulis noctibus vexatum à duobus atris diabolis, abjeciſſe in profundum, & liberatum à moleſtia.

De Mumiâ leporinâ mentionem facit *Phil. Jacob. Hartmannus in Miſcell. curioſ. decad.* 2. *Ann.* 7. *obſerv.* 20.

De Mumiâ loquendo *Avicenna, de virib. cord. tractat.* 2. ait, *Mumia calida eſt in fine tertii, ſicca pro ut creditur in primo; ineſt autem ei proprietas omnem ſpiritum confortandi, quod adjuvat continuativa viſcoſitas;* & *lib.* 4. *fen.* 5. *tract.* 3. docuit, Mumiam eſſe Medicinam mirabilem ad corporis reſtaurationem, quod confirmat *Wedelius.*

Mummiam ſummopere ad Epilepſiam fugandam laudare Paracelſum, ait *Dolæus in Encyclop. med. lib.* 1.

Contra aurium dolores hanc valere ſcribunt multi; Singultum ſedare volunt alii; Venenis obſtare ait *Matthiolus*; Sanguinis fluxus ſiſtere docent Practici; Virtutem corroborandi habere notat *Schrœbes* in *Theatro Pharmac. lib.* 2. ob ſuam potentiam ſympathicam cum

noſtro

noſtro humido radicali quam in ſe habet Mumia; meritò igitur à non paucis Autoribus Elogia Mumiæ conſcripta ſunt; hoc enim ſæpè magnum eſt Remedium.

Optanti plura de Mumiâ dabunt Clariſſ. & nunquam ſatis laudatus D. *Terzagus* Patronus ac Amicus meus magnus in *Muſæo Septal. Cerutus* in *Calceolariano*; *Muſæum Moſcardum*; *Gabriel. Bremond.* in ſuis *itiner.* Gallicè ſcriptis, & ad italicum ſermonem tranſlatis à Bruno, commendato ab Illuſtriſſ. Equite *Mandoſio* in *tom. 2. Bibliothecæ Romanæ*, & alii.

CAPUT IX.

De Recentibus Balſamandi Cadavera modis.

SIcuti variæ fuêre, uti vidimus ſupra, condiendi Mortuos rationes uſurpatæ ab Antiquis, ita varii ſunt à Recentioribus Balſamandi Cadavera modi adinvinti, quos in præſenti capite breviter tangere fas eſt, ut promiſſis facta reſpondeant. Non incongruum ergo cogitavi in ultimo hoc, iſtius mei tenuis tractatuli, capite, varias præcipuorum Medicorum Balſamandi formulas proponere, ut inde Lector ſeligere poſſit illam, quæ ipſi magis arrideat, & ſi aliquæ nimium ob ſumptum difficiles apparuerint, nonnullæ fortè placebunt non tam ſumptuoſæ atque faciliores; ſi enim unicam tantum propoſuiſſem, omnium palato non ſatisfeciſſem, quam communem ſatisfactionem maximè ſuſpiro. Veniat ergo primò in conſpectum Lectoris *Rhaſis* Sententia de Cadaveris Conditura, qui vult, ut clyſterizentur corpora medicanda, medicinis acutis ſiccis, cum colocynthide, addito multo Sale, ipſo corpore exiſtente erecto, ita ut venter comprimatur, & ſic excrementa egrediantur: Hoc facto ſi expedit aliud injiciatur clyſterium ex Aloë, Myrrha, Acacia, Galia Moſc. Alipta Moſcat. Nuce Cupreſſi, Nuce Myriſtica, Cinnamomo, ligno, Aloes, Santalis, Croco, Alumine, in aceto, & aqua Roſarum diſſolutis, illud totum injicia-

tur in inteſtina; deinde anus bene ligetur, cum multiplici compreſſione, ac faſcia, ne liquor exeat; deinde corpus cum alkitra, ideſt pice nigra, liniatur; deinde auribus, naſo, & ori argentum vivum injiciatur, iis enim cuſtoditur nè effluat cerebrum. Inde totum corpus ſparadrapo facto ex Pice Nigra, Reſina, Colophonia, Thure, Maſtiche, Storace, Gummi Arabiæ Tragacantha, & pulvere jam in ſecundo clyſtere dicto involvatur, priùs tamen brachiis, tibiiſque per ſe involutis.

Balſamandi modum, quem Medici obſervaverunt in conditura Cadaveris *Alexandri Papæ quinti*, de qua *Petr. de Argelata* multa ſcribit, nunc deſcribo. Primò præceperunt miniſtris, ut ſcinderent ventrem à pomo granato uſquè ad os pectinis, reſpiciendo tamen, ne inteſtina rumperentur: Deinde inteſtino recto ligato in duobus locis, & conſequenter in medio ſiniſtri inciderunt, & ſuperiùs, uſque ad duodenum ſimiliter, & ſic extracta fuerunt inteſtina munda, abſque fœtore; hoc modo, & Hepar, Splenem, Reneſque vaſis interceptis, ligatiſque, & inciſis eximebant, omnibus in capſam poſitis: deinde ad Spiritualia tranſeuntes, remoto pulmone à corde, eodemque modo mery, ac ſtomacho cum ſuis ligaculis; ſed cum volebant extrahere linguam, & non ſcirent, Medicus hoc videns incidit ipſam ſub mento & illam extraxit per illum locum, cum trachea, & mery; inde amovit aortam, & cavam, & reſiduum inteſtinum; ligatum uſque ad anum incluſivè; hoc completo benè ſiccarunt omnia loca ſpongiis, poſteà poſuerunt in ventre plurimum de aqua vitæ; hinc omnibus de novo ter, quaterque cum ſpongiis exſiccatis de pulvere ſequenti in ventre poſuerunt;

℞. *Myrrhæ, aloes ſuccotrina, caballinæ, acaciæ, macis; gall. moſc., aliptæ moſc. ſantalorum omnium, ligni aloës, cumini, aluminis uſti, ſanguinis draconis, boli armenæ, terræ ſigillatæ, ana part. æqu. f. Pulv. quo impleatur, totus venter, interponendo ſemper de bombace; & iterum de pulvere, uſque dum totus venter repleatur.* Inde miniſtri ſuerunt ventrem cum acu, ut pelliones pelliceas veſtes conſuere ſolent, & ita gula quoque pulveribus referta. Tandem balſamum colliquatum cum albumine ovi, & bombace intinctum ano poſitum fuit, & eodem modo, & alia

alia bombax intincta eſt, ac in ore poſita, & in naribus, & auribus. Deinde habebant ſparadrapum confectum ex cera, & terebinthina, & totum corpus fuit hoc ſparadrapo involutum, & alligatum.

Modum, quô Nobilium corpora condita fiunt, à *Gregorio Horſtio*, & à me quoque commendatum in *Animadverſ. meis Anno* 1688. *impreſſ. pag.* 328. nunc expono: Accipitur videlicet primò vinum ſublimatum ad menſuras duas pro abluendâ poſt exenterationem tota cavitate interiore pectoris, & abdominis, quæ poſt factam ablutionem terebinthina undique aſpergatur, ut pulveres, & herbæ injiciendæ melius adhæreant, poſtea ſequentibus impleatur.

♃. *Foliorum Roriſmarini, Lauri, Hiſſopi, Abſinthii, Serpilli, Pulegii, Menthæ, Rutæ, Salviæ, Origani, Scordii, florum Anthos, Lavendulæ, Chamomillæ, Stœchados, Spicæ, aña, man. ij. Seminum Carvi, fœniculi, aña libr. ß. Radicis Gentianæ, Caryophyllatæ, Angelicæ, Valerianæ aña libr. j.* omnia incide craſſo modo; inde

♃. *Aloës lotæ, libr. ij. Myrrhæ libr. ß. Maſtiches, Thuris, aña, unc. ij. Benzoini, Styracis Calamites, Ladani, Cinnamomi, Cariophyllatæ, Macis, Croci, aña, ℥j. Mumiæ ℥j. Craſſoque modo contuſa miſce cum præcedentibus & omnia hæc capacitati injiciantur,* corpuſque ſuturis occludatur, ac ſequentibus oleis totum corpus inungatur;

♃. Olei Abſinthii, Spicæ, Rutæ, Chamomillæ, ana, ℥iv. Olei Juniperini, Laurini, ana, ℥ij. Petrolei, ℥jß. Olei Terebinthinæ, ℥j. Miſce ad incerationem autem induſii, quo corpus poſt inunctionem induatur;

♃. *Terebinthinæ lib. iij. ceræ, lib.* 1ß. *& diſſolve cum oleo pro cerato.* Tandem pro implenda narium, & aurium cavitate;

♃. *Olei nucis moſchatæ expreſſi unc.* ß *olei deſtill. caryophyl. unc.* ℥ß.

Conditura, qua uſus Fuit *Foreſtus* in condiendo corpore D. de Abbenbroek talis eſt.

♃. *Salis communis lib. vj. cum lib. iij. aloës caballinæ, lib. ij. vitrioli, myrti lib. j. myrrhæ quart. j. boli lib. v. corticis aurantior. unc. v. flo-*

v. florum camomillæ lavendulæ, anthos, majoranæ, origani, pulegii, calaminthæ abrotani, menthæ, meliſſæ, menthaſtri, thymi, abſinthii, rutæ, ſalviæ ana m. v. f. Pulvis pro conditura; Aperiuntur ergo, ait ipſe *Foreſtus obſerv. 29. lib. 29.* mortuorum Cadavera, & viſcera omnia extrahuntur, & cavitates pulvere ſuperius dicto impletæ clauduntur.

Promittit *Ludovicus de Bils* in fine ſui operis impreſſi Roterodami 1661. 4. cui titulus *Specimina Anatomica*, brevem, atque compendioſam Hiſtoriam eorum, quæ ſpectant Artem, ac ſcientiam condiendi Balſamo Cadavera; verùm titulo verba non reſpondent, narrat enim in paucis illis paginis controverſiam habitam pro Cadavere condiendo, ſed nullum docet modum, nullamque exhibet formulam, quâ poſſint condiri Cadavera, undè Lectores non inſtruit, ſed decipit: Aſt non ita ſanè facit *Thom. Burnetus in ſuo Theſaur. Med. pract.* qui, ex *Solenandro* deſumptum, Balſamandi modum, candidè exponit his verbis. *In Italia hic ordo ſervatur; primùm Pharmacopolam jubent, ut hæc ſimplicia adornet, quorum poſtea in conditura uſus erit.*

℞. Roſarum rubrarum abſinthii, lavendulæ, nuncis cupreſſi, ſalviæ ana m. iij. calami aromatici, ſpicæ nardi, ana m. j. myrrhæ, maſtiches aloës, ana unc. j. ß cinnamoni, macis, nucis moſchatæ caryophilorum croci, ana unc. j. aluminis rupei, acaciæ ana unc. ij. ſalis communis, lib. j. cumini, furfuris torrefacti ana lib. 1. contuſa omnia groſſo modo ſerventur ad condituram: Item

℞. Aquæ vitæ lib. x. aceti, lib. xv. ſtupæ cannabinæ lib. viij. ſpongias magnas num. iv. Iſta omnia parata habere decet; Adminiſtratio autem conditura hâc ratione perficitur. Inciſo ventre longitudinaliter, atque latitudinaliter, detractô etiam ſternô, & ſerra ablatô craniô, auferuntur omnia interanea omnium trium cavitatum: Poſtea totum corpus intus aquâ frigidâ primò eluitur, ac ſpongiis abſtergitur; ſecundò aceto acerrimo; tertiò aqua vitæ diligentiſſimè: Deinde facta cum ſiccâ ſpongiâ abſterſione, pulvis inſperſus infricatur, ea ratione, quâ ſuillam carnem ſale condimus: Tandem faldellæ ex ſtupa, aut cotto, aqua vitæ immerſæ, & rurſus manu expreſſæ undequaque carni applicantur, inſperſo una pulvere, quibus cavitas ventris, pectoris, & capitis tota impletur, ac demum

mum conſuitur cutis: poſtremò omnium linteo incerato, calente adhuc, Cadaver obvolvitur, ita tamen, ut digitus à digito ſit ſeparatus: Denique Cadaver linteo incerato involutum pro Colophone Pici Navali illinitur: Conſervatur Cadaver hac ratione conditum ad decem, vel plures Annos: quòd ſi diutiùs adſervari velis, omnes muſculi totius corporis longitudinaliter inciſi, & præſcriptô modô eloti, pulvere erunt inſperſgendi, & apprimendi.

Cadavera condiendi modum apud Europæos adſignat *Aldrovandus lib. 6. de Inſect. cap. 2.* his verbis: *Reges noſtri Europæi, Magnateſque ſua Cadavera condiri curant Medicis, & Chirurgis, qui primùm exenterant corpus, corde ſeorſum habitô, ut per ſe conſanguineorum arbitriô condiri poſſit: Cerebrum deindè, ſerrà divisô craniô, avellunt; hinc profundis plagis ſecundùm brachiorum, femorum, crurum, & dorſi, lumborum; ac narium longitudinem deducunt, præſertim quà parte venæ majores, & arteriæ excurrunt: primùm quidem ut ſic exprimatur ſanguis, qui alioqui corrumperetur, & putredinis initium reliquo corpori præberet, deinde ad aromaticos pulveres inſpergendos lavant ſpongia madefacta in aqua vitæ, aut acri aceto, in quo incoxerint abſinthium, aloe, colocynthis, ſal commune, & alumen; deinceps ventres tres, plagas, ductuſque corporis infarciunt aromatibus ſequentibus craſſiuſculè tritis.*

℞. Pulveris roſarum chamomillæ, meliloti, balſami, menthæ, aneti, ſalviæ, lavendulæ, roriſmarini. majoranæ, thymi, abſinthii, cyperi, calami aromatici, gentianæ, ireos florentinæ, aſſæ fœtidæ, caryophylorum, nucis moſchatæ, cinnamomi, ſtiracis calamitæ, benzoini, myrrhæ, aloës, ſantalorum omnium, q. ſ. conſuunt plagas, & hiatus ne quid decidat: mox totum corpus inungunt terebinthinà liquefactâ cum oleo camæmelino, & roſaceo, additis oleis aromaticis per quintam eſſentiam extractis, iterumque conſpergunt pulvere commemorato, inde tenuiſſimo involvunt linteo, mox telâ ceratâ; Ubi verò aromatum non adeſt copia, calce extinctâ, ac querno cinere utuntur, fortique aceto, & lixivio Cadaver lavant, ac loco frigidiori reponunt, ſi æſtas ferveat. Talis autem modus Balſamandi doctus fuit olim ab *Ambroſ. Pareo* in fine ſui operis, ubi de conditura Cadaverum tractat, immô narrat ipſe Pareus, hac arte conditum à ſe fuiſſe Cadaver unius Rei, quod domi

ſuæ conſervatum à pluſquam quinque & viginti annis extitit incolume; adeò ut ſingulos dexteræ partis muſculos (quos capite tenus exſecuit, & pendulos à circunſtanſtibus diſtinctionis gratiâ, revulſi, quo ipſos quoties libebat oculis luſtrare, & manibus tractare poſſent) numerare poterat ſpectator parte ſiniſtrâ illibata, pulmoneſque, cor diaphragma, ventriculum, lienem, renes, barbam, capillos, imò & ungues, quos reſectos à ſe crebriùs increſcere, & ad priorem mox magnitudinem redire obſervavit, notare ſingulatim poterat curioſus inſpector.

Clariſſimus *P. Andr. Matthiolus*, & *Sim. Pauli* tradunt, Scordium optimum eſſe ad incorrupta ſervanda Cadavera; referunt enim multi celebres Viri, quòd cùm in prælio interemptorum Cadavera multos ad dies inſepulta jacuiſſent, quæcumque ſupra ſcordium forte fortuna ceciderint multò minùs aliis computruerint, eâ preſertim ex parte, quâ herbam attigerant.

Joſeph Donzellus in petitor. Neapolit. pag. mihi. 279. modum Balſamandi Cadavera deſcribit, quem, ut jacet exponam, ne quid eruditionis, & fidei minuatur; iſtius Auctoris ergo verba hæc ſunt. *Un giorno naturale dopo, che il Corpo ſarà rimaſto ſenza Anima, ſi dovrà lavare con vino temperatamente caldo à fine di pollirlo da ogni ſordizia eſteriore, e doppo farlo aprire nel torace, e trarne le parti vitali, e condire ſeparatamente il cuore à guſto de parenti: Dopo ſi ſpremerà il ſangue contenuto nella vena cava, e l'arteria aorta, & aſſorbirne con ſpongia tutte le humidità: Polito bene il torace ſi aprirà il ventre inferiore cavandone le parti naturali, & aſciugando ſimilmente con ſpongie la cavità: Aſciugate, che ſaranno le dette due cavità, ſi laveranno diligentemente con ſponghe infuſe bene in aqua vita, aceto, liſſiva, o aqua ſalſa, laſciando bene aſciuttar ogni parte: fatto queſto ſi dovrà ſegare il cranio, e cavarne tutta la ſoſtanza del cervello, e lavare come di ſopra la parte vuotata, laſciandola ben aſciuttare; ſi dovrà poi attendere alle parti muſculoſe, e dividerle con profonde inciſioni, maſſime verſo le natiche, e coſcie, e le parti più carnoſe delle bracia; evertendo di levare ogni pinguedine dal ventre, e farla ſeppellire con l'interiora; ricordandoſi di lavare tutte le ſudette parti con aceto, & aqua ſalſa, e bene aſciugate empirle delle ſeguenti polveri deſcritte da Franceſco Ranchini.*

℞. Calami aromatici, Cyperi, Ireos Florentinæ, Ariſtolochiæ rotundæ, Stiracis calamitæ, Benzoini, Ladani, Myrrhæ, Aloes, ana lib. ß Caryophyllorum, piperis, Nucis Moſchatæ, Cinnamomi, ana unc. iij. foliorum ſiccorum Majoranæ, Origani, Calamenthæ, Scordii, Pulegii, Abſinthii, Salviæ, Roriſmarini, Lavendulæ, ana m. iv. Roſarum, Balauſtiorum, ana pug. vj. Aluminis, Salis, Calcis vivæ, Gypſi, ana lib. j. m. f. Pulvis. Con queſta polvere ſi riempiono tutte le parti vuote, e poi ſi cuſciono, e tutto il corpo ſi unge di Terebentina liquefatta con oglio Roſato, ò pure in ogli Aromatici deſtilati di Timo, Salvia, Lavendola, Garofali. Il Corpo poi aſperſo della parte piu ſotile della detta pulvere s'involge in un ſotiliſſimo panno, e ſopra s'involge di tela incerata, e ſi ripone in caſſa impiombata. Hæc citatus *Donzellus.*

Spiritum vini à corruptione, & putrefactione Cadavera defendere, ait *Michael Savonarola Medicus noſter Ferrar. in ſuo Libro de Viribus Aquæ Ardentis:* & mihi nuper per litteras ſuas humaniſſimas communicavit inſignis Medicus, perfectiſſimus Antiquarius, & Clariſſ. Philologus *Dom. Eques Carolus Patinus*, Spiritum vini egregiè conſervare molliora corpora, ut infantium &c.

Dupplicem modum Balſamandi Corpora notat *Cl. Blancardus*, Humidum nempè, & ſiccum.

Humidè Balſamari poſſunt per muriam vel lixivium fortiſſimum, ex Marino ſale, & alumine; vel per oleum terebinthinæ, vel per ſpiritum ex myrrha, olibano, maſtiche, Súccino, & ſpiritu vini deſtillatum, quem ob eximium in medicina uſum Spiritum matricalem vocat ipſe *Blancardus*: vel per immiſſionem Balſamicorum liquorum ope Siphonis per os in corpus.

Siccè Balſamari poteſt Cadaver per infumationem, quod fit ſuſpenſis ſuprà ignem quidem carnibus, ſed ita ne flamma contingere poſſit; vel ſiccatio fit, monente *Caſparo Hofmanno*, cùm Cadaver ſervatur in loco ſicco; Modus verò egregius, atque ſanè ſingularis ſiccæ Balſamationis legi poteſt apud *Blancardum tractat. de Balſamatione in fine ſuæ Anatom.* poſito; ubi etiam hic Auctor modum tradit Balſamandi viſcera præcipua corporis humani, ut jecur, lien, pulmo, &c. ut tali ſcilicet pacto poſſint quovis tempore in publicis Anatomicis repræſentari; ideò-

que curioſum Lectorem ad iſtum librum remitto; ne ſcilicet ab ipſo ſcripta, reſcribam, & ſic crambem bis coctam apponam.

Reſcribere autem hic mihi liceat formulam Balſamationis; quam in libro Manuſcripto inveni, quem librum ſine Auctoris nomine inter catervam Manuſcriptorum in meo Muſæo ſervatorum teneo; hæc autem talis eſt.

℞. Terebintinæ unc. vi. Incenſo unc. ij. Aloè Succotrino, Maſtiche ana unc. j. ß Garofani, Galanga, Cinamomo, Zaffarano, Nocis Moſc. Cubebe, ana unc. j. Gomma di Foco unc. j. Gomma Edera unc. iij. contuſo groſſamente il tutto, e poi meſſo in Storta di Vetro, e deſtilla per arena, primà verrà l'Aqua e dopo l'Olio, del quale ongendone un corpo morto lo conſerva intatto uſando però prima le debite eſpurgationi delle parti interne, e incidendo le parti carnoſe e inſinuandoli del ſudetto Balſamo.

Joan. Daniel Geierus in Miſcel, Acad. natur. curioſ. decur. 2. Ann. 8. obſ. 137. modum docet facilem ad conſervanda animalium corpora; qui talis eſt.

℞. Spiritus vini rectificati lib. j. Succini Albi unc. ij. digere in B. M. per 48. *horas, adde pulveris Sandarachæ Albæ, Maſtiches ana unc. j. Terebinthinæ Venetæ unc. j. ß & itidem B. M. impone per* 24. *horas, donec omnia ſint ſoluta;* de in accipe Animalia probe exenterata, immitte Spiritui Vini rectificato mixto ſaccharo clarificato per aliquos dies, deinde obduca, aut inunge vernice, uſque dum inſtar vitri albi ſplendeſcant, ſic ad longum tempus durabunt.

Sequentes deſcriptiones medicamentorum pro conditurâ Cadaveris aſſignat, poſt debitam corporis exenterationem, & optimam purgationem, *D. Georgius Tobias Durrius in Miſcel. Curioſ. Anno ſuprà dicto obſerv.* 170.

℞. Aceti Acerrimi lib. xij.

℞. Aloës Succotrinæ lib. ij. Myrrhæ Thuris, ana lib. j. Nucis Cupreſſi, Gallarum ana lib. j. florum Acaciæ, Nucis Moſchatæ ana unc. iiii. Santalorum Omnium, ligni Aloës ana unc. ij. Sem. Cymini lib. j. m. f. Pulvis Subtiliſſ. & cum Reſinæ Pini, & Therebinthinæ ana lib. iv. Picis Navalis lib. ß. Olei Spicæ & Juniperi ana q. ſ. m. f. Unguent.

Herba-

℞. Herbarum Majoranæ, Lavendulæ, Spicæ, Lauri, Scordii, Pulegii, Abſinthii, Roriſmarini, Salviæ, Menthæ, Calaminthæ, Origani, ana m. x. Inciſ. groſſo Modo. m.

℞. Olei Spicæ lib. ij. Therebinthinæ lib. j. *ſ. Olei Nucis Moſchatæ Expreſſi, unc. j. Olei Caryophylorum dracm.* ß. *f. Linimentum.*

℞. Therebinthinæ de Cypro unc. ij. ß. *Olei Cinnamomi drachm. j. Olei Spicæ unc.* ß. *Zibethi* ʒß. *Moſchi* ℈.*j. M. pro Unguento &c.*

Nobilem Balſamandi formam tradit *Charas in Pharmac. Galen. lib.* 2. quam videat curioſus Lector.

Methodum Balſamandi corpora ſine præviâ eviſceratione communicavit in ſuo tractatu *Gabriel Clauderus*, mediante liquore ſpirituoſo penetrante è ſale armoniaco, & cineribus clavellatis; verum in *Miſcelan. Acad. Curioſ. decur.* 2. *Ann.* 8. ipſe *Clauderus* loco cinerum clavellatorum ſubſtituit calcem vivam, cum alcalica hujus contumacia cujuſvis aëris injuriam eludat; & notum non minus eſſe, ait hic Autor, D. Kerkringium, virum de Medicina optimè meritum oſtendiſſe curioſis fœtum Hamanum ſuccino molificato obductum.

Multi corpora mortuorum conſervant, ea illinendo vernice, quæ fit è Therebintinæ parte una, & Olei Pini partibus tribus.

Nunc autem Balſamandi Methodum à *Jo. Helfrico Junken, in med. præſ. ſæcul. accomm. ſect.* 2. traditam videamus. Mortuus, ait loco ſicco reponatur; hinc Balſamator corpore aperto viſcera extrahat, cum cerebro, artificiosè tamen, ne faciem lædat, cavitates abluat aquâ salsâ, vel vini ſpiritu, poſtea ſpergat cavitates Terebinthinâ coctâ, & Maſticis, vel Succini pulvere, impleat poſtea cavitates ſequenti pulvere.

℞. Aloës, Myrrhæ, Colophoniæ ana p. unam, Benzoini Aſphalti, Succini, Cinamomi, Caryofilor. Croci, ana p. ſ. Salis optimi p. unam & ß *m. f. Pulvis:* inde conſuat corpus, & inungat ſequente linimento.

℞. Olei Terebinthinæ lib. ij. lavendulæ ℥*v. Succini, lib.* ß. *Spicæ* ℥*ij. Cariophylorum* ℥*ſ. m. Superinfunde Sulphuri, cum ſale Tartari cocto, ut extrahatur tinctura, & f. Balſamum.*

Faſciæ

Faſciæ autem, quibus corpus involvi debet ſequenti liquore intinctæ ſint.

℞. *Reſinæ Pini, lib. iij. Colophoniæ, lib. j.ß Maſtiches Succini, ana lib. ß. Storacis liquidi, Gummi animæ Therebinthinæ ana, lib. ß, Olei Lauri, Juniperi, Spicæ ana ℥. viij. Petrolei ℥iv. Lavendulæ ℥ij. Ceræ q. ſ. m. f. S. A. Linimentum:* Servetur in loco quoad poſſibile ſicco: atque hoc modo durabit corpus diutiſſimè.

Poſt debitas Cadaveris exenterationes, & purgationes, adhibendo ſequentia, ſe optimè Cadavera conſervare mihi affirmavit Chirurgus quidam.

℞. *Foliorum Nicotianæ, Pulegii, Scordii, Salviæ, Roriſmarini, Serpilli, Calaminthæ, Camomillæ odoratæ, Abrotani, Dictamni Cretic. ana, ℥ij. foliorum Roſarum, Anthos, Citri, ana m. j. Semin. Fœniculi, Coriandri, Piperis, Aniſorum, ana m. ß. Radicis Gentianæ, Imperatoriæ, Carlinæ, ana, m. j. Ligni Aloës, Cinnamomi. Calami Aromatici, Santalorum omnium ana ℥j. Nucis Moſchatæ, Cupreſſi, ana, ℥j. Baccarum Juniperi, Cupreſſi, ana m. j. m. & ſiccata omnia incidantur, & utantur ad condituram:* externe autem inungatur corpus Therebinthina & Oleo Roſarum atque Pice Navali, cavitates verò narium, oculorum, aurium &c. muniantur Oleo Nucis Moſchatæ expreſſo.

Tandem ex Amico habui, plurimùm facere ad Cadaverum conſervationem Balſamicam, quintam eſſentiam Roriſmarini, Spiritum Vini Canphoratum, ac Aquam Reginæ Hungariæ dictam.

Atque hæc ſunt quæ Deo adjuvante de Cadaverum Balſamatione obſervata à nobis fuerunt in tumultuaria Auctorum Veterum, ac recentiorum lectione, Plura iſtis, & meliora addet alius: Nos Scriptionis iſtius metam attigiſſe nobis videbimur, ſi alios excitaverimus ad illa inveſtiganda, atque notanda, quæ noſtros oculos fugerunt:

Si verò aliquid inter ſcribendum, aut excudendum errati irrepſerit benignè corrigas *Lector Amice*, & noli exagitare, ſi inveneris quædam minùs perfecta, minùſque exculta, nam *non*

omnia

omnia poſſumus omnes; ſed inſtar Apum meliora elige; ſi enim in hoc Tractatu aliquid gratum, & acceptum tibi fuiſſe videro, animum meum ad plura elaboranda excitabis. Laudem verò à te pro brevi hoc labore non poſtulo; mihi enim propoſitum eſt non quærere plauſum legentium, nam qui hunc ſequitur, monente *D. Hieronymo*, planctû proſequendus eſt, & incipit laude indignus eſſe, qui legentium laudem ambit.

FINIS.

INDEX CAPITUM

Tractatus de BALSAMATIONE CADAVERUM.

CAPUT PRIMUM

De Antiquitate, & Nobilitate Balſamationis, pag. 5

CAPUT II.

De Balſamationis utilitate, & Cadaverum conditorum duratione, 6

CAPUT III.

De Balſamationis definitione, cauſis, fine &c. 8

CAPUT IV.

De Mortuorum Unctione, 9

CAPUT V.

De Libitinariis, Pollinctoribus, & Unguentariis, 12

CAPUT VI.

De Cœna Pollinctura, 16

CAPUT VII.

De Variis Condiendi Cadavera modis apud veteres, 19

CAPUT VIII.

De Mumiâ, 24

CAPUT IX.

De recentibus Balſamandi Cadavera modis, 29

FINIS.

JOSEP.

JOSEPHI
LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec non S. R. I. Academiæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

DE

CORONIS ET UNGUENTIS
IN ANTIQUORUM CONVIVIIS EXERCITATIO PHILOLOGICA.

Ab Italica in Latinam Linguam tranſtulit, Sectionibus diſtinxit, notis, & animadverſionibus auxit

HIERONYMUS BARUFFALDUS,

Ph. Doct. Ferrarienſis.

Acceſſit
inſuper ejuſdem BARUFFALDI ſingulare SCHEDIASMA de ARMIS CONVIVALIBUS &c.



LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVII

Cic. Tuſcul. quæſt. l. 3.

Fungar jàm Interpretis munere, ne quis me putet hæc fingere &c.

HIERONYMI
BARUFFALDI,

De Tranſlationum neceſſitate, & de hujus Libri Tranſlationis cauſſa.

PROLEGOMENA

Ad Lectorem.

QUONIAM *univerſo Mundo non unus ſermo eſt, nec idem Verborum uſus, licet unum, idemque ſit ubique ſermocinandi inſtrumentum: ideò priſca uſque ab ætate mos invaluit, ſermones ab uno in aliud idioma, modò diſertè, modò non verbis, ſed ſententiis, vertendi; atque ità paulatim omnibus id commune factum eſt, quod, priſco linguarum diviſionis infortunio, peculiare evaſerat. Præ omnibus verò linguis, cæterarum Provinciarum triumphatrix, una illa Latina fuit omnium linguarum Regina, quæ poſt tot Populorum, Regnorum, Urbium, Academiarum everſiones, adhuc vivida, florens, ac annos perpetua juventa gerens, evaſit. Propterea qui Latinam linguam hodierno tempore callet, Univerſas Mundi Regiones peragrare valet, ſecum ubique quaſi libellum aſſertorium portans, ſeu fidum interpretem, ut ubique locorum percipiatur, ſuſcipiaturquè. Hoc idem itaquè, quod Advenæ extera loca petenti eveniret latinè*

loquendo, Libris quoque tribuendum eſt, qui quamvis conſultores mortui nuncupentur, Orbem tamen peragrare audent, ac per omnes mundi partes perſtrepere autoritate non minus, quàm facundia, & delectatione; animos quandoque mulcendo, ſuavibuſque narrationibus, ac veris exemplis, rectum vivendi uſum docendo. Conſulendi igitur cauſſa huic admodum ingenti utilitati, Patres noſtri, benè & ſapienter animadvertentes, latinam Linguam quibuſcumque nationibus communem: ex Hebraico, Græco, Syriaco, Chaldæo, & Italico, non minus quàm Gallico, & Teutonico ſermone, aliiſque plurimis, ad latinam linguam transferre conati ſunt Libros potiores præcipuarum facultatum, ut ubi nec Italica, nec aliæ linguæ in uſu ſunt, latino ſermone ſaltem prò communi eruditione ſcientia noſtra promulgaretur.

Enim verò ſecùs operam navando, continua Galliæ, Hollandiæ, Germaniæque haud compenſaremus beneficia, quæ noſtris Bibliothecis elargiuntur. Maria navigiis gravia intuemur quotidiè Voluminibus celebrioribus Autorum primæ Claſſis, mole, numero, ac argumentis rarioribus Muſæa noſtra cumulantia: Quorum excellentiſſimorum Auctorum cura fuit unicè latinè ſcribendi ad noſtram ntilitatem: quando expeditiùs, utiliuſque fortaſsè maternas linguas illuſtraſſent Gallicè, Teutoniceque ſcribendo. Nobis commune beneficium reddere ſtuduerunt, tot ſcientias pertractando, totque artes, & facultates eadem illa lingua, quæ præter vernaculam, maternamque, magis nobis in uſu eſt, & in qua adipiſcenda à teneris unguiculis, tanto temporis impendio, inſudavimus, quamque à prima adoleſcentia acquiſitam, ad ultimam ſenectutem uſque cuſtodimus.

Gallici idiomatis inter alia, non fortuito hìc ſermonem habui: quamvis penè omnia Gallorum ſtudia modo in hoc verſentur, ut maternam linguam per univerſas Mundi Regiones diffundant, quamcumque materiam, vel abſtruſiſſimam ſermone tantum vernaculo pertractantes, ut lingua quoquè univerſis dominentur nationibus: Verùm hodierni magni Regis ætatem mos iſte non ſuperat: ſi enim retrorsùm intueri datum eſſet, latinam linguam a Gallis apprimè illuſtratam fateremur per Gerſonios, Turnebos, Tiraquellos, Briſſonios, Budæos, Duretos, ac penè innumeros alios primæ notæ ſcriptores, natione Gallos, lingua, & calamo verè latinos. Iſti omnes

nes Italicas Bibliothecas innumeris Voluminibus ditarunt, ac quaſcumque facultates floridè, & luculenter uno ſermone latino illuſtrarunt.

Inſuper nonnullæ facultates proprio, & ſingulari idiomate pertractari deſiderant, quæ lingua non ſua aliter balbutirent: Harum una (ut illam ſecernam, quæ magis ad argumentum noſtrum pertinet) Ars Antiquaria eſt, quæ Ritus, Hiſtorias, Monumenta, cæteraquè venerabilis Philologiæ argnmenta continet. Hæc Latinam Terram Parentem noſcit, ac ex ruderibus e Latino effoſſis penè germinare quotidiè videtur: hæc nullo patitur tractari ſermone, quàm latino: illud enim evenit in hujus argumenti Libris non latinè ſcriptis, ut miſcella linguarum fiat modò Italica, modò latina, nec duo verba junctim, & continuò ſcribi queant, cui teſtimonium latinum non ſequatur: Res certè non omni laude digna: Vix enim perleguntur Italici libelli inter hos Italiæ fines, ubi ex profeſsò Italica lingua viget: cæterò quin Ultramontes, ubi ſermo Italus pro ſtudio habetur, eodem modo, quo Gallus apud nos: vix ſucciſvis horis, & ſecundariis perleguntur pauculi Italici Verſus ſuavioris numeri, ac Romanenſes fabulæ in Gynecæis, ac in ſecretioribus fœminarum cubiculis, ſeu apud Tyrones linguæ Italicæ, non ut eruditionis, ſed ut verbi unius minus triti pondus librent, non naturam doctrinæ. Enim verò quot Italorum Scriptorum pretioſa Volumina, omnique æſtimatione digniſſima, Italiæ noſtræ Montibus ſepta quaſi flaceſcunt, pereuntquè, anguſto nimium vallo reſtricta, latentque penitus Ultramarinas Gentes, hoc, ſeu favore, ſeu ſolatio deſtituta, tranſvadandi tot ſinus, & maria hac una tantùm culpa, quia Italicè loquuntur. Permulta enumerarem Volumina, quæ vel nimia ſolitudine attrita, & frigore conſumpta periere in Bibliopolarum Italorum Promptuariis, Apothecíſque, vel ad Ollas in Culinis damnata, vel ad Scombros, & Garum in officinis hac una de cauſſa, quia cum potior eorum pars Bibliothecas Italiæ jam impleat, cætera Alpes, ſeu maria extra Italiam trajicere non valentia, ſeu relegata, vel damnata inter hos fines benignum emptorem, vel interpretem nacta non ſunt, qui ea ad longinquas Bibliothecas, ſeu ad Athenæa ultramarina, viam præmonſtrando, perducant. Aſt eorum memoria eheu nimium vileſceret, ac tota Italia fortaſſe ab infaꝰa recordatione abhorreret.

Nullum itaque argumentum latina lingua pertractari dignum, certè hoc eſt de Rebus Convivalibus,& Coronamentis,*ubi tota & Græca,& lati-*

Latina floret Philologia. Plutarchum, Athenæum, Plinium, Stuc-Kium. Bulengerium, Paſcalium, Ciaconium, centumque alios (eheu cur non Magnaninum noſtrum qui tam eruditè de Convivio Volumina duo Italicè exaravit !) ſeu è Græcis, ſeu, è Latinis fontibus derivatos inſpicimus, qui hoc eruditionis genus admodùm excellenter illuſtrarunt, publicique juris fecerunt longinquioribus Regionibus mores, & ritus tam elegantes, tantiſque myſteriis refertos.

Unicum inter tot intueri dabatur Opuſculum hoc de Coronis, & Unguentis *licet exiguum, pretioſum ſanè, noſtri celeberrimi undequaque Viri, & Amici* Joſ. Lanzoni *de Rep. litteraria adeo benemeriti, quod ab anno uſque* 1698.*, quo conſilio, neſcio, Italicè exaratum prodiit, atque ita inter manus tantùm eruditorum Italiæ Virorum verſabatur, nec ad illas tranſmarinas Regiones peragrare dabatur, quo tot ejus ſanè eruditi fratres, ejuſdem Patris filii, fortunatè jam pervenere, & a celebrioribus Europæ Academiis ſuſcepti, laudabiliter identidem in pretio habentur.*

Quamobrem, cogitanti mihi quomodò expectationi ſatisfieret, quam tot Auctoris Amici, ac cultores in Germania præcipuè, ac in locis ultra montes enixè ſuſtinent: atque argumentum hoc eadem lingua pertractatum exoptant, qua cæteræ ejuſdem naturæ Diſſertationes: illud ſe obtulit, ut ad linguam latinam brevi dierum ſpatio opuſculum transferrem meliùs, quo fieri potuit, & eodem penitùs ſtylo hujùſmodi pertractioni conveniente, ut res tam reconditæ vetuſtatis facilè perciperentur. Ad majorem inſuper dilucidationem, ornatumque (abſit contradicendi, ſeu adverſandi pruritus: neque enim cum Quintiliano; Paraphraſim eſſe interpretationem tantùm volo, ſed circa eoſdem ſenſus certamen atque emulationem) Opuſculum ſectionibus diſtinxi, nonnullaſque adnotatiunculas adnectere auſus ſum, locis præcipuè illis, ubi Auctorum teſtimonia magis explicatione indigebant, ac rerum pertractatarum notitia: Ibi nonnulla quærere, nonnulla enucleare, alia exemplis confirmare, alia demum rationibus corroborare non inutile duxi, atque ita amicè, & benevolè, de doctiſſimo Viro benemereri, Concivem illuſtrare, atque ſemper candidum perennem, unanimem, & in utraquè fortuna immutabilem Amicum colre, quo mihi

Nil exactius, eruditiuſque eſt,
Sed nec candidius, benigniuſque.

Martial. l. 4. *ep.* 86.

JOSEPHI

JOSEPHI LANZONI

M. D. FERRARIENSIS, &c.

DE CORONIS ET UNGUENTIS IN ANTIQUORUM CONVIVIIS EXERCITATIO PHILOLOGICA.

§. I.

PRIMUM Coronarum Inſtitutorem Cælum ipſum fuiſſe, ſeu potiùs à Cælo Homines uſum Coronarum didiciſſe, facilè adjudicari poteſt : quoniam, ex Homeri ſententia Cl. Saturninus *(a)* a *Tertulliano* allatus (*de Cor. Milit.*) inquit, ſtellas Cæli eſſe Coronam : *Cælum Syderibus apud Homeri carmina coronatum.* Ità maximus ille Poeta in Achillei Clypei deſcriptione. Ad inſtar Cæli itaque, qui ſe primùm Coronâ redimiret, Saturnum fuiſſe inquit

(*a*) Præſtantiſſimus in hac materia Commentator. Eſt illius de Coronis liber diſertiſſimus.

inquit (*b*) Pherecydes ab eodem Tertulliano allatus: fæminamque primam, quæ tali ornata redimiculo inceſſerit, Pandoram fuiſſe teſtatur Heſiodus, cui per Charites caput aureum, monente eodem *Tertulliano* coronatum fuit: *Hoc primum caput* (inquit) *coronatum eſt a Charitibus, cum ab omnibus muneraretur.* Sed, ut Heſiodi ſententiam propiùs inſpiciamus Horæ ſatiùs fuere, quæ illum omnium malorum (*c*) jucundiſſimum fontem cinxere:

Circum verò Charitesque Deæ, & veneranda Suada
Monilia aurea poſuerunt, corpori ipſam porrò
Horæ pulchricomæ coronarunt floribus vernis.

Joannes Roſinus, Leonicus, & Draco Corcyræus in Lib. de Lapidibus, Coronarum inventorem bifrontem Janum volunt, illumque Coronas reperiſſe, Navigia, Rates &c. quamobrem nonnullæ Urbes Græciæ, Siciliæ, atque Italiæ (*d*) Monetas cudere conſueverunt Bifronti capite ex una, & alia parte, vel Rate, vel Navigio, vel Corona.

Bacchum Coronarum Inventorem agnoſcunt Iſidorus, Joh. Argolus, & Moſcardus. A (*e*) Prometheo quoque inſtitutas fuiſſe autumari poteſt, ex quo, magnanimo illo Ignis latrocinio patra-

(*b*) Pythagoræ Magiſter, de quo idem Tertullianus l. de Anima c. 2.

(*c*) De Pandora plura in Græcis Scriptoribus. Primam fœminarum memorat Heſiodus. Ab Heſychio exponitur Terra, quia omnia ad vitam neceſſaria donat. Apud Poëtas eſt fœmina a Vulcano facta, ex eo dicta, quod Dii omnes ſua dona in eam contuliſſent, quorum munerum larga diſpenſatrix habebatur: atque ideò non ſemper Vas Pandoræ odiosè ſumitur. Extat Vetus Inſcriptio Votiva Ronchi in Agro Ferrarienſi ad Sandalum.

PANDORÆ.
BONÆ. DISPENSA
TRICI. Q. CAMERIVS
CATVLLINUS.
UT. BENE. SIT.

Mirum verò hoc, quod cùm Pandora (ut narrat Gyraldus in lib. de Diis) non ſit Dea, ſed tantum Vulcani filia, attamen Votum illi, tanquam Deæ ſolutum ſit.

(*d*) Jani plures Nummi apud Antiquarios obvii ſunt cum bicipiti fronte ex una, & Navis Roſtro ex altera parte: nullus verò adhuc, quod ſciam, cum corona. Cave nè temere credas Athenæo, qui hoc conſtanter aſſerit: certè Roſinus, Naves tantùm, & Frontes (non verò Rates quia idem ſunt ac Naves) in hujuſmodi nummis notat; cujus opinioni magis adſtipulor.

(*e*) Prometheus Japheti filius, qui primus finxit ex luto ſimulacra, undè dicunt eum Homines feciſſe: fabulantur enim quod in Cælum aſcendens ignem ferula ſit furatus, quo ſimulacrum a ſe factum animaret: Quarè iratus Jupiter ipſum alligari juſſit ad montem Caucaſum.

patrato, ab Jove aſperrimè mulctatus fuit: dein leviori pœna ſupremus Deorum Præſes eundem punivit, *ut liberati a vinculis caput alligata Corona circumdaretur.* Idem & per Homines paulò poſt actum fuit, quibus igne communicato maximum beneficium detuliſſet. Quod & *Æſchylus in Prometheo* aſſeverat, ubi *liquidò ſcribit in ejus honorem Coronas capite geſtari, tanquam viciſſim nos pœnam, ei pendamus, quòd noſtra cauſa cingulis ſit oneratus.* Atque in Sphinge

Hoſpiti priſcam Coronam circumdo
Vinculorum Promethei ſociam, inquam

Sed & *(f)* Dædalum Coronas invexiſſe in Choreis illis jucundis (*g*) ob Ariadnem Cretæ inſtitutis, in quibus Puellæ *tenues veſtes habebant*, notat *Homerus*, *& illæ quidem pulchras coronas gerebant.*

Homines mirum in modum Coronis oblectati ſunt, utpote quæ apud *(h)* Triumphantes, Milites, Magiſtratus, Sacerdotes, alioſque plures in uſu fuere, atque ita Diis ſuis gratiores fiebant, ut apud Athenæum inquit ſuaviſſima Sapho, de hoc rationem reddens:

cur coronemur?
Hic te coronato, & pulchræ comæ
Aneti ramos injice teneris, ac delicatis manibus;
Diis enim florida chariora ſunt, & gratioſa
Eos immortales averſantur, coronam qui non habent.

Atqui, cùm Athenæus hos verſus tribuat illi, qui *ſacris operabatur*, quia Corona redimitus magis Diis placeret: ideò, cùm *(i)* Menſa tamquàm Altare apud illuſtriores antiquitatis ſcriptores,

(*f*) Athenenſis faber ingenioſus. Hic in Creta Inſula Labyrinthum conſtruxit, & ſibimet, Icaroque filio conſtruxit alas.

(*g*) Bacchus eam accepit in Uxorem, cui Venus elargita eſt Coronam, quam Bacchus dein novem ſtellis ornatam Cœlo impoſuit. Diciturque corona Gnoſia, de qua *Virgilius Georgic. l.* 1.

Gnoſiaque ardentis decedat ſtella Coronæ.

(*h*) Multiplici officiorum generi multiplex corona dabatur: Triumphantibus una, militibus altera, Magiſtratibus alia: modò roſtrata, modò radiata, civica modò: de quibus conſule Paſcalium.

(*i*) Imò Altare menſa eſt. Altare Menſa Domini D. Ignatius in epiſt. Clem. in Cano. Dionys Areop. Irenæus l.4. 20.

tores, & Sacrificium pro Convivio ſumatur, coronæ ad convivia tranſmearunt, cujus ritus exordium a Valerio Maximo Joniis populis tribuitur.

His ita ſtantibus de Coronis, occaſionem inſtituti noſtri repetentes, hoc eſt, In quo convivii ordine apud Veteres Coronæ, atque Unguenta odorata effunderentur; eodem tempore unà, & ſimul & Coronas, & Unguenta in uſu fuiſſe ambigendum nequaquam judicamus. Hinc *Lucretius* de his junctim canit *lib.* 4.

Eximia veſte, & victu, Convivia, Ludi,
Pocula crebra, (k), Unguenta, Coronæ, ſerta parantur.

quod & apud *Martial. l.* 2. *ep.* 59.

Frange thoros, pete Vina, roſas cape, tingere nardo.

Eundem morem pluries *Horatius* quoque retulit *ut l.* 2. *od.* 7.

Pompei meorum prime ſodalium!
Cum quo morantem ſæpè diem mero
Fregi coronatus nitentes
Malobathro ſyrio capillos.

Nitentes (l) Malabathro, hoc eſt, inquit Lambinus, Unguento ſyrio delibutos: Atque *in eadem Ode* ad calcem.

Oblivioſo lævia Maſſico
Ciboria exple: funde capacibus
Unguenta de conchis; quis udo
Deproperare Apio Coronas

Et *lib.* 3. *od.* 14. laudes Auguſti efferens, ſtrictiùs, ſed clariùs Coronas, & Unguenta præſtari jubet.

I, pete Unguentum, puer, & Coronas.

Conjunctionem eandem quoque ex *Cæl. Rhodigino* & *Juvenale Sat.* 15. habemus. *qualia-*

(*k*) Thomas Creech in notis ad Lucretium arcet ab hoc verſu *Unguenta* tanquam ſi locum ibi habere nequeant, & ſupplet, putatque legendum fortaſſe *Unioque* ſeu *fibula.* Ergo tantum Virum, Lucretii Voratorem, latebat, unà & ſimul Coronas, & Unguenta apud Veteres in uſu fuiſſe?

(*l*) Folium Indum Scaliger exerc. 140. 1. Idem 146. 2. *Malabathrum Horatius eum vocavit Syrium non a natalibus, ſed ab officinarum loco deduxit appellationem.* Ferunt apud Indos naſci in ea Regione, quæ *Malabar* dicitur. Plura apud Dioſcoridem. Hinc *Malobathrarius* qui Malobathrum vendit. Apud Plautum in Aulul. ità quidam legunt, ubi alii *Murrobathrarii*, alii *Myrobrecharii*, qui Unguento capillitium ungunt.

qualiacumque
Unguenta, & flores, multæque in fronte Coronæ

Anacreon, aurum, divitias, & imperia obtrectans, inquit.

Sed curo delibutam
Unguento habere barbam,
Sed implicare curo
Meos Roſis capillos.

(*m*) *Poſſidonius* inſuper *lib.* 28. *Hiſt.* ubi, monente Athenæo, de Unguentis ſermo habetur in regalibus conviviis, cùm Convivantibus Coronæ diſtributæ fuiſſent, quoſdam Cœnaculum ingredi conſuetos fuiſſe affirmat cum Utriculis Unguenti (*n*) Babylonii, qui procul Menſam circumeuntes Accumbentium, Coronas eo irrorant, aliud præterea nihil conſpergentes.

§. II.

Cum igitur unà & ſimul Unguenta, flores, & Coronæ in Conviviis eodem tempore præſtarentur, illud remanet, ut inquiramus, an in exordio, vel in fine, ſeu in (*a*) ſecunda menſa hoc fieret, in qua quidquid ſub (*b*) Bellariorum nomine continetur, afferebatur. Athenæus pro utroque tempore teſtimonia in promptu habet. Pro exordio ſtat (*c*) *Philoxenus* dithyrambicus in Lib. inſcripto *Cœna* ubi ait.

(*m*) Scriptor contemporaneus, & Amicus Athenæi ut ex Cap. 18. l. 15.
(*n*) Vel Babylone factum, vel ibi uſitatum..
(*a*) Menſa dividitur in tres partes: Antecænium, ſeu primum ferculum, quod Italicè nuncupatur *Antipaſto*. Edulium, & fructus. Communiter verò in duas, edulium nempè, & fructus. Edulium prima: fructus ſecunda menſa dicitur, hoc eſt finis convivii. Servius in Virgil. duas menſas tantùm ponit: Prima Carnis, ſecunda Pomorum.
(*b*) Omne genus Menſæ ſecundæ, h. e. fructuum: à Bonitate inquit Fungerius in Etym. quòd ſecundæ Menſæ bellè, & ſplendidè eſſent inſtructæ. Franciſcus Patritius exiſtimabat Bellaria dicta, quòd Bellatoribus ſint oportuna, notatione quidem ingeniosè; ſed non ſatis aptè excogitata. Pollux Bellaria eſſe ſcribit Myrtidas, Caricas, & Meſpilos: plura apud eundem Fungerum.
(*c*) Quia fortaſſe Dithyrambos ſcripſit; ſpecies Poëmatis elaboratiſſimi, & carmen, ut inquit P. Victorius in Demetr. audax, licentiæque plenum, in quo de largo potu, ut plurimùm, deque Conviviis ſermo haberi ſolet. Poëtæ Græci, & Latini, atque inter Italos celeberrimi Chiabrera, Redi, Lemene, & Pegolotti ſatis probant exemplo.

Aqua lavandis manibus allata eſt;
Molliuſculus Puellus argenteo (d) gutto, quem tenebat
Affudit, Coronaſque deindè advexit
Tenues, e puris myrthi ramis magno labore contextas.

Et ne dubitandi locus adſit de initio Cænæ ſermonem habere, *Athenæus ipſe* hoc explicat inquiens: *Epularum initio coronas dari tradit his verbis:* hoc eſt: *modo hæc præſtatis?* ſed *Eubulus* in Nutricibus apud eundem *Athenæum* interpretatione non indiget: inquit enim.

Domum ut ſunt ingreſſi vetuli, ſtatim accubuerunt: mox
Adeſt corona: apponitur elata Menſa.

Idem dicendum eſt de Anaxandride in Agricolis.

Ut coronatus ſum menſa eſt appoſita
Tot conſtrata cibis, quot per Deos
Atque Deas, nec ego vidi, nec quiſquam alius.

Morem eundem religiosè tenuiſſe Ægyptios narrat idem *Athenæus*, qui pro ſecunda menſa ita ſcribit

Coronarum autem, & Unguentorum miſſus
Secundæ menſæ præibat.

quod *Nicoſtrati* teſtimonio confirmat

ac tu quidem
Concinnè ſecundam menſam appara,
Eamque omnifariis bellariis;
Unguenta, Coronas, thus, thibicinam accipe.

Cui ſuperaddendum puto cum Lipſio (antiq. lect. 3.) Vino captos, ſeu ebrios coronari ſolitos. *Plautus* & clarè, & ſæpiſſimè id affert, adeò ut dubitandi nullus locus ſit: dum in Amphytrione, Mercurius, qui in Soſiæ formam converti debuerat inquit. *Act.* 3. *Sc.* 4.

Capiam Coronam mi in caput, aſſimilabo me eſſe ebrium.

& paulò poſt.

Ibo intrò, ornatum capiam, qui potis decet.

Nullum aliud ornamenti genus hic intelligitur ebrio conveniens,

(*d*) Natalis de Comitibus vertit *Gutturnio*, quod idem eſt, nempè Vas aquam guttatim, & hanc ut plurimùm odoroſam fundens, qua Convivæ aſpergebantur.

niens, juxtâ Lipſium, Lambinum, & Stuchium, alioſque, quàm Corona. *In Aſinaria* dum Paraſitus ſtudioſè curat, ut Uxor Virum publicè cum Amica potantem inveniat, ait *Act.* 5. *ſc.* 2.

Poſſis, ſi fortè accubantem tuum Virum conſpexeris
Cum corona amplexum Amicam, ſi videas cognoſcere!

In Menechmo: h. e. in duobus ſimilibus fratribus, gemelliſque *Act.* 3. *Sc.* 1. Peniculus Paraſitus unum illorum, nempè Soſiclem, è domo Amicè egredientem offendit, ubi, eo inſcio, comeſſando biberat, & ait:

Sed quid ego video Menechmum? cum Corona exit foras?
Sublatum eſt convivium.

hoc eſt poſtquam benè potus eſſet: quapropter in ſubſequenti Scena idem Paraſitus furore percitus prorumpit:

Pallam ad Phrygionem fert, confecto prandio
Vinoque epoto.

Quin & Adoleſcens ipſemet bono eventu lætus, ſuamque ſortem amplificans, ait,

Prandi, potavi, ſcortum accubui &c.

& ex inde, ne ornatu illo minus decenti vituperaretur, Coronam projiciens inquit *Act.* 3. *Sc.* 3.

Demam Coronam, atque abjiciam ad lævam manum.

quæ poſtmodùm ab Uxore fratris inventa eſt *Act.* 4. *Sc.* 1.

Pallam ad Phrygionem cum Corona hinc ebrius
Ferebat, hodie tibi quam ſurripuit domo.
Sed eccam, quam Coronam habuit: num mentior?

In ſubſequenti verò Scena frater alter in Paraſitum offendens utique queritur, & alterum fratrem ſuſpicans, qui, eo abſente, pranſus eſſet, exclamat

Sic datur properato, abſente me, comeſſe prandium:
Poſt ante ædeis cum corona me derideto ebrius!

& cum adoleſcens verè culpæ expers, prandiſſe negaret, inſtar Paraſitus illum obſtringens ità

Non ego te modo hic ante ædes cum corona florea
Vidi adſtare, cum negabas mihi eſſe ſanum ſynciput?

Tandem *in Pſeudolo*, Simo Senex vix dum limen domus exceſ-

 ſerat,

ſerat, Pſeudolum ſervum intuens corona ſeptum, mirabundus in hæc verba erumpit *Act. 5. Sc. 2.*

Sed quid hoc? quomodo? quid te video ego?

cui famulus; ad quid? & quorſum hæc? en vides

Cum Corona ebrium Pſeudolum tuum.

In Plutone Ariſtophanis, quidam Adoleſcens inopia ductus, *(e)* Vetulæ cuidam ità rugoſæ quo locupleti, ſe immiſcere coactus, a Plutone illicò ditior factus, & mentis compos evaſus luridum illud ſpectrum deſerit. Illa inconſolabiliter conqueritur, illumque Corona exornatum inſpiciens, ait:

Et quidem Adoleſcentulus hic advenit;
Quem diù accuſans ſum;
Videtur autem ad ebrietatem ire. CHR. videtur.
Coronam utique, & tædam habens ambulat.

Ad ebrietatem ire: hoc eſt, *ab ebrietate redire*, ſeu ad ebrietatem *ire concoquendam, & digerendam.*

§. III.

NAm diurno tempore Convivia adibant, nocturno verò domum revertebantur: Ditiores primùm facibus, *(a)* funalibus & indè Lucernis, Laterniſque præeuntibus, ex quo inventæ fuere: quamobrem in *Juvenale* legimus *Sat. 3.*

& comitum longiſſimus ordo,
Multùm præterea flammarum, atque ænea lampas

Egeni verò ad domos revertebantur breviuſculo cereolo, vel Lunæ ſplendore comitante: idcircò idem Poeta ſubdit

Me, quem Luna ſolet deducere, vel breve lumen
Candelæ, cujus diſpenſo, & tempore filum
Contemnit &c.

Candela

(*e*) Sanè ſimilis caſus eſt in Martial. l. 7. epig. 74. in Anum deformem.

(*a*) Funalia (inquit Servius Æn. l. 1.) ideò dicta ſunt; quia ante uſum papyri antiquitùs funes cera circumdabant. Modo Intortitia vocantur, quia ex intorto goſſypio cera ſuperinducta. Itali *Torcie.* Pignorius de ſervis, antiqua Intorticia picta demonſtrat, ex veteri monumento, e marmore ſynnadico. Vox Eccleſiaſtica eſt & recens, de qua nihil Macrius in Hierolex.

Candela verò ſebacea erat, ut notat *Caſaubon. in Suetonium. Olim candelis ſebaceis ſoli pauperes utebantur, reliqui facibus, has Græci Lychnos vocant.* Epicharmus apud *Athenæum lib. 6.* è convivio abiens dicit.

Nam multum edens, bibenſque multùm protinus
Diſcedo, Lucernam puer nec fert mihi
Serpo cadens perſæpè per nigras tenebras.

Cleopatra, monente eodem *Athenæo*, Antonium lauta cæna convivio excipiens, cæteroſque Amaſium comitantes, diſceſſuris omnibus (*b*), Æthiopes pueros, qui facibus prælucerent aſſiſtere juſſit: Et (*c*) Prælucentes ſervi ad hoc ſub eundum munus deſignati nuncupabantur. *l.* 4. *c.* 7. Hinc apud *Suetonium* legimus Auguſtum Imperatorem, cùm nocturno tempore ad expeditionem Cantabricam lectica invectus incederet, fulmine de cælo tacto puero, qui face accenſa præibat, eo quia Lectica inoffenſa evaſerat. Templum Jovi Tonanti condidiſſe. Verba ſunt: *cùm expeditione Cantabrica per nocturnum iter Lecticam ejus fulgur perſtrinxiſſet, ſervumque prælucentem exanimaſſet.* Ad quæ *Beroaldus*: *Prælucere dicitur ſervus, qui fert cereum ante dominum per iter nocturnum, Plauti in Curculione* teſtimonium adducens *Act.* 1. *Sc.* 1.

Tu

(*b*) Laterna receptaculum, in quo cuſtoditur lucerna. Perottus: Laterna, quòd lumen in ea lateat. Dicitur etiam Cornu. Plaut. in Amphyt. quòd corneis lamellis circum clauſa ſit, ut ventorum flabra arceat. Græci Phanos. Martial. lib. 14.

Dux Laterna viæ clauſis feror aurea flammis
Et tutta eſt gremio parva lucerna meo.

Ego verò potius a Latere dici credo, quia ad latus geſtabantur iſtæ lucernæ, ut ex antiquo ebore anaglypt: in meo Muſæo, ubi famulum præeuntem domino inſpicimus, Laterna alligata femori. Multiplices laternas uſus invexit: Ferreas, orichalceas, æneas, linteas, papyraceas, ligneas, corneas, bracteas, Vitreas, fictiles, ut hodiernæ parvulæ Chytræ ſeù ollulæ: & multiformes, modò plicatiles, modò perforatas, modò cæcas, modò cuſpidatas, modò alatas, modò Clypeatas. Nomen hoc quoque ad alia artificia tranſlatum eſt. Athenæus plura in cap. 24. lib. 15.

(*c*) Prælucentes ſervi in numero ſervorum Adverſitorum habebantur, quorum miniſterium narrat Titus Popma (*de op. ſerv.*) fuiſſe ire ad herum foris cænitantem, & eum domum reducere, ac comitari. Et verè ſinè his, dominus benè potus, quomodo domum noctu ſe contuliſſet? Pignorius clariùs eorum officium explicat, aitque: Adverſitoribus diſſimiles non fuiſſe illos, qui præcincti lumbos, & lychnos ferentes dominum domi præſtolabantur, & a cœna revertentem, quorum aliqui dominorum comites erant. Atque hos ſervos ad Lychnum, ad funale, ad Laternam, Lampadophoros, & Tædigeros appellat: nuſquàm verò Prælucentes.

Tu te tibi Puer es lautus luces cereum

Domo egreditur Adoleſcentulus Phedromus noctis per umbras multibibam Vetulam aditurus, ut ad colloquium cum Planeſia, quam deperibat, iter ſterneret: propterea Palinurus: Tu tibi, inquit, ſervi, (& ut belle!) vicem geris, & ceream facem tibi præfers: Quod ideò ad noſtrum argumentum pertinet, quia Adoleſcens a nonnullis ſervis inſequebatur, *qui Veneri jentaculum* geſtabant, hoc eſt Vinum anniculum, & præcipuum, quo cum Lenam allicerent: ideò Palinurus mirabundus exorditur. *Act.* I. *Sc.* I.

Quod te hoc noctis dicam proficiſci foras
Cum iſtoc ornatu, cumque hac pompa, Phedrome?

nempe hoc Intorticio, hoc Vino, cæteriſque te proſequentibus, quibus Ebrii, ac inſani nomen acquiris.

Hic non abs re eſſet Duilli honorificentiam ſubdere, qui ſibi, ob victoriam partam in maritimo certamine contrà Carthaginenſes, honorem vitalitium comparavit, ut ubi a cæna rediret, prælucere funalibus, ſervos, præcingere ſibi tibias mereretur quaſi quotidie triumpharet, ut aiunt *Florus l.*12. *Livius l.*17. *Val. Maximus l.* 3. *& Martinus de Roa ſingul. l.* 2. quibus in hac re me ſubſcribo; unicum tantùm carmen Theodoridæ Syracuſani ab *Athenæo* allatum *lib.* 15. afferam, ut Laternarum uſum magis comprobemus, de quibus nuper ſermonem fecimus. *cap.* 24.

Ac corneæ luciferæ laternæ (d) ſplendorem.

Pollux animadvertit Lampadem quoque Laternam dici *lib.* 10., & de comitatu poſt cœnam lumine præeunte, nunc memini, Athenæi Convivas bellè, & ludicrè diſceptantes, & fabulantes noctem deprehendiſſe: tum ex Convivis, alii facem, alii Lucernam accepere, ut ambulantibus prælucere, & viam miniſtraret.

§. VI.

(*d*) Natalis Comes interpretatur Lumen Lychni cornei; non verò Laternam, hic verſus legitur in Tridente, ſive Seplaſario Theodoridæ Syracuſii.

§. IV.

SEd eò redeamus, undè ſermonem defleximus, ac de Coronis diſſeramus tamquam ſigna bibacitatis. Alcibiades apud Platonem, monente doctiſſimo Paſchalio (*de Coron. l.* 1. *cap.* 7.) ebrius Corona ſibimet caput circumvallavit, quarè *Ovidius* cecinit:

Ergò Amor, & modicum circum mea tempora Vinum
Mecum eſt, & madidis lapſa Corona comis

Horatius lib. 4. carminum

Nec certare juvat mero,
Nec vincire novis tempora floribus.

Nec alius *Propertii* locus reticendus eſt. (*a*) Sobrius, inquit ipſe, ad lites pergo: quando verò me Corona circumdatum intueris, tunc me vino captum judicabis. *L.* 4. *El.* 2.

Sobrius ad lites, at quum eſt impoſta corona
Clamabis capiti; vina ſumiſſe meo.

Hîc de Unguentis non loquitur ſed de iis *Lib.* 3. *El.* 8.

Sit menſæ, ratio noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murreus ungat onyx.

De ambobus Menander in Hercule mentito, monente *Athenæus l.* 4.

His paratis, qui cœnat bellariis ſatiatur
Unguento prius delibutus, coronatuſque poſtea.

Cùm igitur unà, & ſimul Unguenta in Conviviis præſtarentur, & Coronæ, quibus tempora, & colla cingebantur, Nicoſtrati ſententiam ſequar, nempè communiter hæc ad finem convivii præſtari ſolita. Ita *Stuchius l.* 3. *c.* 17. inquiens: *Communem ferè apud Græcos, & Romanos hanc conſuetudinem fuiſſe, ex veterum ſcriptis conſtat, ut ferè ad finem Convivii, cùm largiori potui indulgere vellent Coronas & Unguenta ſumpſerint.* At è contrà Ciaconius, & Urſinus, ille in Triclinio, alter in Appendice, Philoxeni, Eubolique ſententiam ſequuntur: nam ubi Con-

(*a*) Non jejunus: ait enim Pedianus declamanti citò verba deficere, ſi jejuno ventre forum ingrediatur.

vivæ ad menſam diſpoſiti ſunt, illicò de Coronis Unguentiſque ſermonem faciunt: nihilominus adhuc a ſententia mea non recedo, innixus Lucretii, Martialis, Horatii, & Propertii, aliorumque auctoritatibus. *Lucretius* hîc denuò:

Convivia, Ludi,
Pocula crebra, Unguenta Coronæ.

(*b*) Præbibitiones, & Propinationes procul dubiò, magis ad finem convivii ſucreſcunt, & frequentantur majoribus poculis: Igitur, ut curarentur ab ebrietate, ad Unguenta redolentia, ad Coronas ex floribus, & Herbis deveniebant; ità gradatim loquitur *Martialis L. 2. Ep. 59.*

Frange thoros, pete vina, roſas cape tingere Nardo.

ubi illud, *pete vina* per Raderium ſignificat: *pota græco more; majoribus poſce poculis*, (*c*) *græcari*: ideoque *roſas cape, tingere Nardo*, ne potu nimio, Vinique effluviis mentis acies hebetetur, de hoc intelligit *Horatius* plurimis in locis & præcipuè *Od. 7. L. 2.*

Huc Vina, & Unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jube Roſæ.

Juvenalis huic opinioni egregiè favet, ſævitiem narrans (*d*) Tentyritarum adversùs Ombitas Ægyptios pariter, ſibi invicem infeſ-

(*b*) Italicè *Brindiſi* à *Brenken* Germ. de quo plura amœniſſimè Redius in dithyrambi ſui adnotationibus. Menagius, Ferrarius in Origin. quorum alter ſatis diffusè: Ego quoque in Notis ad Tabbacheid. p. 183. Octavius Magnaninus verò præ omnibus in Convivio p. 2. propriè dicit libare, propinare.

(*c*) Græco more bibere. Nonnulli apud Martin. (Lex. Philol.) intelligunt luxuriosè vivere, more Græcorum, conviviis, & compotationibus gaudentium. Feſtus: *Pergræcari eſt epulis, & potationibus inſervire.* Locum Ciceronis habemus (3. Verr.) ubi ait: *Fit ſermo inter eos, ut Græco more biberetur*: pro cujus explicatione Pedianus nova, & inexcogitata animadvertit: *Grandibus inquiunt poculis, & meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis, & hoc putant Græco more potare: eſt autem Græcus mos, ut Græci dicunt, cum merum Cyathis libant; ſalutantes primò Deos, deindè Amicos ſuos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties & Deos, & Caros ſuos nominatim vocant.* Eruditiſſimus Octavius Magnaninus rem diffusè, ac eruditè perpendit in Convivio P. 2. pag. 85. 86. & ſeqq.

(*d*) Ombos, & Tentyra Urbes Ægypti, Thebaidis nomine a Plinio nuncupatæ *l. 9. c. 9.* de Urbium iſtarum diſcordia plura habet Strabo *l. 7.* & Eruditiſſimus Co: Silveſtri in notis ad Juvenal.

infeſtos, ob Religionis diſparitatem. Ombitæ ſacra peragentes, non ſine Conviviis, & Poculis, dum multo Vino maderent mediis in Poculis, a Tentyritis aggreſſi, barbarè trucidati ſunt

quod & facilis victoria de Madidis.

Satyricus ebrios illos prædicans, inquit;

Qualiacumque

Unguenta, & flores, multæque in fronte Coronæ.

Lucretius *Pocula crebra* repetens, ſatis apertè frequentiam propinationum in ſecundis Menſis explicat; indè ſubdens.

Unguenta, Coronæ, ſerta parantur.

Julius Pollux Spondarchian græcum explicans notat. *quod eſt potandi invitationes propinare, pocula circumagere, frequenter inſtillare, & potus menſarum ſecundarum, & calix tranſitorius, qui ad omnes pervenit.* Et uſque ad noſtra tempora mos eſt, ad finem Convivii, & largæ potationis, Calicem majoris notæ afferre Vino optimo gravem, ex quo quiſque hauſtum ſumat; & oh felix, cui ultima pelagi illius gutta contingat! fortaſſis de hujuſmodi Poculo intelligit Pherecrates in Tyrannide, ut legitur apud *Athenæum l.* 11. *c.* 9.

Profundos Calices onerariæ navis pares,
qua vinum vehitur, rotundos, tenues,
in medio Ventroſos.

vel de ampla Patera ad inſtar illius ab eodem Athenæo deſcripta *qua vectus Hercules Oceanum trajecit:* ſeu de illa aurea, qua Sol utebatur, monente Steſychoro, Eſchylo, & Antimaco, quam ut clarius Mimnermus demonſtraret, aurei (e) cubilis, ac mollis nomine, Vulcani opere, his verſibus appellavit.

Solem enim vehit perquam gratum ipſi cubile.
Cavum, honorandi ulcani manibus & malleo factum.

Amplus quoque Calix, & profundus erat ille Neſtoris, ſimiliſque illi, quem ſibi Anacreon optabat

Sed poculum mihi fac
Quantùm potes profundum.

Interpres alius legit *peramplum*, non *profundum*.

 Hujuſ-

(e) (f) Pocula iſta ità reor appellata, non tantùm ob amplitudinem, ſed & ob ſimilitudi-

Hujuſmodi quoque erat Poculum illud (*f*) *Elephas* a Damoxeno appellatum ab inſigni magnitudine, & capacitate, ut explicat Dalecampius; ſimilis tandem erat Calix ille (*g*) tranſitorius qui in orbem tranſibat ad finem ſecundæ menſæ, de quo Athenæus, immò Menander, *in orbem exaurire* ſcripſit.

§. V.

QUoniam igitur in ſecunda Menſa, & ut aiunt, ad (*a*) fructus, admodùm poculis indulgebatur apud veteres, benè, & ſapienter eodem tempore afferebantur Coronæ & Unguenta odorifera ad mentis aciem tuendam à nimia Vinorum evaporatione. Ut igitur huic malo mederetur, *Propertius L.* 3. *El.* 3. Vino tumidum cerebrum exoptabat, ſed unà ſimul Roſis caput vinctum, quod & ſæpè Anacreonti familiare fuit.

Roſeis quidem Coronis
Caput undique impediti
Hilareſcimus bibentes.

Inſuper in alio loco.

Nigris caput corymbis
Armare, & ipſe poto.
Affer Scyphum, puer, da.

& in ebrietatis meditullio

Ego Scyphum capacem
Habens, & hanc Coronam &c.

nec non & alibi, de ſe ipſo pariter loquens

Date mi, date, o Puellæ
Cyathum, ut bibam Lyæi,
Date ſerta, queis calentem
Amo frigere frontem

Ex

nem operis. Figuli enim, Vitriarii, ac Fuſores quæcumque effingere poſſunt ex Vitro, Argilla, & Metallo. In antiquis monumentis, ubi de Vaſculis aliquid anaglyptè ſculptum eſt, Vaſa & Pocula ad inſtar Navium, Cochlearium, Fontium, Draconum, Elephantorum, Leonum, Piſcium, Priapi ſeu cælata, ſeu fictilia intuemur, juxta Artificum libidinem, qui utenſilibus varias induxerunt figuras. Plura habemus in Bayſ. de Vaſculis.

(*g*) Quia de manu ad manum, atque inde, de ore ad os convivarum per orbem tranſiliat.

(*a*) Adagium a fine convivii ſumptum, quia, in ſecunda Menſa, Poma in convivio apponuntur, dici ſolet, quoties ad finem alicujus rei perventum eſt.

Ex quibus allegatis hujus feſtivi, & bibacis Poetæ verſibus, magis conſtat, Veteres illos, quando ad bibendum ſe invitare poculis inchoabant, Coronas quoque acceſſiſſe ad præſervationem ab ebrietate, & hujuſmodi provocatio in ſecundis Menſis locum habebat; de qua procul dubio, ſentit *Alcæus* apud *Athen.* ubi ait

Læti bibamus: cur rogo
Pigri manemus, uſque dum
Noctu lucerna fulgeat?
Vel longa digitus eſt dies
Majoribus tu Poculis
Infunde Vinum; atque variis
Semelis, Joviſque filius
Mortalibus Vinum dedit
Curas graves quod deleat.
Affunde; miſce Vinum; duo, & plura &c.

Enim verò operæ pretium erat antidotum paratum præſto eſſe ad retundendos Vini fumantes, *(b)* ſalienteſque vapores: *maxime enim merum quando caput ferit, & intendit* (ut inquit *Plutarchus in Sympoſio*, Triphonis Perſonam indutus) *corpora (c) perturbat &c. At florum exhalationes mirabiliter contrà hoc mali præſidio ſunt, caputque veluti arcem muniunt ad ebrietatem pellandam.* Eo quia flores vel calidi, *(d)* vel leviter frigidi ſunt: ſi calidi, meatus leviter dilatando, convenientem exhalationem præbent Vini vaporibus; & qui aliquantulum frigidiuſculi ſunt, putà Roſæ, Violæ, ſuavi contactu vapores repellunt, & præcæteris Roſa in uſu eſt, quia in tanta refrigeratione neſcio quid adſtringentis, ac compreſſivi in ſe habet. Quod & in *(e)* Hedera utique dignoſcimus, nam, ut ait *Athenæus lib.* 15. non tantùm viren-

(*b*) Plautus feſtiviter ait, *Vinum tanquam luctatorem doloſum, pedes primùm captare:* quod & apud nos in Adagium tranſit cùm dicimus: Vinum, dum bibitur, minari quidem calcaneis, ſed caput petere.

(*c*) Homerus in 6. Iliad. *Immodicum Vinum vires & animi, & corporis atterit.*

(*d*) Copiam ſalium volatilium juxta eorum figuras, vel dilatationem, vel conſtipationem gignere in poroſitatibus, nemo eſt Recentiorum, qui ambigat.

(*e*) Id eſt Hedera arborea; non verò ſmilax, nec Terreſtris, nec paluſtris.

virentibus foliis, corymbiſque frontem adumbrat, ſed virtute compreſſiva refrigerat *citrà odoris gravitatem.* Hinc *Galenus* inter convivales Coronas, hederaceas, & roſeas connumerat: *careant etiam* (Verba *Galeni*) *convivia æſtiva hedera, careant Coronis ex Roſis contextis.* Et quamvis *Anacreon* Roſaceam Coronam multi faceret, ex hedera tamen non recuſavit.

Hedera comaſque cingens &c.

Aſt ne nimia frigiditate hederæ, vel roſæ, læderentur Patres illi, vel (*f*) Apium, vel Lilia Coronis interſerebant, de Hedera & Apio ait *Horatius l.* 4. *Od.* 11.

eſt in horto
Phylli, nectendis Apium coronis,
eſt Hederæ vis
Multa, qua crines religata fulges

Roſis, Liliiſque Apium conjunxit idem *Horatius L.* 1. *carm. Od.* 36.

Neu deſint epulis Roſæ
Neu vivax Apium, neu breve Lilium

Anacreon quoque cecinit

En aſpice in corollis
Roſis decenter alba
Ut Lilia implicentur.

Sed ut redeamus ad virtutes Hederæ, quæ ſunt refrigerandi, & comprimendi vapores Vini ad cerebrum ſalientes: Tryphon in Plutarchi Sympoſio inquit, medici cognomen Baccho impoſitum fuiſſe, non tantum quòd inventor fuiſſet Vini, quod eſt medicamentorum validiſſimum, & ſuaviſſimum, ſed quia Hederæ uſum, quæ ſatis validè reſiſtit Vino, nos docuit, eaque (*g*) Bacchantes coronavit, ut minùs a Vino læderentur, Hedera

(*f*) Ideſt Apium hortenſe, non paluſtre, aut ſaxatile. Apud Plutarch. in ſympos invaluit Adagium: *Apio opus eſt*, cujus ſignificationem Manutius, ſeu Eraſmus in Adagiis malè nobis exponit: inquit enim: iis qui periculosè ægrotant Apio opus eſſe: dicendum eſt iis, qui morbo capitali tantùm laborant: & idcircò Apium in Coronis locum habebat cum Liliis.

(*g*) Bacchantis vetuſtiſſimum caput ex marmore Onychite in Muſæo Nicolai Baruffaldi Patris mei aſſervatur, Hedera, Corymbiſque coronatum, ore hiante, & ridente, cujus Iconem hìc afferre minimè tæderet ſi brevis Notæ præſcriptum mihi limitem fas eſſet excedere.

ra ſuo frigore Ebrietatem reſtinguente; quod frigoris genus comprobatur etiam per Clementem Alexandrinum in Pedagogo *lib.* 2. *ca.* 8. *Hedera itaque refrigerat.* Atque ſi cum Ammonio in Plutarchi Sympos. Hederam calidam eſſe decernamus, ratio in promptu eſſe poteſt, illam nempe meatus calore dilatando, concoctionem meri adjuvare, atque ex hoc etiam titulo, medici nomen Baccho non inconveniens adjudicatur. Quid quid igitur ſit: ſeu calidi, cum Tryphone, ſeu frigidi cum Ammonio, naturam induat Hedera, ſemper ſtat, Bacchum apud Ægyptios hedera coronatum fuiſſe, quare *Ovidius.*

Bacche racemiferos hedera redimite capillos

Ideò vel una, vel utraque qualitate, Vino ſemper adjuncta commendatur: quod & per Tertullianum confirmatur, ubi ait, *quòd hederæ natura ſit cerebrum ab* (*h*) *eluco defenſare*, hoc eſt ab illa ſomnolentia, ſeu ſtupiditate à nimio potu derivante.

§. VI.

NEque hîc ſubdo Plutarchi documentum, coronas nempè contrà Vinolentiam pharmacum eſſe, prius ab Ariſtotele, ab Ariſtone Peripatetico de Amore, & fortaſſis ab Andrea, juxtà Athenæum *lib.* 15. excogitatum, qui una ſimul docuere, apud Veteres in capitis dolore, & gravedine à nimio potu, in uſu fuiſſe, non ſine maximo levamine, frontem (*a*) Vittis, & Faſciolis perſtringere. Recentiores verò, ut priſco remedio, oculorum, & narium delectationem ſuperadderent, coronas excogitaſſe. Hinc *Galenus* (de Rem. fac.) capitis dolori per ebrietatem, vel per aliud, coronis, & Roſis recenter carptis opem fert, & *Manardus* noſter flores iſtos cum (*b*) Trago aptiſſimos ad capitis dolorem ſedandum laudat.

Equidem ad majorem hujus veritatis indaginem, nempè Antiquio-

(*h*) Alii Heluco, ut Martin. ab Helvo. Veternus, gravedo nimia a potione plurima: Plura ad hujus vocis explicationem affert Rhenan. in not. ad Tertull. & Turnebus.

(*a*) De iſtis Vittis, & Faſciolis egregiè tractat Jo: Rhodius in diſſertatione *de Acia* ad mentem Celſi *pag.* 179. illa enim perſtrictione motus inverſus fit muſculorum, vel coercetur nimia ſanguinis ebullitio.

(*b*) Tragus herba, ſcorpius. Plinius *l.* 27. 14. locus Manardi eſt *Ep.* 2. *l.* 7.

tiquiores noſtros in Conviviis, Nuptiiſque, ubi lautè bibebatur, Coronas adhibuiſſe, Silenum *Virgilii* (*Egl. 6.*) in ſcenam adducere liceat. Hìc cùm præcedenti die, bene, ut mos erat, potitaſſet, meroque incaluiſſet, antrum petierat, ut ſomno, vini tumultus compeſceret. Ibi à duobus ſatyrunculis, qui ut Cantiones illius blandulas audirent, eum veſtigabant, inopinatò deprehenſus eſt turpiter ſtratus, ac ſomno captus, Corona jam è fronte dilapſa.

Chromis, & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno videre jacentem
Inflatum heſterno venas, ut ſemper (c) Jaccho
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant.

In Poemate quoque Maximo idem *Virgilius*, Æneas Italiam primò veniens, ſociis, jubet, ut ſummo mane, audacter de Regione illa, ejuſque domino ſciſcitarent, indeque libarent pateras Jovi, Vinumque adferrent in menſa: precibus, & votis Anchiſen peterent dum ipſe viridi fronde comam implicaret.

Nunc pateras libate Jovi, precibuſque vocate
Anchiſen genitorem, & vina reponite Menſis.
Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat &c.

Hortenſius notat, Æneam ſe Corona percinxiſſe ritu ſacrificantium quapropter in ejus adventu ad littus Siculum eidem Patri ſuo ſacrum facere exoptans, juſſit, omnes ſocios virenti fronde coronari, ſicut & ipſe ſe ambiit Corona ex myrtho contexta, tamquam Planta Matri Veneri ſacra, undè *lib.* 5. legitur

& cingite tempora ramis:
Sic fatus velat materna tempora myrtho:
Hoc Helymus facit &c.

Similiter & Aceſtes, & Puer Aſcanius, atque inde ſepulchrum adiens, ſacrificium eſt aggreſſus. *Lactantius* (*lib.* 1.) hæc omnia ſacrificiis tribuit, dum notat: *cui*, nempè Anchiſæ, *non tantum immortalitatem, verùm etiam Ventorum tribuit poteſtatem.* dum

(*c*) Nomen Bacchi. Unde Virgil. *Eclo.* 7.
Populus Alcidæ gratiſſima, Vitis Jaccho.
ſumitur quandoque pro ipſomet Vino, ut in loco textus.

Dum dicit: *poſcamus Ventos*. Sed etſi (*d*) Sacrificii ambo ſpeciem præſeferant: veruntamen ambo ad Convivii normam celebrata ſunt: de Siculo ſacrificio.

Ordine ahena locant; alii fuſique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viſcera torrent.

hoc eſt juxtà verſionem Italicam Hannib. Cari.

Altri cibi ne fero, e tutti inſieme
Sul verde Prato a convivar ſi diero.

& ità redimitti hilariter pranſi ſunt: de alio in profectione Italica ait Poeta.

Certatim inſtaurant Epulas, atque omine magno
Crateras læti ſtatuunt, & Vina coronant.

Ubi *Servius* exponit: *vina coronant, pro pateris*: ut alibi quoque inquit: *Magnum Cratera coronat*. Doctiſſimus *Lambertus*, *non* (*e*) *ipſa Vina, ſed pocula; metonymia, qui tropus Poetis eſt familiaris* Hannibal Carus nihilominùs ità egregiè explicat Italicè.

à tanto annuncio
Tutti commoſſi à rinovar le menſe
Ad invitarſi, à coronarſi, à bere
Lietamente ſi diero.

En igitur quomodo illud *Vina coronant* aliud etiam ſignificare poteſt, quàm calices coronare. Aſt cùm tanto Interprete liceat mihi uno voto eſſe, eò magis quia vel Raderius ipſe in gloſſ. ad Martial. (*l.* 10. *Epig.* 19.) magis magiſque ſententiam noſtram comprobat. Epigramma eſt: *cum regnat Roſa &c.*, aitque *Raderius*, *Roſa coronati enim potabant, & hoc eſt quod exiſtimant aliqui, Vinum coronare, cum coronati biberent.* Ubi *Martialis* mirè Coronas, & Unguenta conjungit.

Cum regnat Roſa, cum madent capilli.

(*d*) Quatenus libatur Diis, Sacrificium eſt, & quatenus hominibus, dicitur Convivium in utriſque enim lautè epulatur; & menſa, ut alibi notavimus, ſumitur etiam pro Altare; Sacrificabant veteres a cœnis diſcedentes, ut notat Athenæus *l.* 1. c. 9.

(*e*) Philologi, ut coronationem vinorum, & paterarum probent, locum hunc Virgilii afferunt: *Vina coronat.* Sed Tropus eſt, ut inquit Lambertus, Poetis familiaris. Vinum coronare ego intelligo, ſe coronare potando; ſed alibi de hoc uſu.

Madent, idem *Raderius* explicat, *delibuti Unguentis*. Idem etiam *in* alio *Epigrammate* libri 5. legimus

Pingueſcat nimio madidus mihi Crinis Amomo
Laſſenturque Roſis tempora ſutilibus

Ovidius pariter (*lib.* 5. *faſt.*) ita Coronas, & Unguenta conjunxit.

Tempora ſutilibus cinguntur tota Coronis,
Et latet injecta ſplendida Menſa Roſa.
Ebrius incinctis Phylira conviva capillis
Saltat, & imprudens utitur arte meri.

de quo, nempe cur coronarentur Convivæ, tunc quando majoribus Poculis circum propinabatur, ſi rationem reddere deberemus, cum eodem Poeta utique danda eſſet.

Bacchus amat flores, Baccho placuiſſe Coronam
Ex Ariadneo ſydere noſſe potes.

Antiphanes quoque Coronas, & Unguenta aſſociavit, dum inquit apud *Athenæum lib.* 1.

Obſonii appetentiam valdè excitant
Unguenti odor, Corona, Vinumque Thaſium.

Idem Author de Archeſtrato ità habet: *Archeſtratus igitur parandi variis modis obſonii peritus, a cœna propinationes, compotationeſque adhibendas eſſe, ac Unguentis utendum, ſic inquit.*

Perpetuò verò Coronis inter Cœnam caput redimitum ſit,
Omnifariis quibus univerſa Terra ſolùm floret,
Stillatitiis Unguentis coma bonis inungitur.

§. VII.

IN Regibus, & Magnatibus quoque iſta Unguentorum, & Coronarum inſeparabilis Unio, ex *Plutarcho* ſatis evidens eſt, qui ait, (*a*) Artaxerxem Coronam Antalcidæ Lacedemoni dono

(*a*) Eſt locus Plutarchi in Sympos. *l.* 7. *q.* 8. Clarior eſt, ac ad noſtrum propoſitum magis accommodata interpretatio Guilielmi Xilandri, qui Coronam illam Regis non de more, ſed ob contumeliam, quandamque ingenii ruditatem Unguento delibutam fuiſſe ait. Verba ſunt, *Admodùm certè inepta, & ruſtica habetur Regis Perſarum adverſus Antalcidam Spartanum magnificentia, quandò Coronam e Roſa, & Croco confertam in Unguentum intingens ei miſcuit nativa pulchritudine extincta, factaque floribus injuriè contumelia.*

no dediſſe. *Rex ſuam ipſam coronam Unguento immerſam ferri juſſit.* L. Verus quoque Imperator, iis, quos in convivio acceperat, monente *Capitolino*, Unguenta, & Coronas elargiebatur: *Coronas, quin etiam datas lemniſcis aureis interpoſitis & alieni temporis floribus, data, & vaſa aurea cum Unguentis ad ſpeciem (b) Alabaſtrorum.* Locus *Ciceronis* pulcherrimus nunc ſubit, *in Oratione pro Gall.* ſtylo illo aureo, pene ad evidentiam Convivium omnium flagitiorum genere refertum oſtendens, ait: *Ut clamor, ut Convivium mulierum, ut ſymphoniæ cantus; videbar mihi videre alios intrantes, alios autem exeuntes, partim ex vino vacillantes, partim heſterna potatione oſcitantes. Veſcebatur inter hos Gallius Unguentis oblitus, redimitus coronis.* Cætera hic reticenda eſſent, ſed quædam Coronarum ſpecies, narrationis continuationem poſtulant. *Humus erat lutulenta vino, Coronis languidulis, & ſpinis cooperta piſcium.* Quas languidulas Coronas ex Roſis puto contextas; aliiſque hujuſmodi floribus mollioribus, utpotè qui a Vini calore ad caput ſaliente, preſſi facilè languent, flacceſcuntque: ideòque à convivii exordio, cùm recenti illa frigiditate nihil oblectamenti afferrent, projiciebantur: & ex hoc Coronis languidis flaccidiſque, Triclinii, seù Cœnaculi pavimenta (c) ſternebantur. Hujuſmodi Coronam uſurpavit (d) Meton ille Tarentinus, tunc cum Pyrrhi intempeſtivum adventum ad Tarantum tuendam impedire auſus, ebrietatem ſimulans, languidula Corona redimitus facem, ſeu lampadem manugeſtans furens Senatum irrumpens, paucis, ſed libratis verbis, ab amiſſione libertatis, Pyrrho accerſito, Patrum animum, quamvis incaſſùm removere tentavit: *Accepta*

 Coro-

(b) Ad Vaſa referuntur hæc Alabaſtra, non ad Unguenta, Vaſis genus erat ex Alabaſtrite lapide, torno excavatum ad conſervanda Unguenta maximè idoneum. Ex hoc Itali *Albarello*, & prius *Albaſtrello.*

(c) Caſu, non arte: dum enim flores flacceſcebant, paullatim è Coronis decidebant.

(d) Eſt locus Plutarchi in Vita Pyrrhi. Meton Vir Urbanus erat. Leonardus Aretinus in hac interpretatione nihil aliud ait, quam *accepta Corona, & Lampade:* illud *languidula* deſideratur; quod nihil ad rem facere judico. Ad ſummum, hunc Metonem, flores quoſcumque, ut ad manus occurrebant ex tempore, ſeu flaccidos, ſeu recentes collegiſſe, ac ſibi Coronam compoſuiſſe Judico; non enim cunctandi tempus aderat in tam gravi re, ad colligendos, & ſecernendos flores tantùm languidulos, & marceſcentes.

Corona, *& Lampade*, inquit *Plutarchus*, *quaſi Ebrius*, *tibicina ducente.* Interpres verbum illud *languida* tacet, ſed *Petrus Victorius* fideliter è græco idiomate: *ſumpta corona languida*, *& facula*, *ut mos ebriorum eſt*, *ducente tibicina.* Undè Sanſovinus ad vernaculam linguam tranſtulit: *Poſtaſi in capo una corona di foglie marcie*, *e guaſte.* Et quia Roſa brevi languet, flacceſcitque, utpotè quæ magnam odoris copiam expirat, à quo tanquam (*e*) ab anima vivificatur, citò ſpiritibus exhauſta langueſcit, vitamque profundit. Idcircò *Clemens Alexandrinus in lib.* 2. *Pedag.* hujuſmodi Coronarum, & Florum brevem vitam exagerans, ait: *ſtatim autem probatur eorum Vitæ brevitas: ambo enim flacceſcunt flos*, *& Pulchritudo*: atque ex hoc illam Tarentini Civis Coronam Roſarum, Violarumque contextam fuiſſe judico. *Roſa autem*, inquit *Plutarch. in Sympos*, *Rhodon dicitur quia multum odoris exhalat*, *quo fit*, *ut etiam celerrimè marceſcat.* Et enunciatus *Clemens Alexandrinus*: *Hinc etiam dicunt Roſam græcè Rhodon fuiſſe nominatam*; *quòd odoris plurimum fluxum emittat*, *& ideò citò macreſcit*: Ità quoque ait Magnus (*f*) Cælius Rhodiginus *antiq. lect.* quod & inſuper confirmatur ab illis, qui in Libro Sapientiæ inquiunt: *Coronemus nos Roſis antequàm marceſcant*, hoc eſt, priuſquam putreſcant, & decidant: Atque ità ſatis explicatas credo *languidulas* illas Ciceronis coronas.

§. VIII.

NUnc remanet ut de (*a*) Sutilibus Coronis Ovidii, & ſutilibus Roſis Martialis aliquid proferamus, cùm materiæ admo-

(*e*) Odor, Florum anima dicitur a Ferrario in Flora, de Jaſmino loquendo, & a Virgilio in Elegia de Roſa quam Scipio Badalucus commentariis illuſtravit.

(*f*) Magnus ille Eruditionis antiquæ Theſaurarius. Antiquar. *lect. l.*27. *c.*26. Hoc enim illi innoteſcere facilè poterat à nomine illuſtris Patriæ ſuæ Rhodigii, quam tradunt nonnulli a Roſis, ſeu a Rhodon originem traxiſſe, inter quos Hercules Strozza, & Maximus Poeta Arioſtus in Furente *C.* 3. *ſt.* 40.

Come la Terra, il cui produr di Roſe
Le diè piacevol nome in Greche voci.

(*a*) Loca Martialis & Ovidii in §. 6. hujus diſſertationis leguntur.

modùm concinnum videatur. (*b*) *Sutilis* ſi Calepini Lexico credendum eſt, res ſuta ſignificat: Domitius in Martial. duplices eſſe Coronas ait: *aliæ plicatiles, aliæ ſutiles*, quam diſtinctionem priùs attulerat *Plinius l.* 21. *c.* 3. *ſummaque Auctoritas pactili coronæ ſutiles ſalcorum ſacris invenimus, & ſolemnes cœnis*: hinc paucis interpoſitis: *ſutilibus mox petitis ab India, aut ultrà*, quem locum aliter Turnebus legit, qui tria Coronarum genera affert, *Pactiles, ſutiles*, & *Plectiles*, quæ ab aliquibus *Compactiles* appellantur; *quarum coronamenta in torulo rotundo, vel uſpiam figuntur, panguntur que*: nec aliud ſignificant quàm, ſeu flores, ſeu frondes quibuſdam orbiculis alligatas, quibus mulieres pro Corona utebantur. *Sutiles ſutos habebant flores, aut coronamenta; fiebant ferè e mero Roſæ folio.* Ità enim legitur textus *Plinii: Tranſiere deinde ad Roſaria, eoque luxuria proceſſit, ut non eſſet gratia niſi mero folio ſutilis:* adeò ut Coronæ ex ſolis Roſarum foliis contextæ, & affabrè ſutæ magno in pretio haberentur. Sequitur Corona *Plectilis*, & hæc *è ſurculis, vel ramulis plectitur, & innectitur, ut ramo Lauri, aut Myrthi.* Huic Turnebi deſcriptioni *lib.* 18. *c.* 19. *Adverſariorum*, adſtipulatur Martinus del Rio, dum verba illa *Senecæ* in Agamemnone interpretatur.

Tibi nexilibus
Turba Coronis redimita venit

De hac plectili corona ex ramuſculis flexis, inque orbem circumvolutis teſtimonium habemus in *Plauto Act.* 1. *Sc.* 1. ubi adoleſcentulus Piſtoclerus ait (*in Bacch:*)

Pro galea ſcaphium, pro inſigni ſit corolla plectilis

Ad quæ *Lambinus. Corona plectilis eſt, quæ ex ramo Lauri, aut Myrthi, aut ſimul, nectitur, non adhibitis ullis ornamentis ſupervacaneis, quales ſunt lemniſci*

Ad texendas hujuſmodi Corollas, non tantum Laurus, & Myrthus in uſu erant, ut docet Paſcalius, Sed Vermenæ te-

 nues

(*b*) Sutura accipitur etiam pro Fibula, ideoque *ſutum* idem ac fibulatum; exponit Joh. Rhodius in *diſſert. de Acia p.* 116. quin latini etiam ſcriptoribus *Sutum* eſſe fibulatum, & *Reſutum* refibulatum, Suetonii autoritate Salmaſius probavit. In Coronis noſtris hæ fibulæ locum habebant cùm ad frontem alligarentur, perſtringerenturque fibulis: & benè huic opinioni favet locus Turnebi, qui paulopoſt in hoc §. explicatur, ubi de tribus Coronarum generibus.

nues ex ſalice, quæ faciliter contorquentur, perſtringunturque, & ità in *Athenæo lib.* 15. legimus: *ex Amerina Salice (c) Ruſticorum coronamenta.* Populi verò Carii, cæteris poſthabitis, hac ſola Corona ex Salice coronabantur. Nec abs re judico illud Triphonis in Plutarchi Sympos, qui Florum Coronas, & præcipuè Roſarum & Violarum utiquè approbabat, tamquàm à Natura, quæ nihil fruſtrà operatur, ad noſtram oblectationem inſtitutas; ſed illa Arborum denudatio, frondumque decerptio pro barbara immanitate habebatur: cùm frondes non tantum adornamenta plantarum, ſed & ad (*d*) fructuum tutamen ab externis in juriis productæ ſint à Natura: adeo ut ſi plantæ ratione, & ſenſibus pollerent, utique de hujuſmodi cede dolerent non minùs quam Arbores illæ, de quibus *petrus a* Vineis apud *Dantem. Inf.* 13.

perche mi ſchiante?
perche mi ſterpi?
Non hai tu ſpirto di pietade alcuno?
Ben dovrebb' eſſer la tua man più pia.

Laurus quocumque tempore in magno honore habita eſt: adeò ut Empedocles nec frondem carpi ſinebat: (*e*) *A Lauri foliis abſtinendum prorsùs.* Ità legit Cælius Rhodiginus *Antiq. lect. l.* 27. *c.* 26. Et fortaſſe hac de cauſſa à Conviviis Planta hæc arcebatur, quamvis Athenæus *lib.* 15. ſcripſerit, Lauream Coronam ob ejus calorem, gravemque odorem, compotationibus inutilem fuiſſe. Atqui ſi è conviviis tam nobilis Planta exulat, in hujuſmodi con-

(*c*) Iſta Ruſticorum coronamenta à nobili ſympoſiorum ordine erant arcenda: in Ruſticis enim conviviis quidlibet, vel vile, & incongruum, locum habet: neque per hoc ſalix inter nobiles Plantas aggregatur.

(*d*) Per Servium in 2. Georgi. Salix ſterilis eſt, verùm fructus gignere ſatis liquet. Hic pro Agno caſtro ſumitur.

(*e*) Empedocles in loco cit. apud Rhodiginum, ob venerationem plantæ debitam hoc fortaſſe dicit, non ob vitium aliquod Plantæ; Laurus enim ſacra Apollini eſt. Rhodig. *l.* 5. *c.* 7. Ego verò autumo locum eſſe Plutarchi Symp. III. *q.* 1. ubi Empedoclis hic verſus legitur. *Omnino foliis debemus pavere Palmæ.*

contemptus vindictam regales (*f*) Imperatorum frontes, eximiorumque Poetarum percingere dignata eſt. His verò non obſtantibus Ibicus per Athenæum inter Coronamenta Laurum quoque computavit. Ægrè tamen ferendum puto, Violas quoque à Coronarum textura rejeciſſe, eo quia odore caput feriant, cùm ſatis apertè innoteſcat, gratiſſimas eſſe Violas, utpotè quæ ſpecioſæ Veris nuntiæ, & quæ non gravem, ſed leviſſimum, gratiſſimumque ſpirant odorem: quomobrem Theophraſtus *lib.* 6. inter Coronarios flores violam enumerat, nec non & Ibicus apud Athénæum *lib.* 15. & Clementem Alexandrinum qui Violas, Lilia, & Roſas in Coronis adhibitas teſtatur; *Plutarchus* quoque *in Sympos* non tantum id confirmat, ſed inſuper de utilitate rationem reddit: *Et quæ leviter frigida ſunt, mediocri contactu vapores repellunt, ut violacea, & roſacea Corona: utrumque enim harum adſtringit, reprimitque odore ſuo ea, quibus caput gravatur.* Philetas apud Athenæum ait Myrthi ramis Violas, & alios Flores complicatos fuiſſe. Ægeſias, ſeu quiſquis (*g*) Author Cyprii Poematis, inter coronamenta Violas quoque enumerat: idem & Nicander in 2. *lib.* Georgic., & Cratinus in effœminatis. Nec pro Viola reticendum eſt id quod narrat Plutarchus in Symp: nempè in quodam Convivio Cheroneæ parato, cùm jam omnis generis poma allata eſſent, cùm Conviva unus, illa Homeri verba quibus fortunati Alcinoi Horas deſcribit commemoraſſet, nempe *egregio mali fructu*, vel ut alii interpretantur, *mali pulchrum fructum* (Homerus Epitheto (*h*) *Agleocarpon* utitur, quod ſplendidum, nitidum, præſtantem ſignificat) ſciſcitatus fuit, quare Græcus Poeta tali adjuncto Pomum

(*f*) F. Petrarca in Carm.

Arbor Vittorioſa, e trionfale,
Onor d' Imperadori, e di Poeti.

Inter Poetas Italos præclariores, Laurea corona donati ſunt, ſuperenunciatus Petrarca Lyricorum facile Princeps. anno 1341. à Senatu Romano in Capitolio: Magnus Ludovicus Arioſtus Epicorum Anteſignanus Mantuæ anno 1532. per Carolum V. Cæſarem: Antonius Tebaldeus & ipſe Ferrarienſis Poeta, Ferrariæ anno 1469. per Fridericum Imp. aliique celeberrimi Poetæ.

(*g*) Vel Hegeſias, vel Staſinus, ut Athenæus *lib.* 15. *c.* 12.

(*h*) Interpretatur etiam, fructus Aglaiæ, quæ una eſt Charitum.

mum conſociaſſet: cujuſdam ſententia fuit in illo fructu omnes veneres coacervatas eſſe, & in illo omnium quorumcumque fructuum excellentias coli: In illo enim, ſi tactui credas, mollities erat Violæ, quæ non inquinat, *ſed fragrantia opplet tangentem*, eſtque olfactui, & viſui jucundiſſimum malum. Si igitur malo illi, & venuſti, & egregii nomen conveniens adjudicatum fuit, quia tactus mollitiem, guſtus ſuavitatem, odoris fragrantiam, viſus pulchritudinem ad inſtar Violæ præſeferebat, ſatius Violæ tribuendum eſt honoratum illud epitheton *Aglaocarpon*. Quare Violam, ut ſenſibus omnibus ſatisfiat, à Coronis proſcribendam non judico, immò inter digniores flores locus ei dandus eſt.

§. IX.

INterim mihi locus ſit ad originem inquirendam, cur Coronæ ad finem Convivi admitterentur: quæ fuit utilitas, & delectatio. Ità Plinius, Clemens Alexandrinus, Athenæus, Rhodiginus, Stuckius, Paſcalius, & denique quotquot Scriptores ſermonem de Coronis habuere. Quoad delectationem, ex antecedentibus jam conſtat: vidimus enim Flores, & Coronas odorum fragrantia, atque pulchritudine maximum oblectamentum afferre. De Utilitate verò, licet nonnulla in antecedentibus præfati ſimus, alia quoque nunc hìc ſubdere non erit oneroſum. Plinius *lib.* 21. ait Mneſteum, & Callimacum primos fuiſſe, qui de Coronis ſermonem haberent, quique nos docuerunt quales Coronæ damnum, quales utilitatem, ſeu levamen afferrent: *quoniam & in hoc eſt aliqua valetudinis portio. Plutarchus in Symp.* fortaſſe ab iſtis edoctus idem documentum dat, nos admonens, ne Coronis ex frondibus Nucum, (a) Narciſſi,

(a) Annè floſculus ille innocens, ac formoſus, funeſtiſſima illa fabula notus? Utique. Sed, bona venia Plutarchi, licet de Umbra Nucis, quæ verè infeſta eſt iis, qui ſub ea Planta recumbunt, hoc credendum ſit; non ità tamen eſt de Narciſſo, & Ruta. Effectus nocuus iſtorum foliorum Rutæ, & Narciſſi, ut arbitror tunc locum habet, quandò per olfactum nimium penè eviſcerantur, vel per os deglutiuntur, inque ſtomachum introducuntur, non verò ſi in Corolla ad frontem perſtringantur, ubi vim pene nullam habent, ut proſint, vel noceant. Similiter intelligendus eſt locus Sinibaldi de Ruta prægnantibus nocua.

ciſſi; ſeu Rutæ caput ornemus: *Nam & Nucem Caryam dixerunt, quòd ſpiritum gravem, ac ſoporem incutientem profundum exhalans, lædat qui ſub ea recumbunt; & Narciſſum quia torporem nervis incutiat, gravedinemque torpidam: Rutam quoque Peganon ea de cauſa dictam autumat* (de Sophocle loquitur) *quòd ob ſiccitatem calore mixtam, ſemen genitale conſtringat, & coagulet.* Et proptereà Joannes Baptiſta Sinibaldus in Geneanthrop. inquit, Rutam infenſam eſſe mulieribus prægnantibus. Ariſtoteles, & Ariſton utrique in libris Amatoriis, nos Admonuere, Veteres in capitis dolore, & gravedine vinolenta, maximum levamen inveniſſe, tempora funiculis perſtringendo, *quòd eam ligaturam prodeſſe crederent.* Quidam Andræas, ut puto, Medicus, apud Athenæum narrat, cuidam, cui caput intensè dolebat, ipſummet caput compreſſiſſe, atque illico eundem ad priſtinam valetudinem reſtitutum fuiſſe ex quo cognovit in hujuſmodi capitis doloribus hanc perſtrictionem eſſe doloris præſens auxilium; & idcirco iis, qui vino madebant (*b*) Hedera caput ſtrictè cingebant: hedera enim Planta eſt nullius culturæ, & ubique provenit copioſa; præterquâm quod nec viſu ingrata eſt; nam corymbis, & foliis virentibus *frontem opacat*, adſtrictioniſque vehementiam patitur, ac inſuper refrigerat citrà odoris gravitatem. Cui addit *Plutarchus*, Hederam ſuaptè natura Vino admodum repugnare: quapropter ex Hedera Corona (*c*) Baccho dicata fuit, ex quo Deus ille Vini potionem primus adinvenit; (*d*) *medicamentum valentiſſimum, & ſuaviſſimum; maliſque indè naſcentibus optimum præſtitit pharmacum.* Quarè medici titulo honoratus eſt à Pythio Oraculo, referente Mneſteo Athe-

(*b*) Fuga igitur doloris è capite non ex Hedera, ſed ex quacumque preſſione, & perſtrictione habebatur. Hedera tantum, ſeu ſalix ſecernebatur quia flexibiles, & ad inſtar funiculi ramos habent.

(*c*) De Hedera, & Bacchi Corona plura habebis in elegantiſſimo opere doctiſſimi Philippi Bonaroti, de quibuſdam Nummis Maximi Moduli, ubi tamquam pro mantiſſa, addit explicationem eruditiſſimam cujuſdam Gemmæ, in qua anaglypticè Bacchi triumphus exprimitur ad pag. 247. Baccho etiam erectam fuiſſe Columnam hedera cinctam ex Euripide refert Clem. Alexandrinus *lib.* 1. Stromatum.

(*d*) Juxtà illud vulgatum in Dithyrambo ſuaviſſimi Vatis

Il Vino è Imperador d'ogni rimedio.

Athenienſe in *lib.* 1. Athenæi. Athenienſibus reſponſo Pythiæ juſſum fuiſſe, ut (*e*) Bacchum Medicum venerarentur; quod etiam à Camaleone his verſibus apud eundem Athenæum exprimitur.

Viginti ante Canem, ac totidem poſt ipſe diebus
Ædibus umbroſis tectus, Medico utere Baccho.

Ex hoc invento hederaceæ Coronæ, & ab ejus obvia fœcunditate, aptitudineque ad perſtringenda tempora ad inſtar funiculi, Magiſtem, ex Anacreonte, (*f*) Salicis Amerinæ, ſeu Agnicaſti corona caput percinxiſſe arbitror, quoniam ad nexus eſt idonea, ut ait Athenæus *lib.* 15. quare Admetus, cum Statuam Junonis, Samios deſerturam vereretur, adque Carios ſe recepturam, oblongis ramuſculis ex Salice Amerina, ſeu Agno caſto (*g*) illam vinxit, perſtrinxitque, & hoc non tantùm quia planta illa ad manus, & in propinquo eſſet copioſa, eo in loco, ubi convivabatur, ſed ut quoque vini vaporibus ad caput ſalientibus opem ferret illa potiſſimum ſibi tempora præcinxit.

§. X.

(*e*) Nonnulla Vota Libero Patri, ſeu Baccho tamquam Medico, & liberatori attulis Jac. Phil. Thomaſinus in lib. *de donariis*. cap. 27. elegantius mihi videtur illud Lindavi Monumentum quanquam, ut judicavit Gruterus ſuſpectæ antiquitatis.

DIIS MAXIMIS
BACCHO ET SOMNO
HUMANÆ VITÆ
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB.
SACRUM.

(*f*) Eadem Salix de qua ſupra ad §. VIII. *l. c.* diximus Ruſticorum coronamenta fieri diciturque Vitex ob Ramorum flexibilitatem: Cave ne credas ex vulgari ſalice fieri coronamenta.

(*g*) Neutrum Athenæo credo, nempe hoc factum fuiſſe ob ramorum flexibilitatem, vel ad reprimendos Vini vapores. Veriſimilius eſt hoc factum fuiſſe, quia cum Juno caſtitatis ſymbolum ſit, nulla alia fronde ligari congruum erat ejus ſimulacrum, quàm ex Salice Amerina, quæ & Agnos, ſeu Caſtum dicitur, eo quia Virgines olim ſibi componebant ſtratum ex hujuſmodi Plantæ foliis.

§. X.

FUniculis, & faſciolis, quas (*a*) lemniſcos appellat Feſtus, & ſeu ex (*b*) lino, ſeu ex lana conficiebantur, quòd antiquiſſimum fuit genus coronarum lanearum, Coroniſque Hederaceis jam inſtitutis, remedii opportunitati delectationem, & venuſtatem, ſeu elegantiam quoque adnectere ſtuduerunt. Hoc ex Ariſtotele, & Ariſtone nuper allegatis habemus: *poſteros autem, ut ornatus adderetur quidpiam temporibus, quod compotationis oblectamentum eſt, coronas excogitaſſe*; quæ capiti præcipuè aptabantur, quia ſedes in eo ſit omnium ſenſuum. *Athenæus* quoque poſt hederaceam Coronam, immediatè ſubdit. *At jam indè voluptatibus illecti homines, præter eam vim, quia ebrietatis incommodis medetur, & confert ejuſmodi coronam, oculorum quoque, & narium delectationem expetiverunt.* Atque ex hoc exordium ſumpſere Coronæ ex Floribus, Herbiſque redolentibus, Natura ipſa magiſtra, quæ floribus & Herbis miſcuit utilitatem atque oblectamentum, *promptiſſimum*; *id eſt*, inquit *Athenæus*, *ex florum faſciculis, ac ſertis præſertim Natura duce, atque Magiſtra.* Atque hic de Roſis Violiſque ſatis: liceat tantum ſuperaddere verba ipſa *Plutarchi*. *At florum exhalationes mirabiliter contrà hoc mali præſidio ſunt, caputque velut arcem muniunt ad ebrietatem pellendam, nam ut calidi flores molliter aperiendis meatibus faciunt, ut perſpirare vinum poſſit, & quæ leviter frigida ſunt, mediocri contactu, vapores repellunt, ut violacea & roſacea corona: utrumque enim harum adſtringit, reprimitque odore ſuo ea, quibus caput gravatur.* Notatu dignum eſt verbum illud (*c*) *contactu*,

(*a*) Limniſcos quoque: utraque enim lectio invenitur. Faſciolæ dependentes ex Coronis nuncupantur à Feſto. Servius ad illud Virgilii.

Puniceis ibant evicti tempora vittis

ſcribit, Poetam ſignificare Lemniſcatas Coronas, quæ ſunt de frondibus, & diſcoloribus faſciis. Tæniæ quoque anguſtæ, nec non & Virgula inter geminos punctos jacens. Iſid. *lib.* I. 20.

(*b*) Telas lineas facilioris nexus ac plicationis, quam Laneas experientia docet: ideò in Coronis Lana minus uſitata.

(*c*) Per contactum enim facilius introduntur particulæ, ſeu ſales in cute, & levamen propoſitum afferunt.

tactu, quia hujuſmodi Coronæ non tantum odore opem ferunt, ſed etiam tactu ipſo in fronte, & capite. Ex quo deducitur, ſerta illa non modò (*d*) extrà, ſed intrà, floribus, frondibus, herbiſque aptè repleta fuiſſe, & ideò non ſolum frigiditate, ut ita dicam, potentiali, ſed actualiter juvant ad retundendas Vini fumoſas exhalationes, & ita cerebrum frigore non attingunt, ut aliqui adverſantur, ſed a calore illo extraneo, & gravedine cerebrum ipſum vindicant: Ità illud *Ariſtotelis* bene ac ſapienter prolatum judicabimus *de ſenſ. c.* 5. *Ad auxilium ſanitatis facta eſt iſta ſpecies odoris.* Et illud *Plinii* jam enunciatum: *In hoc eſt aliqua valetudinis portio.* Et quia odoris virtus calidam naturæ eſt, cerebrum ſua natura frigidum refocillatur. Super quæ *Averroes. Olfactilia curant ab infirmitatibus capitis, & olfactum eſt in majori parte calidum, & ſiccum.* Corona ex Myrtho, alio nomine Naucratites nuncupata, ſatis efficaciter Vini fumoſitates repellit, adjectis Roſis. Hic *Athenæus. At cum Myrtheam Coronam, quæ adſtringit, & Vini exhalationes arcet, tum è Roſis, quæ & gravitatem capitis nonnihil ſedat, & æſtuantes potiones refrigerat, uſurparunt.* Quare *Philenides* inquit. *E Myrtho Coronam meri vapores prohibere, è Roſis autem refrigerare, & gravitatem capitis lenire.*

§. XI.

Atqui nonnullos me redarguentes audio: quid iſtud *Naucratites*, cum Corona Myrtho, Roſiſque contexta? & declarari terminos poſtulant. De Naucratite Corona igitur modò ſermo erit, atque inſuper oſtendam Roſas Veneri, & Cupidini apprimè ſacras fuiſſe, immò apud Charites in magno pretio. (*a*) Polycharmus, monente Athenæo, Librum Rerum, geſtorumque Veneris ſcripſit, in quo hæc mira, & jucunda fa-

bella

(*d*) Cùm Coronæ in orbem compoſitæ ſint, ac contortæ, neceſsè eſt intus quoque, & herbas, & flores habuiſſe.

(*a*) Naucratites & ipſe erat Patria. Athen. *l.* 15. *c.* 6. Ejus liber de Venere inſcribebatur.

bella legebatur. (*b*) Annis Olympiadis XXIII. Heroſtratus Civis Naucratites [(*c*) Urbs eſt Naucratis de qua Strabo *l.* 17.] mercaturæ operam dabat, negotiabaturque plurimis in Provinciis: Cùmque Paphum Cypri applicuiſſet, ſimulacrum, ſeu parvum Idolum Veneris ad palmi unius menſuram, ex antiquiſſimo opere, quod ſecum ad Naucratitem transferre meditabatur, comparavit. Cùmque propè Ægyptum navigaret, atque hyems repente incidiſſet, perterritus, atque mente turbatus, quo traheretur Euri furore, quaſque aquas navigaret, penitus ignorabat. Omnes ad Veneris ipſius ſimulacrum confugerunt, atque orarunt, ut eos ſervaret. Tum verò Dea (erat enim Naucratitis amica ac clementiſſima) protinus Navem totam viridanti (*d*) Myrtho circumvallavit, obduxitque, atque fragrantiſſimo odore totam perfudit. Inſperato prodigio Nautæ, ac Advenæ correpti, qui jam corde fracti animum deſponderant in vitæ periculo, atque laxati de eorum ſalute prorsùs deſperaverant, cumque ſol enituiſſet, montibus conſpectis, in Naucratem pervenerunt. Tum Heroſtratus exiens è navi cum ſimulacro, ſimulque virides myrthos habens, quæ ſibi repente apparuerant id depoſuit in Veneris Phano, ſacrificiaque inſtituit, eaque Veneri dicavit, ac Convivium in ipſo ſacello celebravit, convocavitque eo quos conveniebat, & familiares Viros, quorum ſingulis coronam ex Myrtho donavit, quam (*e*) ideò Naucratitem appellant. Ita Polycharmus de hujus coronæ origine: An verò tunc temporis, vel annis ſupervenientibus Roſa cum Myr-

(*b*) De Olympiadarum annis diſertè Lilius Gyraldus noſter in libro de Annis, & Mens. Iſta verò ſeu Fabula, ſeu Hiſtoriola narratur ab Athenæo *lib.* 15. *c.* 6. quod totum inſcribitur de Corona Naucratite. Aliquantulum diſcrepant inter ſe interpretationes Caſauboni, & N. Comitis. D. Lanzonus Author prima uſus eſt.

(*c*) Urbs, & Nomos, ſeù Præfectura Ægypti mediterranea intra Deltam. Hinc Naucraticum oſtium Nili. Vulgò *Roſſetto.* Ità Plinius, & Ptolemæus.

(*d*) Natalis de Comitibus ita vertit. *Omnia quæ illi erant appoſita, myrthos virides fecit.* Quæ lectio magis conſona videtur, & veriſimilis: Cum enim Græca Theologia per Metamorphoſim magis explicetur, Fabulis priſcis iſta formarum mutatio magis arridet. Itaque omnia quæ in Navi erant ad uſum Navis in Myrthum convertit.

(*e*) Igitur Naucratis Corona dicitur, quia in oſtio Naucratico iſta prodigioſa germinatio, iſtudque, ut ita dicam, Veneris miraculum evenit, ubi ſtatua ejuſdem Deæ Myrtho, & Roſa coronata fuit.

tho colligata fuerit, penitùs ignoro: hoc unum ſcio, *Athenæum* illicò poſt Naucratitem, Coronam Myrtheam ſubnectere. Verba ſunt. *Hæc Polycharmus, quibus fidem adhibeo, nec ullam aliam eſſe Naucratitem coronam puto, quam myrtheam adjectis Roſis.* Nihilominùs *Anacreon* videtur Roſeam Coronam (*f*) a Naucratite ſejungere, dum ait

Coronas Vir quiſque tres habuit:
Roſeas duas, Naucratitem tertiam.

Verùm aliqui putant, ſed inconſideratè, ac ludicrè, fortaſſe, Coronam hanc ex Papyro intorta confectam fuiſſe, aiuntque Theopompum *lib.* 3. de geſtis Græcorum hæc ſcripſiſſe: Papyraceam Coronam inter cætera munera ab Ægyptiis Ageſilao Lacedemoni præſtita, locum habuiſſe. Hanc opinionem irridet Athenæus, nullum nanciſcens oblectamentum in Corona ex Papyro Roſis mixta, niſi illud fortaſſis, quod ab Allio, & Roſa traheretur. Ex quibus omnibus Dalecampius, Papyrum malè olere deducens, Ægyptios, duci illi eximio, ac invicto, Coronam ut Allia fœtentem dono dediſſe ſtatuit. Et licet per Theophraſtum, & Plinium notum ſit Papyrum tamquam cibum in uſu eſſe *crudam*, *elixam*, & *aſſam*: attamen & Cæpæ quoque, & Allia, & Scaloniæ, in cibariis locum habent licet malè & graviter oleant. Nihilominùs cum utrique Authores ex Papyro Vaſa, Veſtes, & ſtragula confici affirment, haud credendum eſt ita graviter oluiſſe ut Allia, niſi Papyrum, de qua Athenæus loquitur, (*g*) diverſæ ſpeciei fuiſſe adjudicare vel-

(*f*) Non verò per hoc Naucratitem Coronam ſine Roſis eſſe Anacreon ſuaſit. Sejunxit tantùm Coronam ſolius Roſæ à Corona Myrthi, & Roſæ ſimul, quæ Naucratites erat.

(*g*) Multiplex Papyri ſpecies apud Melchiorem Guillandinum enumerari poteſt in aureo illo Opuſculo *De Papyro*. Certè non omnis Papyrus malè olet. Addo inſuper, non propriè Coronas ex Papyro, ſeù Papyri flore contextas fuiſſe, ſed Coronarum Vertebras ſeu cingulum, ſuper quo Corona ſuebatur, vel Suebantur Roſæ, & Myrthus. Atque ità iſtud magnum inter Philologos jurgium de Naucratite Corona, an ex Myrtho, an ex Roſis, an ex Papyro, aliiſque floribus, frondibuſque interſerta fuiſſet, præſtat componere. Quibus omnibus novam, inexcogitamque adhuc addam animadverſionem: Naucratitem Coronam eandem eſſe ac Votivam, quocumque flore componatur; & quandocumque pro Voto, ſeu gratiarum actione, Corona alicui Numini, ſeu Homini tribuatur, Naucratitem Coronam appellari, ut prius pro Voto ſolvendo Veneri inſtituta fuit; multæ enim Voces, & ritus velut in Adagium tranſiere.

velimus. Quomodocumque ſe habeat res, ut Ægyptiis indulgeamus facilè credendum eſt, Ægyptios Ageſilao eundem honorem præſtare credidiſſe, quo proſequebantur Deos; inquit enim Plinius, Papyro ad Deos coronandos uſos fuiſſe, atque ideò Coronam papyraceam, hoc eſt, ex Papyri floribus contextam dono dediſſe. Sed ad Naucratitem Coronam revertamur. Et primò adeſt *Pollux*, qui *in ſuo Dictionnario* de hujuſmodi Corona compendiosè loquitur, ſed neque Papyri, neque Myrthi nomine uſus eſt. Flores permultos enumerat, & Plantas vere coronarias, atque inter cætera ait *l. 6. c. 19. Sed Anacreon etiam Myrthis, & Coriandris coronari tradidit: tum & Naucratite corona; hæc autem Amaracus erat.* Athenæus ipſemet addit per quamplures Coronam Naucratitem ex Amaraco intelligi, quæ verba ſatis illam à Myrtho diſtinguunt.

§. XII.

AMaracus nil aliud eſt quam Majorana, ut habetur ex Matthiolo, Mizaldo, Carolo Stephano, aliiſque hujuſmodi ſcriptoribus, & hæc cum Dioſcoride, Theophraſto, Diocle, & Plinio nihil à Sampſycho, differt: quamvis Galenus, & Paulus Ægineta apertè, Amaracum à Sampſycho diſtinguant. Sed nihil hæc ad rem noſtram: clarum enim eſt per allegatum Pollucem, Naucratitem Coronam ex (*a*) Majorana compoſitam fuiſſe; & per Athenæum ex (*b*) Myrtho Planta Veneri ſacra; atque item Cereri, juxtà *Artemidorum l. 1.* ubi narrat Myrthi ſignificationes per ſomnium, *Myrthea verò eadem quæ oleacea ſignificat; verùm Agricolis commoda propter Cererem, & mulieribus propter Venerem, eſt autem communis utrique Deæ hæc Planta.* Ex illa verò ſubita Myrthi apparitione in Navi Polycharmi, Myrteam fuiſſe Naucratitem Coronam magis affirmari poteſt: Aſt quia Myrtho ſuperaddita fuit Roſa, ut lubet Athenæo, Majoranam quoque copiosè in eadem corona intextam fuiſſe haud incre-

(*a b*) Utraque opinio magis favet adnotationi noſtræ ad §. XI. litt. g. cum nulla certa appareat Herba, ſeu flos, ex quibus Naucratites coronæ componerentur.

incredibile eſt. Quapropter, & Pollucem, & alios illos plures Auctores, de quibus Athenæus, ex magna fragrantia Amaracum, ſeu Majoranam in Coronis fuiſſe, arbitraſſe credendum eſt, eò magis, quo Dioſcorides Majoranam Coronamentis aptam teſtatur; ſicut & Theophraſtus inter flores, & Plantas Coronarias Sampſychum à Diocle una cum Amaraco enumeratam aſſerit. Et quia Amaracus plurima eſt in Ægypto, monente Paſcalio; atque odoratiſſima per Theophraſtum ibi germinat Myrthus, utramque Plantam in Coronis efformandis intextam fuiſſe arbitrandum facile eſt una cum Roſa, Veneris, Cupidinis & Gratiarum Flore.

§. XIII.

GRatiarum inquam, nàm illis quoque, (ut Veneris Ancillæ) Roſa & (*a*) Myrthus ſacræ ſunt, ut ex Pauſania *De Tribus Charit.* *lib.* 6. Heliad. poſter. *Earum una Roſam, Talum altera: Myrthum tertia præfert.* Cujus ratio in promptu eſt. *Roſam, & item Myrthum Veneri ſacram*, atque utræque eximiæ venuſtatis: *Gratiæ verò Veneri præ cæteris Diis attributæ ſunt.* Roſam (*b*) Veneri ſacram, à Cupidine quoque filiò inter delicias habitam, ſuavjs ac feſtivus *Anacreon* nobis ſignificavit. *Ode* 5.

Roſeis Puer Citheres
Caput implicat Corollis

Ex

(*a*) Nomina Plantarum, quæ in *us* terminant, generis maſculini, ſua natura, ſunt. Cur verò ut plurimum fœminino generi adſcribuntur? v. g. *Hæc Myrthus*, *hæc Platanus*, *hæc Papyrus*? Quia ſemper ſubintelligitur nomen *Planta*, ſeu *Arbor*, ita: *Hæc Planta Myrtus*, *Planta Papyrus &c.* Eſtque hæc potiſſima ratio non uniformis generis in iſta Arborum declinatione: Neque ſphalmate notandum cenſeo eum qui dixerit *Hic Platanus*, hic *Myrthus*, *&c.* Pro quibus ſtat Sanctius, Menagius, & Gaſpar Scioppius in Inſtit. Gramm. nomine Paſcalii Gioſippii evulgatis.

(*b*) Epigrammatarius apud Scipionem Badalucchum in Commentariis ad Virgilianam Elegiam *de Roſa* ſeu de caducitate humana, habet

I felix Roſa, mollibuſque ſertis
Noſtri cinge comas Apollinaris.
Quas tu nectere candidas, ſed olim.
Sic te ſemper amet VENUS memento.

Elegiam verò à Badaluccho Commentariis ampliſſimis illuſtratam, Virgilianam eſſe ſuſpicandum eſt.

Ex quo illud accidit Cupidini infelix periculum: dum enim ex opaca Sepe Roſam carpere ſtuderet, Apis infeſta tenellam manum pupugit.

Inter Roſas Cupido
Apiculam jacentem
Non vidit, eſtque punctus.

Tunc gemebundus raptim ad Matris ſinum volitans ſe recepit, dolori ſuo, ſtridulo, altoque gemitu opem implorans

Heu occidi, occidi inquit
Vitamque, Mater, efflo:
En me minuta ſerpens
Pennata vulneravit:
Apem vocant Coloni.

cui Mater, & quidem ad rem:

Apis ſi acumen
Tantum facit dolorem
Quantùm dolore credis
Quos Tu feris, Cupido?

Theocritus (*c*) aliter narrat Cupidini hoc accidiſſe, dum mel rapere ex Alveari tentaret: Matris verò exprobratio eadem eſt.

Cui Venus: haudquaquam mirabere ſi tua ſpectes
Quæ Puer exiguus vulnera tanta facis:

Hoc idem Italicis carminibus, & quidem de more ſuaviſſimis cecinit mel illud Charitum (*d*) Carolus Maria Maddius, quod ad majorem libelli hujus ornatum ſubdo.

(*c*) Frequens eſt apud Scriptores præcipuè Græcos & Mythologicos iſta diverſa fabellarum, ſeu Hiſtoriarum lectio. Vide ſis Æſopianas fabulas, & illas cum Phædri, Gabriæ, Ovidii, & Alciati fabulis confer, videbiſque Perſonas eaſdem, ac ferè eventus conſimiles, ſed non ſimili ordine res ad ſuos exitus perductas.

(*d*) Seu, ut Itali, *Maggi*. Mediolanenſis Philoſophus, & Poeta eximius, cujus memoria cum laude ſemper celebranda eſt. Caſtas enim, ac Virgines, Piaſque Muſas coluit. Qui ſi in Mundo Apollinari Laurea dignatus non fuit, certè, ut credendum eſt, æterna, ac immarceſcibilis Corona in Cœlo illi non defuit. Piè obiit die 22. Aprilis 1699. Ejus Res geſtas, ac ſcripta omnia collegit, eleganterque ſcripſit Lud. Ant. Muratorius.

Punto d'Ape celata infra le Roſe
Nella man, che vi ſteſe incauto Amore,
Pianſe alla Madre: e la perfidia eſpoſe,
Che ſi copria nella beltà del fiore.
Or le ferite intendi, ella riſpoſe,
Che fai nell'Alme altrui dal tuo dolore:
Ben le prova più crude, e inſidioſe
Di quelle del tuo dito il noſtro Core.
Pur la tua ſpina à noi tu non iſcopri
E in paragon di queſta Ape infedele
Più crudeltade, e con più frode adopri:
Ci pungi à morte in promettendo mele,
In Roſe di beltà tue punte copri:
Mà l'inganno più bello è più crudele.

Idem eventus quoque ab Alciato in Emblematibus enarratur. Sed Anacreontem quæſo adeamus, ut magis magiſque Roſam Veneri acceptiſſimam confirmemus: idcirco roſicolor & ipſa Cupidinum mater nuncupari ſinit.

Roſicolor ipſa Cypris
Vocitata nonne doctis?

Roſeæ erant mammæ tunc cum è mari prodiit:

Ità fluctibus renidens
Mediis Venus natando
Trahit atque pellit Undam Roſeas ſupra papillas

Nec tantum duo poma illa ſuaviſſima, ſed & oſcula ipſa Roſea.

Roſa ſuavium Citheres

Nec mirùm, Venerem Roſis totam plaſmatam fuiſſe: ad ejus enim ortum, & Roſa ipſa (*e*) primò orta eſt.

Sed quæ Roſis origo
Quum cæruleis ab undis
Sale Roſidam Cytherem
Spumis edidit profundi.

Roſis

(*e*) Roſa primo candida orta eſt: Purpurea verò dein facta ex Veneris ſanguine, eburneo pede unius ſpinæ ictu tranſixo.

Roſis redimitam (*f*) *M. Juſtinopolitanus* appellat

Tutta di bianche è di vermiglie Roſe
Coronata le chiome.

nec mirùm, inquam, nam Roſis quoque ſtipantur & ipſæ Charites, & multo flore coronari amant

Decus addidit illa Nymphis

quem locum *Henricus Stephanus* ità legit

Decus illa Gratiarum
Florente Amoris hora.

Et in Veris deſcriptione.

Viden' ut ineunte Vere
Charites Roſis abundant?

Denique non tam

Hominum Roſa eſt voluptas

Sed in ſuper

Roſa ſpiritus Deorum

Sed ut ad rem noſtram redeamus: Cum Roſas adeò Venus depereat, ut aſſerunt Beroaldus, Schedius, noſtrique (*g*) Magnaninus, & Bernius; à Corona Naucratite utpotè ex Myrtho contexta, dicataque ipſi Veneri, Roſam excludere nefas eſt, ut aptè notat Athenæus, & Paſcalius. Nec adverſus Amaracum, ſeu Majoranam ſto; immò Polluci adhæreo: & licet non in Voto ſim, Roſas, & Majoranam adnexas fuiſſe in primo illo Navis portento, fortaſſiſque una poſt aliam invectæ ſunt, (de quo nihil conſtanter aſſero) Hoc unum tamen dico, ab Anacreontis deliciis me nimis illicitum ſupervacaneè, & ultrò vagaſſe.

L 2 §. XIV.

(*f*) Hieronymus Mutius Juſtinopolitanus Poeta Sæculi XVI.

(*g*) Duo Excellentiſſimi Ferrarienſes ſcriptores. Octavius Magnaninus Philoſophus, omni eruditionum genere refertus, qui Lectiones de Oculis, ac Convivium inter cætera eruditiſſimè ſcripſit. Alter Franciſcus Bernius Comes, Poeta ſuo Ævo clarus: verùm clarior Philologus, Philoſophuſque, ob illud egregium Volumen de Symbolis Pythagoricis, inſcriptum *Moralitatis arcana*; cujus altera pars deſideratur, ſervaturque manuſcripta apud Filios.

§. XIV.

MOdò de Coronarum utilitate in Conviviis diſerere liceat. Inter antiquiſſimas Coronas locum habet illa ex Meliloto, ut notat Paſcalius cum Plinio *lib.* 21. atque ad hunc uſum inſtitutam fuiſſe, (*a*) nomen illud *ſertulæ* ſatis indicat, atque odor ipſe, ut aiunt, & præcipuè Meliloti Sylveſtris, quaſi odoris Crocei. *Dioſcorides* de Meliloto quæ prope (*b*) Cyzicum naſcitur, atque in Chalcedonia ait: *croci colore. & odoratu, habet Campana ſertula adſtringendi vires, mollit inflammationes omnes, quin etiam capitis dolores levat:* quare mirum non eſt locum habuiſſe inter Coronarias, Vino efferveſcente. *Alexis in Medicamentario* per Athenæum ità inquit: *Coronas è Meliloto plurimas deſideras.* Et Cratinus in effœminatis, Flores in Coronis uſitatiores enumerans, nempe Lilia, Roſas, Violas, Serpillum, Crocum, alioſque addit

Et Hederæ floribus, Meliloto circumſepiente caput
Mihi ſemper tegitur.

Verba Cratini interpretanda Cynulcho dedit quidam ex Convivis Athenæi: *Tu vero, o Cynulche, exple Ventrem, deinde explana quod de meliloto Cratinus dixerit his verbis*

Melilotoque ſemper muniente caput ſtipatum.

at ille Ventris magis curans pabulum, quàm mentis, & jam Vino nimio ebrius, ac temulentus, irreſolutam liquit quæſtionem. *Mercurialis in Var. lect. l.* 3. *c.* 9. ſupplere huic reſponſo auſus eſt; propoſitoque dubio, ait: *ſciri velim, inter herbas coronarias apud veteres melilotum primas ferè ſemper tenuiſſe.* Idcircò Latini modò ſertam, modò ſertulam campanam melilotum nuncupavere: *cur verò id eſſet, puto quoniam Coronis ad ſedandum ebrietatis fervorem inſtitutis, melilotum miram operam præſtabat.* Subditque locum Athenæi, *Melilotum à quo dicuntur meli-*

(*a*) Verè hoc Etimon eſt hujus Herbæ, quæ à Sertis componendis *Sertula* vocatur; atque ideò Hiſpanicè *Corona de Rey.*

(*b*) Urbs Myſiæ in Aſia ad Propontidem, & Æſapi Fluvii Oſtium. *Spiga* etiam appellatur, & per alios *Zelia.* Antiquiſſima eſt, ac Mileti coæva. Ovid. *l.* primo Triſt.

Cyzicon Ammoniæ nobile Gentis opus.

melilotinæ coronæ odoris ſuaviſſimi, & magnis æſtibus valdè refrigerantes: quibus, autoritatibus innixus ità finem ſermoni imponit: *Qui igitur apud Cratinum ſemper Cuſtodem melilotum dixit, nil aliud mea quidem ſententia, ſignificare nobis voluit, niſi quod ejus herbæ poteſtate ſemper ab ebrietate cuſtodiretur.* Hujus opinionis fuiſſe hunc quemquam apud Cratinum ex Athenæo firmiter judico, licet ambigam Mercurialem utcumque eruditiſſimum eximiumque Virum, cum meliloto, & Sertula florem (*c*) Ægyptiæ Fabæ confundere. Certum enim eſt, ex allegatis verbis Mercurialis, de Meliloto, & Sertula Campana ſermonem habere, tamquam ejuſdem naturæ cum meliloto, de quo in initio tertii libri loquitur Athenæus: Sed ſi propiùs Athenæum inſpiciamus, de Faba Ægyptia tantùm ſermonem habere compartum erit, cujus Flos in Coronis quoque locum habebat, ex Nicandro in Georgica.

Ægyptiam tu Fabam ſerito, ut poſt metas
E Floribus Coronam texas, delapſa
Maturo fructu ciboria pranſuris
Quæris, & jam pridem cupientibus in manu des.

Florem iſtum, inquit Athenæus Ægyptii Loton vocant, ſed à Naucratitis Civibus Meliton, à quo dicuntur melilotinæ Coronæ odoris ſuaviſſimi, & magnis æſtibus refrigerantes, qui effectus magis de Fabæ Flore verificatur, quàm de meliloto, utpotè quæ monente Matthiolo, calida ſit in primo gradu. Addo Florem Fabæ Ægyptiæ, de quo Athenæus, Florem eſſe coloris Roſacei, de quo *Theophraſtus; Flos duplex quàm Papaveris, color roſeus in plenum caput:* Flos verò Meliloti verus, & ingenuus flavus eſt, de quo Dioſcorides, & Plinius aiunt, colore, & odore croco aſſimilari: Qui vero in (*d*) Campania citrà Nolam naſcitur, lutei coloris eſt, nempè flavus aureus, non

 rubi-

(*c*) Faba Ægyptia olim apud nos herba exotica, nunc verò in Italia non rara, Colocaſia nuncupàtur; Faba Pontica, Niliaca, & Ciborium, ut Dioſcorides, & Theophraſtus. Nec non Athenæus *l.* 3. *c.* 1. ubi clare extricatur nodus iſtius controverſiæ inter Melilotum, & Fabam.

(*d*) Atque ideò Sertula-Campana dicitur. Campania, athonomaſtice Felix, *Terra di lavoro.* Regio Italiæ in Regno Neapolitano clariſſima urbibus & fertilitate.

rubidus, ut Matthiolus interpretatur. Stet igitur, florem Fabæ Ægyptiæ, de quo in initio Libri tertii loquitur Athenæus alium eſſe ab illo vero, & ingenuo Meliloti: atque ideo Coronas illas ex Meliloto eaſdem non fuiſſe, ac illæ de quibus Cratinus loquebatur. Hæc verò tantùm opinor: nihil verò contrà tam præclarum Authorem affirmo.

§. XV.

Atque hìc tandem finis eſſet totius diſſertationis de Coronis in Convivis, cùm ſatis hucuſque appareat, primò inventas fuiſſe ad remedium, non verò ad oblectamentum; quia prima uſque ab origine Coronæ iſtæ tantùm (*a*) ad inſtar faſciolarum, ſeu funiculorum ex lino, vel lana fuere, quas Feſtus Lemniſci nomine ſignificat: tractu verò temporis huic remedio ſe adjunxerunt comites elegantia, & Venuſtas, ac inſuper mollities floribus, & frondibus, quæ ità diſtinguit. Plinius *l.* 21. *c.* 9. *Duo earum genera, quando, aliæ flore conſtant, aliæ folio.* Inter flores primò loco enumeratur (*b*) Geniſta, inter verò frondes, *folia ſmilacis, & Hederæ.* Temporis præcedentia utique Hederæ danda eſt, quia à Baccho primùm inventa ad refrigerandam frontem, caputque nimio Vino fumans, ſimulque ad repellendas Vini fumationes. In uſu quoque fuit apud priores Smilax illa hortenſis levis, cujus frondes Hederæ admodum conſimiles ſunt licet tenuiores (& hoc temporis illius ſinceritati magis concinnum fuit) quæ & Volvulus fortaſſe appellata fuit. ab involucro frondium, quo cuique Plantæ proximiori circumvolvitur, ideòque ad cingendum caput aptiſſima, & ad refrigerationem. *Olim,* inquit *Suidas*, *convivis imponebantur Coronæ, quo calvam refrigerare, cùm contra Vini vapores, tùm contra æſtum.*

(*a*) Prius igitur Cingulum erat, deinde Corona: nec prius Coronæ nomen aſſumpſit, niſi quando iſtud Cingulum ornari cepit floribus, frondibuſve.

(*b*) Non tantum inter Plantas Coronales locum habet Geneſta ob floris ſui elegantiam fragrantiamve, quantùm ob aptitudinem ad texenda filamenta coronarum, & Lemniſcos. Narrat enim Plinius *lib.* 19. c. 11. & Matthiolus in Dioſcoridis *l.* 4. *c.* 159. ex Sparto [idem eſt ac Geneſta, vel ſaltem Geneſtæ ſpecies] confici funes, ac rudentes Navium, tamquam nos ex cannabino filo, poſt conſtitutam macerationem.

tum. Ideòque neceſſitas eam primò invexit, dein Voluptas Coronis ex floribus, frondibuſque fragrantioribus, quæ in Pratis, Vinetis, Hortiſque omni tempore producuntur. Atque adeò invaluit hujuſmodi voluptas odorum, ut odoramento floramento florum, herbarumque, ac ipſarummet Coronarum, Unguentorum quoque odores appoſuerunt. Unicus eſt Poſſidonii locus, qui Per Athenæum *l.* 15. ait, apud Syros, nonnullos Cœnaculum ingredi ſolitos Vaſis Unguento (*c*) Babyloni affluentibus, atque procul menſam circumeuntes, accumbentium Coronas irrorabant, nihil aliud odore aſpergentes. Nec tantùm Coronas Unguentis irrorabant, ſuffumigabantque, ſed & funiculos, & faſciolas, quibus Coronæ circa caput ligabantur, fragrantiſſimis Unguentis ungebant: quarè Dæmonades Halicarnaſſeus cecinit, ut affert *Athenæus*

(d) Miniſtræ verò jocis, atque riſu hilaris Veneris.
Textas Coronas ſuaviter olentes ex floribus terra editis
Capitibus impoſuerunt, faſcia, unguento pingui revinctis.
Nymphæ, Gratiæque ſimul cum aurea Venere
Pulchrè canentes per Idæ Montem.

Plutarchus de Unctione Coronarum, quæ ob miram redolentiam (*e*) *Hypothymidæ* vocabantur, & quas colo appenſas geſtabant, ait; *Itemque ſerta, è floribus texta, præcipuè à cervice ſuſpendentes, hypothymidas appellabant, Unguentiſque, quibus ea erant delibuta pectus inungebant.* De Coronis circa Collum cecinit quoque (*f*) *Tibulus* (ex quo amænitates, voluptateſque Græcas Romanis quoque placuiſſe credendum eſt) dum ait:

Illius, è nitido ſtillent Unguenta capillo
Et capite, & Collo mollia ſerta gerant

Cice-

(*c*) Idem quoque habemus ſuprà in §. I. Not. ad litt. m.

(*d*) Locus Demonadis Poetæ pulcherrimus eſt: & demonſtrat, faſciolas quoque Coronarum Unguento delibutas fuiſſe: nihil enim facilius in Unguenti effuſione ſuper flores, faſciolas quoque perungi.

(*e*) Sequitur Plutarchus Symp. quæſt. 1. *Non enim ideo Hypothymides vocaverunt collo appenſas Coronas, quod animum caſtra ſua in corde habere putarent [eſt enim thymos animus] ſed propter exhalantem potius fragrantiam, quam ipſi Apothymiaſin nominant.* Igitur Hipothymides interpretatur ſeu Corona Animi, ſeu Corona exhalans fragrantiam.

(*f*) Lib. 1. eleg. 8. ubi celebrat natalem diem Meſſalæ, eſtque Elegia, antiquariam eruditionem maximè præbens.

ai

Cicero quoque in Verrinis, C. Verrem vituperat, quia Coronam habebat unam in Capite, alteram in Collo, quod etiam ex *Tertulliano* habemus *lib. de Corona; & ſertis colla complectimur.* Sed neque colla tantum: pectora quoque coronis ornabantur, ungebanturque, de quibus *Athenæus lib.* 15. *Coronis etiam pectus ornari, unguentiſque oblini captum, quia ſit in eo corſitum.* Quamobrem (*g*) *Anacreon* maximè optat, ut ſibi ungatur Cor

Unguento mihi pectus, ut cavum oblinas

& *Alcæus* de ſe ipſo

Mihi deorſum in pectus Unguentum ſuavè profudit.

Tamquam, interpretatur Athenæus, *odoris ſuavitate cor recreetur*: Hoc autem apud Veteres fuiſſe olim factitatum, non ideò tantùm, quòd natura vapor odoris à pectore ſursùm in caput efferatur, ſed etiam quia in corde ſit Animi Domicilium. Ità quoque ſtatuerunt eximii Medici Philotymus, & Praxagoras, ſuper quibus Athenæus idem plura affert Homeri loca. Atque ita à coronis inopinatè ad Unguenta devenimus. Enim verò utraque ita in Convivalibus antiquitatibus conjunguntur, ut neutrum ſine alio tamquam umbra à corpore ſejungi poſſit.

§. XVI.

UNguenta (*a*) in Conviviis locum habuere eadem ratione, qua & Coronæ, nempe, ut retunderent Vini vapores ad caput ſalientes: Hoc habemus ex Myronide apud Athenæum in

(*g*) Clarius explicatur hic Anacreontis Verſus, nec non & alter Alcæi ab eodem Athenæo *l.* 15. *c.* 14. Illud Pectoris ornamentum abuſive Corona nuncupatur. Corona Capiti geſtatur, Collare Collo, & Torques pectori: Coronæ quæ collum & pectus cingebant erant veluti caudæ, ſeu barbæ coronarum capitis, ut narrat Antoninius in lib. de Triclinio.

(*a*) Martialis præ omnibus, hujus Pene tunc temporis univerſi uſus teſtimonium affert in lepidiſſimo illo Epigrammate.

Unguentum, fateor, bonum dediſti
Convivis, here, ſed nihil ſcidiſti.
Res ſalſa eſt, bene alere, & eſurire
Qui non cœnat, & ungitur, Fabrille;
Hic verò mihi mortuus videtur.

in Libro Unguentorum, & Coronarum; ex ritu Medicorum illius temporis hunc uſum trahit, qui dum caput febrili ardore æſtuaret, jubebant *irrigationibus perfundi caput, ne ſurſum in eam partem irruerent quo adurebantur.* Hujus medici conſilii cauſa, majores noſtri, rationabiliter dubitantes, ex Vini vaporibus inter potandum notabile detrimentum capiti inferri, illud ungere maximè approbaverunt, *quod Vini fore imbecilliorem vim crederent, quo pacto veluti diluerentur*; ſed ſimiliter ac de Coronis, utilitati ornamentum, & voluptatem adjunxerunt. Non verò omnimoda res Unguentaria ad ungendum caput apta erat, illis tantùm Unguentis utebantur, quæ caput minimè gravarent, adſtringerent non nihil, & refrigerarent. Hujuſmodi Unctionis ad tam nobile membrum rationem reddit Maſurcus apud Athenæum *l.* 15. Senſus in capite poſitos, odoribus demulceri, ac deliniri. *Alexis* eadem de cauſa, vitæ humanæ incolumitatem ex Unctione derivare autumavit, ubi inquit

odores cerebro bonos objicere

Archeſtratus & ſimiliter

Stillaticis Unguentis coma bonis inungitor

ſtillaticis Unguentis interpretatur Dalechampius *Mirrha ſtacte*, nec irrationabiliter, quia ex Arbore per nonnullas cicatrices Myrrha, primò nuncupata ſtactes, diſtillat ad inſtar Vitis collachrymantis poſt ſalubrem potationem. Archilochus, capiti ſuperaddidit pectoris unctionem, ut modo diximus,

Unguento perfuſa coma; pectuſque madidum eſt

ſed de iſta unctione, ac ſuffitu pectoris, deque hujuſmodi faciendi ratione ſatis jam actum eſt: Prætermittendum verò non judico, cum Athenæo, Antiquiores noſtros hanc luridam, ac voluptuoſam Unctionem adeò voluiſſe, ut privatim unicuique parti corporis idoneam ſcirent: Alia Unguenti ſpecies pedibus, alia capiti, alia cruribus, alia brachiis, alia genibus, & ſic pro ſingulis partibus in uſu erat. Antiphanes potiora Unguenta enumerat. Sed quod mihi ſtomachum movet ſolo mentis recurſu eſt, adeò hujuſmodi luxuriem, ſpurciciamque coluiſſe, ut ad miſcenda Vino Unguenta, illaque bibenda ſtultè perventum ſit. Hoc vel cum lachrymis enarrat *Plinius l.* 3. *c.* 3. *At herclè, jam*

quidam etiam in potu addunt, tantique amaritudo eſt, ut odore prodigo fruantur ex utraque parte corporis. De hoc etiam intelligit idem *Plinius L.* 14. *c.* 17. *ex Unguentis Vina compoſita &c.* Atque *Athenæus* cum Pherecrate.

Juſſi nobis (b) affundi Unguentum Brenthicum &c.

Ubi ſane verbum *affundi* non effundere, ſeu verſare ſignificat, ſed infundere, atque in Cyathum introducere: quare Natalis de Comitibus legit infundere. Pro eadem quoque ſignificatione uſus eſt hoc vocabulo *C. Tacitus* nefariam proditionem narrans à Nerone patratam in impuberem Principem Britannicum: ait enim 13. *Annal. Frigida in aqua affunditur venenum,* & *Plautus in Sticho Act.* 5. *ſcena* 4.

Tibi propino decem, affunde.

Præter quam quòd, Dalechampius ſæpè utitur verbo *affundere*, ubi de mixtione Vini pro potu loquitur, ut in interpretatione Menandri apud *Athenæum l.* 10.

Octo quidam ut affunderentur exclamabant
Cyathi quoſcunque in ea bibendi ambitione &c.

Alcæus quoque inquit

Affunde, miſce ad unum, & duos

& ita ſæpius ad nauſeam uſque. De hujuſmodi Vini, & Unguenti mixtione loquitur fortaſſe *Athenæus* in prolixa enarratione horum Unguentorum *lib.* 15. *Compotationibus utile Roſaceum, Myrthinum, & melinum;* & paucis interpoſitis: *In compotationibus juvant Sampſuchinum, ſerpillinum, Crocinum, abſque Myrrha multa, quemadmodum; & (c) ſtacte & nardinum.* Ubi notandum eſt, quod quamvis ſtacte vocetur in genere Myrrhæ, ut pote quæ, prælo expreſſa, pinguiſſimam diſtillationem ſtactem vocant. (Ver-

ba

(*b*) Athenæus l. 15. *c.* 16. hunc locum Pherecratis affert, & ex interpretatione Natalis Comitis ſic ſonat. *De Unguento Brenthio hoc pacto meminit in nugis Pherecrates. Conſtiti, ac juſſi nobis Unguentum Brenthium infundere, ut infunderet adeuntibus;* ubi bis utitur verbo *Infundere.* Meo videri, vel nulla, vel minima diſcrepantia adeſt inter duo Verba hæc, *Affundere*, & *Infundere*: Sumuntur enim utraque pro *Verſare*, *Inundare.* Eſt locus Plinii *l.* 16. *c.* 44: *Vinum illi affundere:* Affunduntur Fluvii, ubi Alveum nanciſcuntur: Eſt tantum vehementior expreſſio illud *infundere*. hoc eſt ſe totum immergere.

(*c*) Stacte eſt Stillatitius humor, & ſumitur pro quolibet liquido in genere.

ba ſunt *Dioſcoridis in l.* 1. nihilominus quia per *ſe etiam unguentum faciens quod ſtacten appellatur.* Eam à Myrrha Memphytica diſtinguit, ut hac, odoris cauſa, tantùm utantur, altera fortaſſe, ut vino miſceatur. Hanc eandem diſtinctionem affert quoque *Pſal.* 44. *verſ.* 9. *Myrrha, & Gutta.* Atque hoc nomine Guttæ à Tirino ſtacte, & ab aliis ſcriptoribus appellatur.

§. XVII.

NEc tantùm Myrrha Stacten Vino miſcebant, ſed & (*a*) Unguentum Nardinum: quarè [*Plaut. in Mil. glor. Act.* 3. *Sc.* 2.] Lucrius de Scelcdro ſervo, qui nimium potus graviter dormiebat:

tetigit calicem clanculum,
Demiſit Nardini amphoram cellarius

Et quamvis Lambinus Vinum illud cum Nardo tantùm aromatizzatum fuiſſe credat: *Turnebus* pro mea ſententia ſtat, notatque *in Adverſ. l.* 2. *c.* 29. *Vinum Nardinum eſt, quod vel Nardo, vel Unguento Nardino conditum eſt: Veteres enim, ut Theophraſtus auctor eſt, Unguentum miſcebant Vino.* Quamobrem, & ſimiliter (*b*) *Menandri* locum ab Athenæo allatum intelligendum judico

Suave puer hoc Unguentum: ſuave inquam
Quidni? Nardinum eſt.

Hujuſmodi unguentariæ odoratæque potionis ſaluti maximè

 infeſ-

(*a*) Unguentum ex Nardo, aliiſque ingredientibus. Nardus eſt frutex fragrantiſſimus, undè pretioſiſſimum oleum fit, Antiquitùs magni fuit pretii, quia illis temporibus unica fuit Urbs Laodicea, quæ Unguentum hujuſmodi cum laude conficeret: nec multò ante Galeni tempora in aliis etiam Urbibus cepit fieri quod commendaretur. Hujus rei rationem vide apud Martinum in Lex Philol. ex Spica fit, unde Nardus ſpicatus. ſeu ſpicata ab aliquibus nuncupatur: & an dicendus ſit Nardus Piſticus perlegantur verba noſtri Ferrarienſis Hippocratis Antonii Muſæ Braſavoli in Exam. Herbar. quæ hìc juſtis de cauſis referre non audeo. Sed quid Nardus in Vino? Vinum Nardo medicatum potius autumo, eo modo, quo inter medicata Vina legimus Vinum Mellitum, Vinum Caryophyllatum, Vinum fœniculatum, Paſſulatum, Bugloſſatum, &c. Ita & hoc Vinum Nardinum. Plura habebis in Libro de Vini Natura, artificio, & Uſu Baſil. impreſſ. anno 1565. *c.* 26. & in Athènæo *l.* 15. *c.* 17.

(*b*) Menander in Reticulo. Athenæus *l.* 15. c. 17. Per Natalem de Comitibus interpretatur ſic. *Suave Unguentum, ſuavis Puer, qui enim non Nardinum?*

infeſtæ (ut ait Jo: Baptiſta Perſona in Noct. Solit.) exemplum nobis attulit Plutarchus poſt Thaletem in Convivio: eſtque hoc Alexidemus Thraſibuli illegitimus filius, Unguenti pretioſi Vas Patri ſuo dono datum, in Magnam Pateram elutrians, Vinoque ſuper effuſo totum ebibit: *Unguentum præclarum, id in magnam crateram infundit, meroque effuſo, ebibit.* Verùm Alexidemus improbatus fuit, vel ob nimiam Unguenti copiam, vel quia nemini partem elargitus fuiſſet illius potionis. Ob hujuſmodi potionem Philoſophaſtri quidam juſtè à *Luciano* vituperantur in Nigrino: *hos illos eſſe, qui Unguenta bibunt:* Non ex neceſſitate, ſed ex voluptate tantùm, quæ ab illo ità appellatur, cùm unguenta (*c*) ad ungendum externè corpus, non verò viſcera, inventa ſint. Hanc luxuriem acriter exagerat *Ælianus in var. l.* 12. ità ſcribens: *Illa quoque luxus ſunt indicia, quod Græci Unguenta Vino miſcentes ità bibebant,* (*d*) *cogebantque hæc duo inter ſe diverſa ſimul miſceri.* In Viris hanc Unguentorum ingluviem, effrenatamque libidinem, dum Vini major efferveſcebat inſania, nimium damnandam cenſemus: Aſt Fœminas, quoque Matronaſque Romanas ævi illius, hanc diſſolutam Vini, Unguentique ebibitionem in uſu habuiſſe heu quante abominationis digna res eſt? *Juvenalis* certè, rabie percitus, exagitatuſque in illas ità irrumpit.

Cùm perfuſa mero ſpumant Unguenta Falerno,
Cum bibitur Concha &c.

Farnabius notat hic (*e*) *Vina unguentis miſcentur, eò invaleſcente luxuria, ut odorem prodigum ex utraque corporis parte captarent.* Et *Lubinus* in eodem loco textus: *cùm unguenta puro Falerno Vino perfuſa, & delibuta ſpumant, & ferveſcunt.*

§. XVIII.

(*c*) Et hìc bene accommodatur Epigramma illud Martialis de ſuper allatum in Not. ad §. XVI. litt. A.

(*d*) Optimè exprimitur lucta Vini, & Unguenti in hac permixtione.

(*e*) Senſus Juvenalis eſt Sat. 6. v. 302. Cum Unguenta perfuſa Falerno mero ſpumant. Unguenta perfundebantur Vino, non Vina Unguento.

§. XVIII.

ET hîc de Vino Myrrhato ſermo incidit: multi enim ſcriptores, nempè Hermolaus Barbarus in Plin., Hadrianus Junius in Adverſ. & Perſona in Noct. ſolit. nullum neque Vinum, neque Unguentum à Myrrha denominatum fuiſſe opinantur, ſed à græca voce *Myron*: quod genericè de omnibus Unguentis intelligitur, & ſic Myrrha quoque in conditura, ſeu præparatione Vinorum locum haberet: Atque ita à quocumque Unguento Vina Myrrhina nuncupata fuiſſe; & ab Æliano Myrrhinites, & à *Polluce: erat & Vinum myrrines: Unguentarium Unguento mixtum: non nulli tamen dulce Vinum ſic nominatum putant.* Diphilus apud *Athenæum l.* 4. ſic habet

quod ferculum
Multo magis gratum erit Myrrhinam ſi affundas

Super quibus Dalechampius: (*a*) *Vinum Unguento conditum* ad Plinii locum ſe referens. Hæc omnia prolixè in Authoribus perleguntur, nihilominus [nec nimis audeo] ego Unguenta appellarem, ut Æolii vocant, & Myrrha, & Smirna, *quia conficiuntur è Myrrha: quin & Myrrha ſtacte per ſe Ungnentum eſt,* ut Dioſcoridis & Plinij opinio fuit. Hiſque *Athenæi* verbis: *quia multum conficiuntur Unguenta è Myrrha.* Dioſcorides vim addit, ubi Unguentorum præparationes docet. Quamobrem vel nulla, vel penè ulla Unguenta ſine Myrrha parata eſſe judicare audeo, adeò ut Unguenta Myrrhata ex ſola Myrrha nomen ſumpſiſſe affirmem, ut à nobiliori capite. Atque ità cum jam *Alexis in Athenæo* dixiſſet *lib.* 15.

Argentata manu è cynio lapide
Unguenti præbebunt ornatum Ægyptii

Didymus animadvertit: num Myrrham verbis illis Poeta innuat, utpotè quæ ab Ægypto in Græciam primò invectá eſt. Quapropter *in lib.* 12. *Athenæi* duo loca de Stacte intelligenda ſunt.

(*a*) Hoc eſt, aromatizatum.

Unguento
Ægyptio linit manus & pedes.
aliud *Unguento*
Ægyptio pedes linit, & crura.

Nonnulli exiſtimant Vinum Myrrhatum maximè valuiſſe ad animum ſtupidum hebetemque reddendum in anguſtiis acerbioribus; ad inſtar pharmaci, ſeu Nepenthes formoſiſſimæ Helenæ, cujus virtus adeò ad curas animi repellendas, ſedandaſque invaluerat, ut non modò fletum, ſed & dolorem impediret, vel in morte Filii, acceptioriſve conjuncti. Immò ii, quibus hoc remedium in uſu erat, per horas lætè, & jucundè vivere conabantur, adſtringebanturque. *Homerus (b)*

Ibi tum alia excogitavit Helena è Jove nata
Protinus ſanè in Vinum miſit pharmacum unde bibant
Abſque dolore, & ira malorum oblivionem inducens.
Qui illud deglutierit, poſtquam crateri mixtum erit
Non utique tota die profundere poterit lachrymas à palpebris
Neque ſi mortui fuerint Materque, Paterque
Neque flet ſi fratrem, aut carum filium
Ferro trucidarent, ipſe verò oculis videret.

Tanta virtute, ac penè incredibili pollebat Vinum illud ità conditum, quod ab *(c)* Ægyptia Polydamia edocta Helena fuit: Incredibili, inquam, nam ut ait Jovius: Imperator Turcarum Selimus, ut animum moleſtiis levaret, quibus imperandi cura affligebatur, potionem quandam ebibere conſueverat, à qua omnimodè mentis anguſtiæ repellebantur, ac diù Imperatoris animus inenarrabili jucunditate perfundebatur Joh. Baptiſta Perſona in Noctr Solitariis, ſtudioſiſſimè inquirit originem hujus

(*b*) Odyſſ. *l.* 4. ex interp. Giphanii.
(*c*) Uxor Thonis. Ideoque in eodem loco Homeri hi verſus ſubſequuntur poſt ſuperenarratos.

Talia Jovis filia habebat pharmaca utilia,
Bona quæ illi Polydamia præbuit, Thonis Uxor
Ægyptia.

hujus penè divinæ potionis, & quandam (*d*) Helenii ſpeciem fuiſſe ait, cujus virtutem ipſe quoque expertus fuerat. Quomodocumque ſit ad noſtrum Vinum Myrrhatum nihil attinet: ideoque Plinium adeamus, qui ut Vina Myrrha quoque condita fuiſſe comprobaret, Perſam Plauti affert, cum in Plauto nulla ſit mentio Myrrhæ: quare non nulli Plinii credulitatem irrident. Enim verò *Plautus* in enarrata Comœdia hæc habet *Act.* 1. *Sc.* 3.

Commiſce (e) mulſum, ſtruthea coluteaque appara
Bene & in Strutheis concaleat, & calamum injice.

Ubi de Myrrha nulla mentio habetur.

§. XIX.

AD quam *Plinii* eluendam calumniam, juvat ſingula hujus ſcriptoris verba percurrere, & ſunt *l.* 14. *c.* 13. *Laudatiſſima apud priſcos Vina erant Myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ Perſa inſcribitur.* Et illico ſubdit *quamquàm in ea &* (*a*) Et his verbis, Plinio notum fuiſſe locum Plauti ſatis conſtat, cùm in illo jubeat Toxilus ſervus calamum injicere: ſi ergo bene meminerat potioni illi calamum quoque copulari, procul dubio eſt de myrrha quoque ibi mentionem animadvertiſſe, aliter Plauti locus incaſſum allatus fuiſſet. Igitur (ut Antonius Perſius) ſuſpicandum eſt, in Textu, qui tunc præmanibus erat Plinii, carmen unum ad fuiſſe, in quo de Myrrha ſermo haberetur, ut ego inter varia *Plauti* exemplaria unum

(*d*) Herba ita appellata ab Helena, quæ fertur eam ſeviſſe ut paſtu ſerpentes tolleret. Heſiod apud Martin. Enula campana communiter dicitur. Nos verò in hoc loco genericè ſumimus, pro liquido, quod Vino infuſum triſtitiam diſcutit ad inſtar Helenæ quæ tali nepenthæ uſa eſt, ut maritum ſuum, & Hoſpitem Telemacum exhilararet. Plura Gorræus Def. Med.

(*e*) Textus Amſtelodamenſis ex recenſione Jo: Iſaci Pontani habet *Murrham*, non *mulſum* ità

Commiſce murrham, ſtruthea, colutheaque appara
Benè ut ſcutris concaleam.

haſque varias lectiones affert etiam Valens Acidalius in not. ad Plaut. Perſam. *cap.* 2. *p.* 411, atque ideò Plinius non eſt lippitudine objurgandus.

(*a*) Calamus odoratus Planta, locum, in quo naſcitur ſuaviſſimo replens odore. De quo Dioſcorides & Plinius *L.* 12. *c.* 20. Juncus à Theophraſto appellatur *L.* 9. *c.* 7. Hiſt. Plant.

unum vidi Hollandicis typis excuſſum anno 1640., in quo ad *Act.* 1. *Sc.* 1. ſic lego

Commiſce myrrham ſtruthea, coluthaque appara &c.

ſed optimè, [mea ſententia] per Nicolaum Guibertum Plini autoritas vindicatur, Plautique Textus expurgatur. Monet primo Auctor iſte, duo illa verba Plauti *ſtruthea*, & *coluthea* non adhuc bene ab aliquo percepta fuiſſe, atque ideò pro *ſtruthea* in Textu penes Plinium, vel *ſtacta*, vel *ſtrutea* legi, nam ſtacte, ſunt lachrymæ illæ, quæ ante inciſionem corticis, juxtà Plinium, vel poſt ejuſdem corticis levem inciſionem (juxtà aliorum opinionem) ſpontè fluunt. *Sudant autem*, Verba *Plinii*, *l.* 12.] *Spontè prius quàm incidantur, cui nulla præfertur.* Et *Dioſcorides l.* 1. *Expreſſa ſtactem dat.* Nec non *Theophraſtus l.* 9. *Sed alios ſecuri percuſſos videri, alios tenuiores inciſuras habere & lachrimarum aliam decidere, aliam arbori inhærere.* *Fulgentius* ita concinnè de his lachrymis loquitur, ut verba illius præterire nefas eſſet: *Solis ardoribus*, inquit, *crepans*, *vulnera efficit*, *per quæ ſuccum deſudat, quod myrrha dicitur, & redolentibus lachrymoſa guttulis fletus ſuavis ſciſſuris hiantibus jaculatur.* Quamobrem ſi in Textu Plautino pro *ſtruthea* ſcribitur *ſtacte* ibi de Myrrha ſtacte, quæ pretioſior eſt mentio erit, Atque hoc eo probabilius erit, quo in Muſtellaria ejuſdemmet *Plauti* de ſtacte ſermo eſt. *Act.* 1. *Sc.* 3. ubi adoleſcens Philolaches Ancillæ Scaphæ, quæ jam dixerat

Vide tu an ibi ſint unguenta

ita reſponſum dat

Quid opus eſt? cum ſtacte accubo

Sique in Perſa non *ſtacte*, ſed *ſtactea* legere lubebit, erit illa Myrrhæ ſpecies, de qua *Plinius lib.* 12. *c.* 17. ubi Myrrharum genera exponens ait; *Erythrea ſequens* & *Minæa*, *inque ſtactea*, *& atramitica eſt.* Plauti igitur à Guiberto verſu emendato, Plinius à Veterni nota vindicatur, & clarè dignoſcitur Toxilum in (*b*) mulſo juſſiſſe Myrrham ſtacten; ut craſſiorem, fragrantiorem-

(*b*) In Potione; à mulcendo dicta, id eſt molliendo; applicatur etiam potionibus quibuſcumque.

tioremque, ob excellentiam, miſceri: Atque ita Vino ſtacten miſcere idem erit, ac pretioſiſſimum Unguentum infundere, quia ſtacte, ut diximus cum Dioſcoride, Plinio, & Athenæo, per ſe facit Unguentum. Rebus ità ſtantibus in Plinii *lib.* 14. c.3. laudatiſſima apud priſcos erant vina Myrrhæ odore condita, ut apparet in Plauti fabula, quæ *Perſa* inſcribitur. (quem locum ipſemet *Plinius* emendat paullopoſt *l.* 14. *c.* 16. *Aromatiten quoque invenio factitatum; non tantum Unguentorum compoſitione, primo ex Myrrha ut diximus, mox ex (c) Nardo celtico*) Igitur Antiquiores noſtri, Vini genus habuere, in quo non tantum odor, ſed Myrrhæ ſubſtantia medullitus infundebatur. Dioſcorides id affirmat, ubi diverſas vini ſpecies ab eo conditas edocet *ſumito Myrrhæ Drachmas duas, in Vini (d) ſextarios ſeptem demittito.* dein inquit: *Myrrhæ itidem, Crocique ſingulorum ſingulas drachmas. Conſtantinus Cæſar*, ſeu potius *Dionyſius Uticenſis* in factitatione Vini Aminei ait; *quidam etiam, Myrrhæ, (e) Caſſiæ, Croci ſingulorum drachmas quatuor.* Et in illa Vini mulſi: *Myrrhæ ſcrupulos ſex, Vini ſextarios viginti quatuor:* Prius verò de quodam Vino loquens ad tuendam valetudinem uſque ad ſenectam, Mirrhæ Troglotidis* drachmas duas infert; & illi mirificæ conditurae durabiliora Vina facienti, adhuc ſextantem Myrrhæ addit.

§. XX.

HUjuſmodi Vina condita, atque aromatizata apud Hebræos quoque in uſu fuere: legimus enim *Cantic.* 8. *Dabo tibi*

 pocu-

(*c*) Seu Nardo Celtica, utrumque enim ſcribitur. Multiplex eſt Nardus: Celticus nuncupatur, quia in Gallia Celtica, naſcitur: item in Liguria.

(*d*) Menſura liquidorum, & aridorum ſextam congii partem continens.

(*e*) Non vulgaris, ſeu ſolutivæ caſſiæ, neque coronariæ, ſed odoratæ, de qua Dioſcorides. Caſiæ hic potius legendum cenſeo: eſt enim Caſia herba ſuaviter fragrans, qua utebantur Veteres in Corollis componendis. Virgil. Buc. *Egl.* 2.

Tum Caſia atque aliis intexens ſuavibus herbis.

& alibi pluries.

Notandum in hoc §. tripliciter ſcribi Myrrhæ nomen; nempe Myrrha, Mirra, & Murrha à qua Murinum. Ità diſſentiunt inter ſe Scriptores.

poculum ex (*a*) *Vino conditum.* Et licet arcana horum verborum imperſcrutabilia ſint, nihilominus quando quæ licet (*b*) uti littera, ut narrant Interpretes, & præcipuè Ghiſlerius. Huic loco & alium ſuperaddunt, ex Sap. *Vino pretioſo, & Unguentis nos impleamus.* Verbum illud *impleamus* tam Vino, quàm Unguentis commune eſt; ideoque Unguenta una cum pretioſo Vino potaſſe exiſtimo. Ita *Cornelius à Lapide* explicat: *Vino & Unguentis, id eſt* (*c*) *Vino Unguentoſo*; atque ſubinde *Picinellus Lum. Reſl.* Itaque non abs re diſſonum judico Vinum cum myrrha ſtacte, ſeu aliis aromatibus medicatum, Vinum Myrrhatum appellari poſſe, ac tale fuiſſe illud (quidquid ex adverſo opinetur Guibertus) quod milites Redemptori noſtro in Paſſione ejus, (ut refert D. Marcus) non ob levamen, ut Th. Bartholinus affert, ſed ut magis illum affligerent, appoſuerunt: Illud verò bibere Salvator Noſter nequaquam dignatus fuit, à levamine illo fortaſſe abhorrens, quod in tam diro cruciatu (*d*) ab odore myrrhæ exhaurire poterat. Neminem latet Unguenta apud Hebræos, vel in conviviis in uſu fuiſſe: idcircò tunc, cùm Maria Magdalena Salvatori Noſtro pedes unxit, Phariſæo, qui ſcandalum patiebatur, ſerio improperavit Chriſtus: *Oleo caput meum non unxiſti.* Quæ verba cùm ſanctiſſima illa Matrona in corde ſuo conſervaſſet, in alio Convivio, dum Chriſtus cœnaturus accumberet, pretioſum unguentum effudit ſuper caput ejus. De Unguentis Pſalmiſta ait *Pſal.* 132. *ſicut Unguentum in capite &c.* Et in Cantico pluries Unguenta commemorantur: præcipuè ve-

rò

(*a*) Franciſcus Titelmanus in Commentariis Cantic. Vinum conditum, inquit, ſive confectum, quod vulgo Hypocraticum vocant.

(*b*) Id eſt ſenſu litterali; qui ſenſus duplex eſt: proprius ſcilicet, & improprius, qui & metaphoricus dicitur. Plura de hoc ſenſu litterali D. Auguſtinus lib. contra mendacium *c.* 10. & alibi penes Pintian. Iſagog. Bibl. Prælud. III. dub. IV. §. 2. pag. 204.

(*c*) Bone Deus! illud *Unguentoſo* Cornelii quàm male olet! melius Holkoth, & Lorinus in Sap. c. 2. electuario ad melius, & jucunde bibendum, pertinetque, tam ad guſtum, quàm ad tactum.

(*d*) Egregie, & diffusè locum hunc explicat nunquam ſatis laudatus Baronius. Annal. T. I. ann. 34. cap, 49. ſtatuitque Myrrhatum Vinum nequaquàm [ut multi explicant] amarum fuiſſe, & inſuave, ſed perquàm jucundum, & gratum: & hoc factum fuit commiſerationis ergò.

rò *c.* 41. Myrrha recens, & perfecta, quæ nihil aliud eſt quàm ſtacte per lachrymas ab Arbore fluens: ideóque ab Hebræis Myrrha Vinum aromatizatum fuiſſe facile credendum eſt. Laudabilis eſt Unguentorum uſus moderatus ad ſanitatem: *Medicina eſt à Domino (Eccleſ. 4.)* Medicinæ pars Unguenta ſunt: idcircò *Unguentarius faciet mixtionem.* Nimius verò illorum ab uſus damnatur, quia *verilitatem effœminat*, ut iis accidit, qui *& ſua veſtimenta (Clem. Alex. in Pædag. l. 2.) & veſtes ſtragulas, domuſque ſuas ſuffumigant, & aſpergunt, atque ideo, vel ipſas prope matulas olere cogunt Unguenti delitiæ.* Ex quo Temperantiæ Virtus maxime læditur, quæ ſenſus noſtros, atque voluptates viriliter temperat. Et hæc ſufficiant de Unguentis, & Vino Myrrhato.

§. XXI.

LUce igitur meridiana clarius comprobatur, ex tot hucuſque adductis, Unguenta apud Hebræos, Græcos, Romanos, atque ut ità dicam, Gentes omnes, in uſu fuiſſe; ſed de Uſu Coronarum apud Hebræos dubitandum eſt. Licet enim in ſacris Libris non prohibeantur *æque retorquebitur*, inquit *Tertullianus de Coron., ideò coronari non licere, quia ſcriptura non jubet.* Pluries pompæ eximiæ deſcribuntur in illis, ut reditus à ſervitute Babylonica, ac ſæpius nimius luxus reprehenditur: nuſquam verò de Coronis circà caput ſermo eſt: quare ex verbis Iſaiæ Prophetæ idem *Tertullianus* ait: *nam neque lætitiæ deſcriptio, neque luxuriæ denotatio de coronis decore, aut dedecore tacuiſſet.* Immo cum Clemente Alexandrino addam, neque veteres Homeri *(a)* Procos in effrænatis libidinibus coronari ſolitos; neque in Aula *(b)* Phæacia, ubi delitiæ, voluptateſque ſummopere colebantur: denique inter celebres Heroas illos, qui pro Troja certabant, nec ullum quidem coronatum legimus. Sed nihil mirum, quod apud Heroas Homericos Coronas in

N 2 uſu

(*a*) Amatores Rivales. Feſtus interpretatur Adoleſcentes, qui poſcunt aliquam in Matrimonium. Homerus in Odyſſ. eorum convivia diſertè narrat.

(*b*) Phæacenſes, ſumpto cibo & potu, corpus exercent. de iis Homerus Odyſſ. 6.

uſu fuiſſe non reperiatur. Athenæus quoque & ab hoc minime recedere videtur : Ex hoc verò deduci nequit, Homerum coronas ignoraſſe : duplici enim loco per tranſlationem, & metaphoricè Coronæ vocabulo Homerus utitur : ex quo bene ſibi notas fuiſſe Coronas deducitur, quoniam propria, & nativa vocis ſignificatio (*c*) natura prior eſt, quàm tranſlatitia, inquit Caſaubonus in Athenæi *L.* I. *c.* 16. Itaque probum, ac validum argumentum ſtatuit, illud fuiſſe Athenæi, Homero Coronas innotuiſſe, quamvis nemini Heroum ſuorum frontes circumſepiret. Utique corollis ornavit Puellas illas à Vulcano ſculptas in Clypeo Anchiſæ, aitque :

Ibi quædam Juvenes, & Virgines formoſæ
Et illæ quidem pulchras coronas gerebant.

quamobrem Coronarum notitiam ab univerſo pene uſu traxiſſe credendum non abs re exiſtimo. Quæ omnia, ut magis magiſque probatione fulciantur, addam *Martinum de Roa lib.* 3. *Singul.* ubi inquit ; *Quibus ego illud in primis certum mihi eſſe affirmari, convivales coronas nihil ad Hebræos pertinere, quoniam ejus moris apud eos nulla veſtigia cernerentur, nam cùm ſæpe à Prophetis eorum in rebus luxus notatus eſſet, nunquam apud eos de coronis ſit mentio* Tertulliani authoritatem ſubdens. Fateor hic, ac ex corde rem fateor, me, priuſquam Tertullianum, ac Clementem Coronas iſtas damnantes audirem, bene perſuaſum fuiſſe, in ſacris libris aliquid legi poſſe circà coronarum uſum, & præcipue in Sacro Epithalamio Canticorum, in quo Libro quamvis Amorum, Nuptiarum, ac Conviviorum ſacrorum, ſpiritualium, cœleſtiumque ſermo habeatur, nihilominus littera iſta ex Amoribus, ac Conviviis prophanis eruta eſt. Quamobrem *Origenes* inquit : *quæ ſpiritualibus quidem ſenſibus, ſed adopertis Amorum quibuſdam figuris docentur in Canticis Canticorum.* Ideo cum valde periculoſum ſit, ut qui legit *nutriat in ſe ipſo concupiſcentias Carnis*, illis tantum concedenda eſt lectio divini illius Libri, *qui Carnis, & ſanguinis moleſtiis carent, cùm, & moribus quis fuerit defæcatis* : atque hanc ob cauſam Hebræi ipſimet (addit *Origenes*) niſi

(*c*) Nomina ſequuntur naturam Rei, inquit Ariſtoteles.

niſi prius ad ætatem perfectam, maturamque pervenerit, libellum hunc cuiquam ne quidem in manibus tenere permittunt. *D. Hieronymus* de educatione Paulæ filiæ ad Letam matrem ſcribens, librorum ſeriem illi præſignans, quibus uti debuerat, inquit. (*d*) *Ad ultimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum: ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis ſpiritualium Nuptiarum Epithalamium non intelligens vulneretur.* Idem quod & nonnullis accidit, monente Theodoreto, qui Librum illum ſpiritualem eſſe negabant, ac de Amoribus Salomonis in pulcherrimam Pharaonis filiam ſcriptum fuiſſe decertabant, atque in id offenderunt, quia in illo Volumine animadverterunt. *Unguenta, & oſcula & femora, & Ventrem, & Umbilicum, & genas, & oculos, & lilia & mala, & ſtacten, & Myrrham, & iis ſimilia &c. Carnaliter intelligentes in hanc blaſphemiam prolapſi ſunt.*

§. XXII.

CUm igitur littera ſacri illius, & miſticis Dramatis, cœleſtiumque rerum prægnantis ab humana Amorum conſuetudine derivata ſit, leviter ſuſpicabar, nonnulla de Coronis convivalibus ibidem ineſſe, & præcipuè tunc, cùm ſponſa ait: *Introduxit me in Cellam vinariam*, vel, ut legitOrigenes, *in Domum Vini*, quod interpretatur, ſponſam ad ſponſi Convivium invectam: *quæ enim*, interpretatur idem, *jam viderat cubiculum regium, deſiderat nunc regale introire Convivium.* Et *Martinus de Roa ſingul. l. 2. Vini enim nomine Convivium ſignificatur, ut in ſacris litteris paſſim offendas, & in humanis Regna Vini dixit Horatius, id eſt Convivium.* Ubi autem Convivium Sponſa ingreſſa eſt, illico orans inquit: *fulcite me floribus*, ac ſi floribus formoſiſſimis, olentiſſimiſque coronari exardeſceret. Et quia ſeptuaginta Interpretes legunt: *confirmate me in Unguentis*, optare Coronas ad majus oblectamentum, pretioſis Unguentis ſuffitas demonſtrat. Paulò poſt ſponſus ſponſam advocat novo Vere frui,

N 3 atque

(*d*) Idem maximus Doctor alibi dixerat Euſtochio ſeu ſcribens. *Nec Canticum Canticorum, nec hujus Voluminis exordium, & finem legere permittitur.*

atque Cœlo mitiori, ad texendas Corollas: *jam Hyems tranſiit; imber abiit, & receſſit, flores apparuerunt in Terra noſtra.* Ad quem *Pſellus, Legendi ſunt flores, ſi vis corollas ex floribus contexere.* Ulterius Virgines Sion invitantur ad Salomonem cum diademate intuendum, quo in die nuptiali coronavit eum mater: ubi pro Corona, neque Pineda, neque Ghiſlerius diadema regale intelligunt, ſed corollam ex floribus campeſtribus textam, cum apud illos in uſu eſſet ſponſos coronare: atque hoc non tantum à Tertulliano, ſed ab ipſo ſacro Textu habemus *Iſaiæ* 61. *Quaſi ſponſum decoratum corona &c.* Super quibus *Pineda: ſed numquid id Diadema, quod erat Regni inſigne, proinde aureum, & quod illis ſingulari diligentia, & ſollicitudine Mater, Regnum procurans, impoſuiſſe dicatur? minime, ſed nuptiale ſertum ex floribus. Sic obſervavit Cyrillus Alexandrinus loco Iſajæ indicato*: Ita quoque *Ghiſlerius* in litterali ejuſdem Textus expoſitione. *Quamquam, & congruenter ipſum diadematis nomen propriè ſumi poteſt, ut Coronam ſignificet; ut videlicet ſponſus in agro corolla florum redimitus comparuerit &c.* & ſeqq. Tertulliani authoritati innixus ipſemet *Pineda* Coronam ſponſalem (*a*) myrrha quoque contextam fuiſſe addit: *Atque ex Myrrha potiſſimum contexi ſolere nuptialem coronam indicare poteſt id ejuſdem ſponſæ Faſciculus Myrrhæ dilectus meus mihi:* Coronam fortaſſe tanquam correlativam autumans faſciculi illius ex floribus Myrrha ſuffitis, ac ſi in ſponſis utrumque commune ſit, unumque ſine alio exiſtere nequeat. Inſuper idem Auctor docet ſponſum ſacri illius Epithalamii collum & pectus corona ſibi redimiſſe. *Rem hanc procul dubio olent illa ſponſæ Verba: meliora ſunt ubera tua Vino, fragrantia Unguentis optimis, & totum ipſum ſponſum, qui ſit velut intertexta corolla ex Myrrha, & odoratis floribus optat ſibi, ſuoque collo, ab eo enim deſcendit ad pectus, & ubera.* Non tantum verò (*b*) ſponſus, ſed & ſponſa caput

(*a*) Scilicet floribus, vel Frondibus Myrrha perfuſis: Myrrha enim gutta eſt, ſeu lachryma ex Arbore ſtillans.

(*b*(Mirificè morem hunc coronandi Sponſum utrumque penicillo exPreſſit celeberrimus, omnique laude digniſſimus noſter Ferrarienſis Fictor Carolus Bononus, cujus memoria ſemper cum laude recordanda eſt, in inſigni illa Tabula Templi Sanctæ Mariæ in Vado Ferrariæ, ubi Nuptias in Cana Galileæ factas affabrè pinxit. Ibi enim, ſuper omne

put ornabat corona ex myrrha & floribus (*c*) oleoſis: Id ſignificari ait Pineda tunc, cum ſponſus ſponſam invitat: *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni, coronaberis de capite Amana &c. de Vertice Senir, & Hermon.* Quorum montium aſcenſus arduus, diruptuſque erat, ſed in vertice flores olentiſſimi germinabant. Atque ideo: *Sponſa ad Coronam ex floribus Myrrha, aliiſque odoratis herbis, tunc vocata, cum audit ex ſponſo: Veni de Libano, veni coronaberis, quaſi diceret: Habeo ego jam collectas herbas, & flores, ex quibus tibi texui corollam: veni in Hortum meum, meſſui (d) Myrrham cum aromatibus.* Idemque *Ghiſlerius* eundem invitandi modum, paraphraſi explicans ait: *Veni mecum Sponſa de locis iſtis maxime arduis, ingentibuſve periculis expoſitis, veni mecum, veni obſecro ad Montem Myrrhæ, & Collem thuris ad loca amœniſſima, & coronaberis perpulchrorum ac ſuaviter redolentium florum corona. Flores ibi conſpicies, colligeſque ubertim, quibus corollas tibi contexas.*

§. XXIII.

HUcuſque de Coronis apud Hebræos ſatis ſuperque res claras, à nulloque excogitatas, repertaſque inveniſſe judico, modò Funiculos, & Faſciolas addo, quibus fronti, capitique Coronas alligabant, ne laberentur, atque in eodem ſacro Dramate indicantur, tunc cum ſponſus dilectæ Sponſæ ait: *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut Turturis, collum tuum ſicut Monilia.* Legunt ſeptuaginta: *Quàm ſpecioſæ factæ ſunt genæ tuæ tanquàm Turturis; cervix tua ſicut redimicula.* Doctiſſimus Pagninus: *Collum tuum propter torques. Monilia*, ita Origenes vertit, *cervix tua ſicut Redimicula*, eodem modo, quo Septuaginta: ac idem vocabulum explicans, inquit: *Redimicula hic dicit (a) conſtrictiones, vel connexiones moni-*

nes convivas, ex hoc diſtinguuntur ſponſi, quod iis tantùm Corona ex Floribus, Frondibuſque contexta tempora circumcincta ſunt. Accubitus, geſtus, Veſtes, inceſſus, cæteraque hujuſmodi, communia ſunt. Corona verò Sponſis tantùm data eſt.

(*c*) Odor enim ex Sulphuris oleoſitate provenit.

(*d*) Myrrhæ frondes, cum Myrrha lachryma.

(*a*) Neceſſe erat, ne laberentur à fronte coronæ, illas alligare, ſeu fibulis, ut alibi diximus, ſeu funiculis, & faſciolis. Hic ſeptuaginta Interpretes nobis demonſtrant, Corollas, Monilia, ac alia ornamenta frontis, Capitis, & humerorum quadam connexione colligata fuiſſe, ut unum alteri, velut ad inſtar fulchri ſuſtentaculum præberet.

nilium, quæ in cervicibus ſedere ſolent, ex quibus deducitur; & deſcendi per omne collum reliquus ornatus. *Iſidorus* de iiſdem ita ſcribit: *Redimicula autem ſunt, quibus mitra alligatur.* Quamobrem in *Virgilio* legimus *Æn. 9.*

Et habent redimicula Mitræ

ubi Servius: *alligatas habetis mitras, hoc eſt Redimiculis.* Atque (*b*) Mitræ inter fœminarum ornamenta enumerabantur, ut ex Bayſſio de Re Veſtiaria, ex Tiraquello de legibus connubialibus Turnebo in Adverſariis, Dempſtero, Laurentio, aliiſque plurimis, quod per Juvenalem firmum manet.

Qui longa domi redimicula ſumunt
Frontibus, & toto poſuere monialia collo.

Mitram quoque aliquando, notant Grammatici ſumi pro Corollis Puellarum ad ornamentum capitis, ex qua pendebant faſciolæ, ut in Calepino. Ex Hebræis igitur non levia ſumuntur indicia, nec obſcura, non tantùm Coronarum, ſed & faſciolarum, quæ partes Coronarum ſunt, de quibus meminit Feſtus, Iſidorus & Plinius, Lemniſcorum nomine ex coronis pendentium. Hoc non obſtante (*c*) adverſus priſcos illos Sanctos P. P. Tertullianum, & Clementem Alexandrinum nihil in contrarium affirmare auderem: tantum, bona venia, addo illos, qui in ſacro Sapientiæ Libro juſtè redarguuntur, utpotè qui invicem ad vina pretioſiora libanda atque Unguentis toto ventre redolere invitabantur. *Coronemus nos Roſis antequam marceſcant: nullum ſit pratum quod non pertranſeat luxuria noſtra.* Verba quæ adamuſſim cum Clemente Alexandrino concordant, ubi ait *ex puro autem Prato contextam Coronam.* At, licet vox illa nequam promatur à ſceleſtis illis in luxu immerſis, ac libidine ebriis, credendum tamen eſt, morem hunc ab uſu, opportuniori tempore invecto abominandæ illius intemperantiæ voces traxiſſe.

Improbus illorum uſus Roſeis Coronis percingi Sponſis mulieri-

(*b*) Adhuc deſideratur integra, ac diſerta tractatio de mulierum mitra, ſeu Capitis ornatu, quam olim nobis D. Jo: Antonius Aſtorius I. C. Venetus, omni eruditionum genere excultus pollicitus eſt.

(*c*) Nempe Tertullianum, & Clementem Alexandrinum qui, ut alibi diximus, negant apud Hebræos Coronas in uſu fuiſſe.

lieribus nequaquàm obeſſe debuerat, ne coronarentur illa Hortorum Regina, florumque ocello, ut verbis utar Saphi apud Achillem Tatium: immò duplici cauſa ſponſis puellis coronas concedere æquum erat, primò quia Roſis pudicitiæ theſaurus in ſponſa ſignificatur, ſecundò ob ſanctiſſimum virginalem pudorem, quibus laudabiliùs, ac ditiùs quàm gemmis, aut monilibus Sponſæ adornantur. Hujus mentio eſt apud *D. Hieronymum*, dum Ruſtico Monacho ſcribit. *Oſtendam variorum pulchritudinem florum quid in ſe Lilia habeant, quid Roſa verecundiæ poſſideat.* Idem ſcribit Euſtochio, dum pro miſſis ceraſis, laudes profundit *verecundiæ virginali rubentibus:* Atque Demetriadi *Roſa virginitatis, & Lilia caſtitatis naſcerentur.* Noſter denique *(d)* Ferrarienſis Homerus, benè, & ſapienter Roſæ Virginem comparat Fur. 1. 42.

(e) La Verginella è ſimile alla Roſa,
Che in bel giardin ſulla nativa ſpina
Mentre ſola, e ſicura ſi ripoſa.
Nè gregge, nè Paſtor ſe le avvicina.

Roſæ quoque Virgunculæ Epitheton addit, & congruenter Magnus Torquatus Taſſus. in Hieroſ. *lib.* 16. 14.

(f) Deh mira egli cantò ſpuntar la Roſa
Dal verde ſuo modeſta, e Verginella;
Che mezzo aperta ancora, e mezzo aſcoſa
Quanto ſi moſtra men, tanto è più bella

Roſam quoque Virgunculæ titulo notavit *Apuleius*: *Roſæ Virgines matutino rore fluentes*, Nec non & *Columella* in Hortorum cultura

Et ingenuo confuſa rubore
Virgineas adaperta genas Roſa præbet honores

(*d*) Ludovicus Areoſtus Poetarum Italorum facile Princeps: ideò Homeri nomine decoratur, quia Homeri Artem Poëticam in ſuo furente peculiariter imitatus eſt, eodem modo, quo Torquatus Taſſus Virgilium.

(*e*) *La Virginella è ſimile à la Raſa*

(*f*) *Deh mira egli cantò ſpuntar la Roſa*

Decertarunt ad invicem incomparabiles iſti duo Poetæ in Roſæ deſcriptione, & comparatione, maxima utriuſque laude. Apud Criticos magna eſt contentio, cuinam debeatur Palma

§. XXIV.

SEd non tantùm colla, caput, pectuſque apud antiquos coronari credendum eſt in Conviviis: Naſus quoque, pedeſque coronis percingebantur: (Cachinnari abſit) in Petronio enim luce Meridiana clarius eſt illud: (*a*) *pedes coronis vinxiſſent*: quod & inferius videbimus. Athenæus *l.* 4. Cleopatram, cœna ſumptuoſiſſima Antonio parata, narrat Talentum inſumpſiſſe Roſis emendis (Talentum per Budæum ſexcentis Scutatis noſtratibus æquiparatur) quibus ad altitudinem cubiti unius cœnaculum ſeminavit, rete ſubtus extenſo: *die quarta talenti ſumptu convehendas eas Roſas curavit, ad altitudinem cubiti conſterni pavimentum &c. Natalis de Comitibus* interpretatur: *retibus circumvolutionibuſque extenſis pavimenta ſubſtrata fuerunt.* Cujus rationem affert *Dalecampius*, & *Caſaubonus*. Prior: *Ut melius omnes incederent, ac pedum veſtigia ſoli duritie non offenderent*, alter verò: *ne ingredientium pedibus auferrentur, & ſoli planities æqualis ubique corrumperetur* (*b*) Elagabalus quoque Roſis pedes ſibi coronare conſuevit, teſte *Lampridio*: *ſtravit & triclinia de Roſa, & lectos, & porti-*

Palma in hac comparatione. Brevis Notæ terminus hic obeſt, ne in hac controverſia nimis morer, certè Areoſtus Catulli locum egregiè imitatus eſt in nuptiis Juliæ, & Manlii

Ut flos in ſeptis ſecretus naſcitur hortis
Ignotus pecori, nullo contuſus aratro
Quem mulcent Auræ, format Sol, educat imber:
Multi illum pueri, multæ optavere puellæ.
Idem cum tenui decerptus floruit ungui,
Nulli illum pueri, nullæ cupiere puellæ
Sic Virgo dum intacta manet; tum cara ſuis: ſed
Cum caſtum amiſit polluto corpore florem
Nec pueris jucunda manet, nec cara puellis

In qua comparatione, ut hic quoque notat Hieronymus Ruſcelli, Areoſtus cum Catullo decertavit, immò in aliqua parte Catullum ipſum ſuperavit.

(*a*) Figuratam Petronii Arbitri expreſſionem hanc judico, ac hyperbolicam, ſimulque quaſcumque authoritates in hoc §. allatas ad hanc pedum coronationem comprobandam. Stratum floribus ſerere, quò pedes incedunt, ac pedes ipſos coronare idem eſt apud Rhetores. Rete opus erat, ne tritu pedum flores confunderentur, corrumperenturve. Mihi favet Caſaubonus in allata interpretatione, & Lampridius.

(*b*) Alii ſcribunt *Eliogabalus*. Ego cum Illuſtriſſimo D. Philippo à Turre Epiſcopo Adrienſi in doctiſſimo libro de Annis Imperii M. Aurelii Antonini Elagabali, Elagabalum ſcribendum cenſeo.

porticus, ac ſic per ea deambulavit idque omni florum genere, liliis, violis, hyacinthis, & Narciſſis. Et pedum ad naſi coronas aſcendamus: cumque non adeo facile fuerit Coronas Naſo aptare, ut ſaltem ab odorum fragrantia non defraudaretur, reticulos, ſeu ſacculos tenuiſſimi lini, roſarum plenos, identidem naribus admoventes ac odorantes, odore fruebantur. Mollicìem hujuſmodi ex *Cicerone* habemus *in Verr.* ubi capitis colliquè Coronis addit: *Reticulum ad nares ſibi apponebat tenuiſſimo lino, plenum Roſa. Caſaubonus in Athenæum* de rete extenſo ſuper Roſas hæc ait: *Retium iſtum uſum nemo mirabitur, qui obſervaverit conſuetudinem Veterum, involucris pellucidis, aut etiam reticulis involvendi Roſas, quo facilius earum fragrantiam perciperent.* Atque Sacculi, & Reticulæ illæ ad modum Coronarum habebantur, cum Roſarum plenæ eſſent, ut cerebro levamen afferrent, fruerenturque odoris ſuavitate; ait enim *Ariſtoteles, florum, pratorumque odoriferas reſpirationes, non minus ad ſanitatem, quam ad voluptatem conferre.* Immò Tertullianus in Apolog. inquit, *Coronam Naribus novimus.* Atque ita, ſaltem ludicrè, Corollas Naſi, pedumque melius quàm fieri potui, vobis expoſui.

§. XXV.

MOdò rem ſeriùs perpendamus, inquiramuſque, quomodo Coronæ (*a*) ad Convivii finem protraherentur, cujus teſtimonium habemus ex ſplendidiſſima Cœna (*b*) Carani Macedonis apud Athenæum & quamvis primæ coronæ (*c*) ex lami-

O 2

(*a*) Scilicet ad ſecundam menſam.

(*b*) Hujus Convivii, ſeu Cœnæ, ſeu harum Nuptiarum ampla deſcriptio eſt apud Athenæum *l.* 4. *c.* 1.

(*c*) Verè nova eſt hæc corona ex lamina aurea in Conviviis. Athenæus *l.* 1. *c.* 1. Cœnam Carani Macedonis deſcribens, ex verſione, & interpretatione Natalis de Comitibus ait: *Coronaverat autem prius omnes ſtrigili aurea cujus pretium erat aureorum quinque, quam in convivium ingrederentur.* Aſt quid cum Corona ſtrigilis? Ego ita ſcribendum judico: *donaverat omnes prius ſtrigili aurea.* Strigili utebantur Veteres, ut notant Scriptores ad tergendum ſudorem, & corporis ſordes, præcipuè in frictionibus antè cibum: Sequitur Athenæus, *Illatæ illico fuere coronæ multiplicibus floribus compoſitæ in quibus omnibus aureæ erant ſtrigiles.* Ergo ſtrigiles non erant Coronæ, ſed inter coronarum flores quaſi celabantur ad modum coni, ſeu Criſtæ, ut commodius, & facilius ad manus eſſent tergere.

lamina aurea fuerint, ut ait *Dalecampius*, in fine tamen Convivii *præſtabantur Coronæ ex omnifariis floribus, aureiſque lemniſcis*, & in proceſſu convivii, atque in nova menſæ inſtructione novis cibis, *Rurſus nobis allata eſt corona iterumque Unguentarium vaſculum duplex aureum, & argenteum*, atque inſuper novo adveniente (*d*) nuncio: *lotis deinde manibus, rurſum advectæ coronæ cum aureis lemniſcis, & alia rurſus Unguenti duplex arcula.* Adeo ut probabiliter affirmare queam, non tantùm in prima menſa allatas, diſtributaſque fuiſſe coronas, ſed ſupervenientibus quibuſcumque (*e*) Nunciis renovatas in ſolemnioribus conviviis: cujus ratio prompta eſt, quia Roſæ cum præter quoſcumque flores magis oleant, citius etiam vitam, animamque ſpirant, nec diutiùs durant, ut inquit Nic. Biſſius in Claudian: Quamobrem rectè inquit *Auſonius in* 14. *Idill.*

Et dum naſcuntur conſenuiſſe Roſas.
Una dies aperit, conficit una dies.

Ex quo igitur tam citò flacceſcunt, citiſſimèque à vaporibus vini ad caput aſcendentibus opprimuntur, curabant, ut novæ, recenteſque Coronæ in promptu eſſent. Addo inſuper. Expletis conviviis, novas corollas elargitas fuiſſe convivantibus, cùm libationes in fine convivii ſuccederent, nec ſine coronis fierent, ut Æneas libando paternis oſſibus, inquit *Æn.* 5.

Ore favete omnes, & cingite tempora ramis
Sic fatus velat materna tempora myrtho.

cujus moris rationem affert ſuaviſſima Saphus

Diis enim florida chariora ſunt, & gratiora

ad quæ *Athenæus l.* 15. *his ſcilicet declarat magnificentius eſſe magiſque diis placere corona ſi redimitus ſit qui ſacris operatur.* Igitur cùm in fine Convivii libationes fierent, quæ (*f*) ſacrificii ſpeciem

gereturque è fronte ſudor, ob nimium potum, tunc cum à temperantia deficerent; Unguentumque Coronis impoſitum per ora, genaſque liquefactum diſcurreret. Ita ego opinor, ſalvo ſemper meliori judicio.

(*d e*) Nuncii in conviviis, intelliguntur ii, qui convivium ingreſſi ſaltabant, choreas ducebant. canebant, ac variis ſpectaculis Convivas exhilarabant, ut in eodem loco Athenæi diffuſe apparet.

(*f*) Saltem ex oblatione, ſacrificii ſpeciem continebant, nullum enim fit ſacrificium ſine oblatione.

ciem in ſe continebant, ita novæ coronæ in fine convivii parandæ erant, ut Diis libationes illæ placerent. *Plutarchus* pluries id ſatis probare videtur: *In convivio Septem Sapientum* ait: *ſublatis Menſis, ſertiſque à Meliſſa diſtributis, nos quidem libavimus.* Idem in *Sympoſ.* ſcribit Heratonem Muſicum Muſis litando, ſolemne convivium paraſſe, finitaque Cœna: *omnis generis ſerta fuerunt circumlata.* Et ecce quomodo in fine Convivii coronæ quoque diſtribuerentur convivis.

§. XXVI.

REſtat modò, ut de Coronatione poculi, & vini aliquid diſſeramus. Vinum enim cùm (*a*) Rex ſit, ut monet Octavius Magnaninus noſter in Convivio P. 2. eò potentius, quo egregium, & optimum, juxta *Horatium*, qui inquit *lib.* 1. *od.* 4.

Nec Regna Vini ſortiere talis.

ac melius, clariuſque Jovius Chius in Eleg. monente *Athenæo l.* 10. *Bonorum omnium Regem Natura Vinum ſtatuit.* Ut Rex igitur coronari Vinum fas eſt. Quamobrem tribus modis ad mentem interpretum Homeri, Virgilii, aliorumque eruditiſſimorum Autorum hoc evenire poteſt: nempe primo quando Calix adeo Vino cumulatur, ut orificii labia quemadmodum indignans altum ſtat, ſibique ipſi corona eſt diadema, de quo ait Joſeph Laurentius in Polymath. In gratiam hujus Argumenti nonnulla habet *Homerus* in utroque Poemate. *In Illiade l.* 1. Reſtituta Chryſeide Patri ſuo Chryſi ut Apollinis ira demulceretur, cujus ipſe ſacerdos erat, ſacrificium paratum eſt.

Poſtquam potus, & eſca deſiderium eximerunt
Pueri quidem (b) crateras coronarunt vino

O 5 Et

(*a*) De Regno Vini, ac de hujuſmodi Regis potentia omnes dithyrambici Poetæ multa afferunt. Ex Italicis Chiabrera, Lemene, Redius, Pegolottus, Creſcimbenius, Grazzinus, aliique egregii Poetæ. Redius præcunctis in ſuo Dithyrambo ait. *Montepulciano d'ogni vino è il Rè.* Magnaninus enunciatus Vinum appellat Regnum in Convivio. *Part.* 2. *cap.* 8.

(*b*) Iſta coronatio Crateris, ſeu Vini in Homero, cæteriſque Poetis hoc §. allatis mihi videtur tropologica, quòd ſcilicet debeat intelligi Coronare ſe potando, ut alibi diximus in not [*e*] ad §. VI.

Et *in Odyſſ.* narrat Procorum convivium, tunc cùm Minerva, mutata forma, ad Telemacum profecta eſt: dumque illi diſcumbentes cibum ſumerent.

Pueri vero crateres coronarunt potus

In Convivio eorum petulantium Procorum, quod noviſſimum fuit, & eorum ultimus vitæ terminus ſub juſtè irato Ulyſſe legitur.

Juvenes autem crateres coronarunt potu

Athenæus interpretatur Authoritatem Homeri admodum concinnè *lib.* 1. *Coronantur Vino pateræ, dum labra Vinum exſuperat, ut ſupra ſtare corona videatur.* rationemque addit, hoc factum fuiſſe boni ominis cauſa. Apud *Virgilium* quoque, ut notat Lacerda pluries hujus moris mentio eſt, ut *in Æneid. lib.* 1.

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant

& lib. 7.

Crateras læti ſtatuunt, & vina coronant.

§. XXVII.

Vel (& hic ſecundus modus erat coronandi Vina) circa (*a*) labium Crateris, ſeu calicis corollam Florum, herbarumque odoratarum circumponebant, non ut tanto honore unicè calicem dignum crederent, ſed Vinum, quamobrem Servius in Virgilium inquit: *Vina coronat pro Pateris.* Mos iſte clariùs ab eodem *Virgilio* explicatur alibi, & præcipuè tunc, cum fidus Achates, Italiam diù exoptatam, feſtivus adinveniſſe exclamavit: cujus rei Anchiſes Diis gratias refere exoptans

Magnum cratera corona
Induit, implevitque mero

Prius Pateram coronavit, deinde implevit mero. Lambertus hic: *induit, coronavit, periphraſis.* Sed bona venia tanti Auctoris, alioquin excellentiſſimi, nullus eſt hic locus periphraſi, nam quando pluribus verbis enarratur quod uno, aut pauciori-

(*a*) At quomodo bibebatur quæſo in calice ad orificium uſque coronato? Res ſanè difficilis, ac imperceptibilis eſt, Vel pitiſſando ſorbebatur, vel ſordide verſabatur extra Vas Vinum.

cioribus verbis dici poteſt, circumloquutio a latinis appellatur. Poeta vero duo exprimere intendens, hoc eſt corona Calicem exornaſſe, indeque Vino impleviſſe, nullum ſupervacaneum verbum adeſt, nec minori verborum copia mos ille priſcus exprimi poterat: Ideoque opportunius interpretatus eſt *Servius*: *aut uſque ad ſummum implevit*, *aut revera Coronavit*: atque ita ſe habuit res, verbum illud ſubdens *induit* ut explicare corona induiſſe, (*b*) atque operuiſſe calicem, eodem modo, quo egregiè hunc locum interpretatus eſt Italus Poeta *Annibal Carus* inquiens

allora anchiſe

Con una inghirlandata, e piena Tazza &c.

Ità in vernaculam linguam vertens locum adventûs in Latium, non benè ut opinor, ſcopum attigit, dum ait

ad invitarſi a coronarſi, a bere.

quia tunc Poeta neque Verbum facit Coronationis. Itemque in cœna Didonis Poetam nova (*c*) verba loquentem fingit, quæ, revera in Textu non leguntur.

Comparir nuove Tazze, e Vino, e Fiori
Per lietamente incoronarſi, e bere.

§. XXVIII.

CUm igitur ſatis pateat (ut cum Interpretibus ſim) ad coronandos calices & Vinum, Coronas in uſu fuiſſe; doctiſſimus Joannes Argolus, & Turnebus in Adverſariis conſtanter affirmant, vere induere, & coronare Calices coronis, mentem fuiſſe Virgilii in locis citatis: hoc eſt Calici coronam apponere, Calicemqne ipſum ad ſummum uſque implere, cùm nihil repugnantiæ inveniam cur uterque modus coronandi Pocula

(*b*) Et hic quoque novus occurrit nodus: quomodo in Calice floribus operto bibere poſſent? Interpretum vero explicationes adeo claræ ſunt, ut nullus difficultati locus remaneat.

(*c*) Totus ſecundus verſus ſupervacaneus eſt: *Virgilius* enim hoc tantum ait, *Æn. l.* 1. in fine.

Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant

nihil aliud ſubdens de coronatione capitis.

cula apud dictum Poetam non debeat intelligi, ad majoris lætitiæ ſolemniſque convivationis indicium. Virgilio locum Tibulli concordare autumat Germanus Valenti *lib.* 2.

coronatus ſtabit & ipſe calix

adeò ut (*a*) *coronatus* utramque ſignificationem in ſe retineat; hoc eſt *plenus*, & *coronatus*. Baccius in Vini Hiſt. *l.* 14. ait, Servium Virgilii ſententiam non benè explicaſſe, quia hujuſmodi coronamenta conviviis Magnatum ſolummodo conveniant, atque ideo Virgilium de (*b*) Auguſti Conviviis intellexiſſe, utpote qui, monente Suetonio, *convivabatur, & aſſiduè, &c.* Aſt quis ignorat eruditorum, ab ætate uſque veteris Græcorum Reipublicæ Romam invectas fuiſſe coronas? illaſque non tantum Principibus, Senatoribuſque; ſed cuilibet de populo in uſu fuiſſe? Cùm igitur mos coronandi frontem, ornandique Calices in conviviis invaluerit, non tantum apud Magnates ſed & apud plebeios, Principes, ac ſervos, rationabiliter tamquam de communi more Servius Virgilii loca interpretatus eſt. Idem quoque cecinit (*c*) Ferrarienſis noſter Vates Fulvius Teſti (ut mentio eſt apud Amicum noſtrum Hieronymum Baruffaldum in (*d*) diſſertatione de Poetis Ferrarienſibus *p.* 16.) qui in Nuptiis Venuſinæ Principis od. 2. veterum mores imitando cecinit.

In flagion ſi gioconda
Ben lice incoronare o muſe amate
D' indomito Lieo Tazze gemmate.

§. XIX.

(*a*) Calix coronatus Tibulli *lib.* 2. *El.* 5. intelligitur corona ex frondibus ipſius Vitis: Joſ. Scaliger multa notat, ſed non ad rem noſtram: ex hoc Achilles Statius melius interpretatur locum Virgilii: *Vina Coronant.* Nihil ad hunc verſum doctiſſimus Jo. Antonius Vulpius in obſervationibus ad Tibullum.

(*b*) Res nova hæc Baccii, atque à nemine adhuc excogitata.

(*c*) Fulvium Teſtium Ferrarienſem genere, & natalibus nemo eſt qui ambigat. Super omnes id teſtatur Majolinus Biſaccionus in quadam epiſtola Apologetica Fulvio ſcripta de anno 1617. ubi Fulvii, & Patris ſui Natalia aperit. Magis verò comprobatur ex Sepulchrali

§. XXIX.

TErtius tandem Vini coronandi modus fuit, flores, & Coronas ipſas in calices, Vinumque ipſum immergendi, atque ita olfactum guſtumque ipſum exſatiare, licet natura hos ſenſus ſejunctos ſtatuiſſet. Morem iſtum Stuchius atque Urſinus commemorant; atque Naſcimbenius noſter dum inquit: *Nam Veteres pocula coronabant, Coronaſque Pateris infundebant hilaritatis gratia.* Idem quoque adnotavit Polydorus Virgilius, qui Jonios hujus moris inventores fuiſſe tradit. De tribus his coronandi ritibus loquitur, quamvis compendiosè, Sebaſtianus Corradus in Comment. ad *lib.* 1. Æneid. Verùm antiquitatem majorem redolore ritus iſtos, & præcipuè coronas in Crateres Vino plenos immergendi affert *Tertullianus*, inquiens, *& coronis (a) potatoriis inornabitur calix, aut aſpergine florum honorabitur.* & alibi: *in ſinum conde ſi tanta munditia eſt, in lectulum ſparge ſi tanta mollitia eſt, in poculum conde ſi tanta innocentia eſt*; hoc eſt: Infunde flores quoque in ipſo cratere, ſi adeò innocuus es, ut dolum timere nequeas vel proditionem: forte indicans, ut opi-

chrali lapide Mutinæ in Divi Dominici Templo, ubi oſſa totius Familiæ de Teſtii ſervantur, & præcipuè Julii Patris, & Fulvii Filli. Inſcriptio eſt.

JULIUS TESTIS. RELICTA PRO PATRIO
PRINCIPE PATRIA. MARMOR HOC.
EXTERI. SED DULCI SOLO, SIBI HERED:
SUIS V. P. ANNO A VIRGINEO PARTV.
MDCXV.

Ubi verbum illud *Patria*, de Ferraria intelligitur ubi priuſquàm Sanctæ Romanæ Sedis Dominio ad ſciſceretur, Familia de Teſtiis commorabatur.

(*d*) Prima uſque ad adoleſcentia mea, nempè anno 1698. Diſſertationem quandam de poetis Ferrarienſibus typis evulgavi; Quæ iterum caſa legitur in Previi Bibliotheca T. 4.

(*a*) Tertullianus ſtylo illo africano verum hujuſmodi coronarum nomen adenvenit, dum eas vocat *Coronas Potatorias*: quo titulo diſtinguuntur à coronis Capitis, Colli, Pedum &c. Sunt hæ Coronæ quibus coronabantur Calices, & Vina, erantque in uſu bibendo.

nor Venenum (*b*) a Creuſa paratum ignoto filio in Cratere: de quo *Euripides in Jon.*

Dedit plenum Vas, jaciens in Vinum
Efficax venenum, quod dicunt dediſſe
Dominam, ut interficeretur novus filius.

Vel ut clariùs rem perpendamus: fortaſſe Tertullianus illis verbis; *in poculum conde ſi tanta innocentia eſt*: vaferrimam deriſionem à Cleopatra Antonio ſuo paratam intellexit, de qua Polydorus Virgilius, Maſcardus, & Plinius, cujus in fine hujus meæ incomptæ exercitationis mentionem faciam: eritque pro coronide hujus Coronarum, Unguentorumque diſſertationis. Verùm prius addere optimum duco ut magis hæc infuſio coronarum in poculis vino jam turgidis comprobetur, *Propertii* locum *l.2. Eleg.* 22.

(*c*) *Jam bibe, formoſa es: nil tibi vina nocent*
Quum tua præpendent demiſſa in pocula ſerta,

§. XXX.

MOdò totam hanc infuſionem florum, coronarumque in Calicibus firmandam cenſeo callidiſſimo illo dolo, quem M. Antonio ſuo Cleopatra molita eſt, ut illi comprobaret, ſuoque ore fateretur inanem ſuſpicionem ab illa Veneno infici, cujus jucundæ Hiſtoriæ nuper narrationem pollicitus ſum. Pluries Convivam habuit Antonium illum, (qui Ægyptiis delitiis, nominis ſui ſpendorem obumbravit) Cleopatra illa, quæ Amorum ſuorum blanditiis intrepidos Romanos Duces alliciendo, ſe Romanæ Reipublicæ Tyrannam prædicabat. Totis innixa viribus, & formæ venuſtiſſimæ faſcino, verborum robore, vociſque modulatione, *velut inſtrumentum aliquod plurium chordarum,* ut ait Plutarchus, atque illecebris ad ultimum elegantiſſimis doloſiſ-

(*b*) Duplex Creuſa apud veteres Scriptores invenitur: Una filia Priami, & Uxor Æneæ, altera Creontis, & Uxor Jaſonis Medea repudiata, hic ſecundæ mentio eſt apud Euripidem.

(*c*) Alii legunt. *Demiſſa in pocula ſerta.* Inter ſertum, & ſerta magna diſcrepantia ineſt, de qua vide Scaligerum in notis ad Tibullum.

loſiſſimiſque Antonium deperibat. Ille quamquam à priſtina ira fortaſſe defeciſſet, attamen ab iracundo propoſito nondum declinaverat Cleopatræ injuriam vindicandi ob favorem armis (*a*) Caſſio præſtitum. Quamobrem timore percitus ne Regina, quæ veneficam artem optimè callebat (*b*) [Maritum enim veneno ſuſtulerat] totius ingenii acumine ſtuderet, ut ſibi quoque mortem inferret, furtivè in poculis, cibuſve, penitus à cibo potuque abſtinebat, donec per fidum ſibi famulum (*c*) prægustationes, & delibationes fierent. Cleopatra verò quæ ſibi animo propoſuerat, & regno ſuo (ò quam fallaces hominum cogitationes!) auream quietem parere ſi ſtrenuiſſimum ducem illum amore caperet (Reginæ verè digna vafrities, ac callidiſſimæ fœminæ! illum illudere ſtatuit, & zelotypiam, trepidantemque animum Magnati illius fraudando, fidemque ſuam indubiam manifeſtando, totas in Antonii animum habenas ſumere conata eſt. Cœna itaque jam parata, immò dimidiata, cum invaleſceret hilaritas, atque jucundatio, Antonium Cleopatra invitavit *ut Coronas* quoque *biberet*: ut notat Plinius *lib.* 21. (*d*) Ipſe hilari animo invitanti annuit: illa verò illicò aliquantulos flores manu ſua carpens qui coronam Regiam ſibi componebant, hoſque,

P 2 (quos

(*a*) De quo Plutarch. in M. Ant. Vita.
(*b*) Ptolemæum ultimum Ægypt.
(*c*) Prægustatores ſervi dicebantur qui Cibos, potumque Principum prægustabant: Ex miniſtris enim, qui Epulis menſas inſtruebant, quidam Prægustatorum nomine fungebantur. Eorum munus erat explorare potum, & cibum: & quia Regum, & Principum Vita multis inſidiis erat expoſita, ne Venena eis infunderentur, Calicem labris non ante admovebant, quam pocillatores potum guſtu exploraſſent. Vetus inſcriptio Romæ in Monte Viminali eruta, de Prægustatore hæc habet.

VOTUM SYLVANO
SOLVIT LIBENS MERITO
T. F. DIADUMENUS;
LURUESIANUS PRAE-
GUSTATOR AUGUSTI.

(*d*) Eſt caput 3. l. 21. ubi de honore coronarum ſcribit, deque foliis aureis, & argenteis.

(quos primò potentiſſimo veneno clam medicaverat) in Antonii Pateram prolabi ſinit, totoſque immerſit: Incautus Amaſius, quo cautior eſſe debuerat, formoſæ Reginæ favore lætior factus, jam jam celerrimè poculum labiis admovebat: Pia verò, ac ſimul vaferrima mulier una ſimul ex tempore Amaſii manum corripiens: ſiſte, inquit, ſiſte corcule, atque anima animulæ meæ, ſiſte, nec bibere aude. Anne credis, dilecte mi, hac tua inopportuna, ac male oborta diffidentia ab artibus ſtudiiſque regalis fœminæ te tueri? Heu ſi Cleopatræ luce frui, ſine tua luce daretur, ſique ſine tua vita vivere datum eſſet! Annè credis, inquam artium mihi inopiam fuiſſe, te jam (*e*) inter Elyſiorum Umbras ablegandi? Heu quàm te cœcat dubia formido, & vana inter menſas quoque, & gaudia infeliciter te cruciat ſuſpicio! En tibi viva inopinataque mors adeſt, quæ floribus redimita, impatiens, ac tumida in hoc pretioſiſſimi liquoris calice natans, in te jam ruit. Modò igitur, atque illicò pavor iſte tuus à te exulet, atque omninò inanis timor deturbetur: Dubiæ fidei meæ tuo è virili pectore nebulas expelle: tanto viro (tua pace ſit corcule mi) tanto viro indigna ſuſpicio eſt. Cor meum tuo jam in pectore depoſitum ab hujus opinionis conſortio maximè abhorret: Crede, crede, mi Amor: Ego eo felicior ero, quo fidelior à te reputabor, Ancillæque tuæ magis, quàm Ægyptiæ Reginæ titulis gloriabor. Hæc ubi dixit: quàm ſuaviter, quàm jucundè lachrymulas, ceu Ros, & ſereno luminum ſuorum cœlo labi ſinit, quæ rariores gemmas pretio non minus, quàm ſplendore ſuperabant. Atque ut rem probaret eventus, ſuaviſſimam illam mortem (*f*) damnato cuidam ob patrata crimina bibendam tradidit: reſque evenit, ut jam promiſerat, mortemque in poculo nactus eſt, ut alter olim (*g*) in

(*e*) Hoc eſt, tibi mortem dandi. Elyſium locus ubi Piorum Animæ per Gentiles habitabant. Sunt & Elyſii Campi in Bæotia circa Thebas, ut inquit Lycophron, de quibus ſenſiſſe videtur. Virgilius l, 1. Georg.

Quamvis Elyſios miretur Græcia campos

(*f*) Mos erat apud Veteres in omni re dubia per damnatos periculum facere, & luſus erat Vitam hominis tam parvi facere Lipſius. De Cruce multa habet hujus argumenti.

(*g*) Adagium eſt vetuſtiſſimum. Vetus Scholiaſtes Plauti, hæc narrat. Quidam Saturio [de quo Plaut. in Perſa.] Paraſitus, noctu mortem in olla ſedentem per ſomnium vidit.

in olla. His ita ſtantibus, Coronare Vina apud Veteres ſumptum fuiſſe non tantum pro Pocula, caliceſque uſque ad orificium, & ſupra implere coroniſque Cyathos ipſos coronare ſtatuo: ſed & flores ipſos, & Corollas immergi ſolitas, quæ propterea à Tertulliano *in lib. de Reſurrectione* Coronæ Potatoriæ vocantur.

Jamquè Opuſculum explevi, in quo horis ſucciſivis, quas medicæ arti ſubripere datum eſt, varia ex optimis Authoribus colligere valui, ut propoſitum argumentum comprobarem, nempè Corollas, atque Unguenta in Conviviis apud Veteres in uſu fuiſſe, atque ut modum, ordinemque demonſtrarem in hujuſmodi ritu uſurpatum.

dit. Die verò cum in Culina ſubdolè ex olla lixatum Gallum ſubripuiſſet, illumque voraſſet, ex officulo ſibi in trachæa infixo, periculum mortis jam jam imminere ſentiens, ac de facto moriens, nil aliud exclamabat ejulando, quàm: *Mors in olla*, *Mors in olla*, omen mortis ſuæ ex ſomnio de[illegible]ens.

ELECTA CONVIVALIA

Ex variis Authoribus decerpta.

CONVIVALES Coronæ ex quolibet Flore, & herbis, præterquam Apio, quòd feralis ſit herba. *Muret. lib.* 16.

Elixam crambem opponebant Ægyptii in Conviviis ad ebrietatem avertendam. *Manut. in Adag.*

Corona erat Ebrietatis indicium. *Novar. elect. ſacr.*

Quater in die priſci edebant. *Laurent. Polymath.*

Jentaculum eſt cibi deguſtatio matutina, & puerilis refectio. *Apuleius.* 1. *Methamor.*

Prandii tempus propriè meridies. *Sueton. in Claud.*

Cœna eſt cibus veſpertinus. *Laurent. Polymath.*

Comeſſatio ſequebatur Cœnam. *Livius lib.* 9.

Cœnæ variæ fuere; aliæ augurales, aliæ Pontificiæ, Dupſiles, Saliares, Cereales, Capitolinæ, Populares, Triumphales, Natalitiæ, Ferales, &c. *Laurentius. in Polymath. lib.* 3.

Fercula in menſam deferebantur ab ancillis, & Servis qui dicebantur Dapiferi. *Hildebrand. in Compend.*

Priſcis temporibus, cùm frugalitas, & Modeſtia vigeret ſedebant ad menſam, ſic *Virgilius* canit.

Perpetuis ſoliti Patres conſidere menſis

Ità *Servius ad Virgil.*

Rex Convivii ille erat, qui modum bibendi præſcribebat: *Cæl. Rhodigin. Ant. lect. lib.* 28.

Quando exhauſta erant Pocula, illa vertebant: ità *Meurſius ad Plaut.*

Convi-

Conviva cantare tenebatur, tradito ei ſigno; *Ex Plutarcho in Sympoſ.* & Muſicos concentus in conviviis aiunt, adhibitos fuiſſe, quos ſequebatur ſaltatio. *Hildebrand. in Compend. Antiq. roman.*

In luctu ſediſſe Viros comedentes refert. *Plutarch. in Catone.*

Stantes nonnunquam epulabantur. *Laurent. Polymath.*

Ambulantes etiam Comedebant, unde jentaculum ambulatorium vocat *Apuleius.*

Convivium, ut omnibus numeris ſit abſolutum ex rebus quatuor debet conſtare: ſi belli homunculi collecti ſint; ſi lectus locus: ſi tempus lectum, & ſi apparatus non neglectus. *Hildebrand. compend.*

Triclinium dicitur conclave diſcubitorium, & eſt locus in quo diſcumbebant, & cœnabant præcipuè in convivium accepti, ſic dictum à tribus lectis, quos ſternebant inter ſe contiguis. *Stephan, Theſ. ling. lat.*

Convivales coronæ etiam Hoſpitibus datæ, cuique pro meritis, & Fortuna: *Thomaſin. de Teſſer. hoſpital.*

Vinum honorarium, eſt quod Regibus, & potentibus honoris gratia offertur. *Iſidorus origin.*

Hoſpites publico convivio recipiebantur, & ludi, & Choreæ Matronarum, ac omnis generis ſpectacula in eorum gratiam edebantur. *Thomaſin. de Hoſpit. teſſer.*

Eubulus ſub Dionyſii nomine monuit ſanitati primum dicari cratera, ſecundum amori, & voluptati, ſomno tertium, quartum injuriæ; poſt cœnam verò poculum Boni Dæmonis fuiſſe legitur apud *Cæl. Rhodigin. lib.* 28.

In cœnaculo menſa collocabatur rotunda, humilis, inferiorum hominum tripes, ex ſimplici ligno, lautiorum verò citrea, aut lamina argentea intecta, cum pedibus eburneis; Circa menſam tres ut plurimum lecti erant, undè triclinii nomen. *Hildebrand. in compend. pag.* 3.

Aliqui antiqui, ut hodie Turcæ, in ipſa terra fuſi cœnabant; ſic *Virgilius*

Tum victu revocant vires, fuſique per herbam

ita *Laurent. Polymath.*

Ac-

Accumbebant, reclinata ſupera corporis parte in ſiniſtrum cubitum, infera in longum porrecta, & jacente. *Lipſius lib. 3. antiq. lect.*

Lecti inſternebantur aulæis, purpura, aut alia veſte ſtragula pro ſtatu convivatoris, & priùs quam accumberent lavabantur, & togam deponebant, & ſoleas pedibus demebant, ne lectum conſpurcarent. *Hildebrand. compend.*

Pocula priſcis fuerunt Bovum cornua. *Joſ. Lanzon. in Muſeo Minerv. tom. 2.*

Gallienus Concubinas ſecum accumbentes habuit. *Jul. Capitolin.*

Strato triclinio convivæ loti cœnatum veniebant, quod ſi loti non erant pedes ſaltem lavabant. *Petr. Ciaccon. de Triclin.*

In Conviviis odores naribus gratiſſimi incendebantur *Seneca de vit. beat.*

Alba veſte induti funebre convivium celebrabant. *Fulv. Urſin. in append. ad Ciaccon.*

Apodyterium, quaſi latine dicas, Exutorium erat locus Spoliatorius antè balnei ingreſſum, ubi cœnatum, vel poſt cœnam, ſe loturi exuebant, hoc eſt veſtimenta deponebant: *Rob. Stephan. in Theſaur.*

Pueri flabello Muſcas abigebant, & ventum cœnantibus faciebant. *Fulv. Urſin. ad Ciaccon. appen.*

Menſæ monopodiæ in quibus eſculenta, & potulenta inferebantur; Urnaria menſa, ubi aquæ pocula, & hæc culina plerumque. Apud Græcos menſæ non opertæ linteis, erant, ſed poſt cœnam ſpongiis terſæ per ſervos: apud Romanos oppertæ mappis, ſive mantilibus mutari ſolitis in ſingulis miſſibus. *Laurent. Polymath.*

Aqua nive refrigerata utebantur; ſicuti aqua calefacta; ita *Plinius in Hiſt., Varro, Sueton., & Urſinus.*

Explorandis adoleſcentium ingeniis convivia nonnunquam indulta *Plato* ſcribit. *Camerar. Hor. Suc.*

Cibos digitis atrectare ruſticitatis putant Sinæ, bracteatis paxillis, vel argenteis, aureiſque fuſcinulis conciſa minutim fruſta in os inferunt; *Maffeus Soc. Jeſ. hiſt. indic.*

Alabaſtrum unguenti, ampulla eſt vitrea, quæ libram olei capit,

capit, eſtque dimidii ſextarii menſura; alabaſtri porrò nomen à fragilitate reperit. *S. Epiphan. de Menſ., & pond.*

Culinæ propè templa erant, in quibus dapes funerum parabantur. *Phil. à Turre de Diis Aquil.*

Ut in veneratione Deorum, dextrovorſum circumagi ſolent, ita in convivio, id eſt quaſi ſacra Sympoſi moris apud veteres fuit pateram in dextrum circumferre. *Juſt. Lipſius antiqu. lection. lib.* 3.

Exhilarabant convivia facta licitatione, ut ex commentariis Græcorum colligit. *Caſaubonus in Suet.*

Solebant uxores, & liberi in ima lectuli parte accumbere in viri, vel parentis ſinu. *Del Rio in Adag.*

Cœnacula Domorum privatarum inſerviebant primis Chriſti fidelibus pro Eccleſiis. *Sarnel. in baſilicogr.*

Silicernium ex *Donato* Cœna eſt, quæ propriè Diis manibus referebatur, quod eam ſilentes umbræ cernerent, ideſt poſſiderent, vel quod qui ferebant, cernerent, ſed non deguſtarent. *Joſ. Lanzon. de Balſam. Cadav. cap. 6.*

Perſarum mos fuit inter pocula de ſeriis rebus conſilium capere. *Jo. Bapt. Pacichel. de jur. hoſpit.*

Jentare eſt cibum ante prandium guſtare. *Lanzon. adverſ. lib.* 1.

Duplex erat cœna funebris; una Diis Manibus parabatur, altera domi proximioribus, & amicis; hoc propriè epulum funebre, illud Silicernium vocarunt. *Jacob. Guther. lib.* 1. *de jur. man.*

Priſci Sapientes, morales, naturaleſque quæſtiones inter pocula, & fercula exagitabant. *Jo: Bapt. Pacichel. de Hoſpitalit. lib.* 2.

Compotationum ſodalitates vitare conſultiſſimum erit, ſed ſi quandò caſus eo te detulerit, ante ebrietatem ſurgito. *Iſocrat. in parænes ad Demonic.*

Convivia paulò antè noctem, hoc eſt, poſt horam decimam à Sobriis adibantur, & in primam noctem protrahebantur, ſic unam aut alteram horam noctis cibo ſumendo impendebant antiqui. *Caſaubon. com. in Perſ.*

Quando Cyrus aliquos invitabat ad Cœnam, conſultò ſingulos locabat ad menſam, & quem maximè honoraret ad ſiniſtram ſedere jubebat manum, ſecundum verò ad dextram, ter-

tium rurſus ad ſiniſtram, quartum ad dextram, & ſi plures eſſent, eodem modo; *Xenophon. de pæd. Cyri lib.* 8.

Solebant Judæi feralia convivia prolixè populis dare, ob quem magni ſumptus morem, multi ad paupertatem redacti ſunt. *Sarnel. lect. in Evangel.*

Sponſi ad nuptiale convivium coronati ducebantur. *Fr. Mendoca com. in lib.* 1. *Regum.*

Veteres inter bellaria poſt Cœnam interdum etiam folia Lauri adhibuiſſe ait *Athenæus*

Nemades, ac inſolens Hunnorum feritas, nec ſemicrudas aſpernata eſt carnes. *Laur. Beyerlinck. T. V. H.*

Pocillatores nivem in poculis aliquando miſcebant. *Athenæus lib.* 3.

Spartanis communia erant convivia: *Alexand. lib.* 5.

Sybaritæ anno antè ad convivia vocare ſolebant. *Herodot.*, *&* *Ælian.*

Apud Indos ſolus Rex in lecto occubat, cæteri ſedentes epulantur. *Alex. ab Alex. lib.* 5.

Nec loquaces convivas, nec mutos eſſe oportet. *Gellius lib.* 12.

Græcis quatuor, aut quinque Convictores unis menſis adhibere ſatis erat. *Alex. lib.* 5.

Septem Convivium, novem convicium; innuit proverbium. *Beyerlinck. T. V. H. & Eraſmus Adag.*

Perſæ antiquitùs lautè cœnabant, integra, multa, & varia apponentes. *Strab. lib.* 15.

Cœnæ in caniſtris ferebantur. *Eraſm. in Adag.*

Tres cyathos ſæpè ad numerum gratiarum potabant, aut novem ad numerum muſarum. *Beyerlinck.*

Apud Romanos nefas erat menſam prorsùs inanem relinquere: *Brodæus in* 2. *Epigr. Græc.*

A Græcis Ænigmata poſt Cœnam proponebantur. *Alex.*

Muſtum ruratum populo quondam datum eſt. *Plinius lib.* 15.

Galba ante Lucem ſemper veſcebatur. *Alexand.* & Cicero ante ſolis occaſum raro diſcubuit. *Idem. Alex.*

Coqui ſolebant in Foro ſtare expectantes donec conducerentur, unde, & forum coquinum vocabant; ità *Laurent. Beyerlinck in Theat. Vit. hum.*

Piſto-

Piſtores Romæ non fuiſſe uſque ad perſicum Bellum ait *Plinius lib.* 18.

Romani aliquando poſt ſingulos miſſus laverunt. *Lamprid. in Heliogab.*

Viri ſoliti erat in Convivio diſcumbere, mulieres tamen ut plurimum ſedebant. *Caſal. de rit. rom. cap.* 25.

Fuere apud priſcos prægustatores, qui regios cibos, & potus prægustarent. *Qu. Curt. lib.* 10.

Cœnæ initio ova apponebantur. *Cicero in Epiſt.* Ex quò adagium ortum puto *incipiamus ab ovo.*

Pueri pavonio flabello muſcas abigebant in Convivio. *Caſal. de rit. rom.*

Lactucam ſub Cœnæ finem ſolebant comedere antiqui. *Pancirol. rer. neperd. tit.* 5.

Veteres Romani mulſum in deliciis habebant. *Salmut*: & fiebat è vetere vino auſtero, & bono melle.

Cœna recta erat ea, quæ ſine lectis diſcubitoriis fiebat, & recto ordine convivæ in hac aſſidebant: de quà *D. Co. Silveſtri in not. ad Juvenal.*

Nunquam nudi accubuere veteres ad convivia, ſed veſtes cœnatorias induebant. *Spondanus.*

Preces agebant in Cœna, & menſam Diis commendabant, *Quintilian. in declamat.*

Sacras faciebant menſas veteres appoſito ſale, & ſimulacrò alicujus Dei. *Arnobius lib.* 2.

Antiqui accubituri pedes etiam lavabant, ne pulveroſis pedibus ſtrata inquinarent *Kipping. in antiquit. rom. lib.* 4. *cap.* 3.

Bibebant poculis aureis, cryſtallinis, & murrhinis; ità *Capitolin. in Anton.*

Vina recondebantur in multos annos cadis fictilibus probè concluſa, & repoſita; *Kipping. lib.* 4.

Adipalæ erant Cœnæ multis ferculis graves, *Nonius* has vocat Dapales, quaſi amplis dapibus plenæ. *Antonin. in antiq. triclin.*

Nobilior lectus in Triclinio erat, qui in medio ſtabat, & hic digniori Convivæ dabatur. *Idem l. c.*

In conviviis tibiæ perſonabant, & ad earum ſonitum convi-

væ canebant carmina de clarorum virorum laudibus. *Valer. Maxim.*, *&* *Cicero.*

Antequam ad convivia pergerent lavabantur, ſed antè lotionem, oculi à Medico inſpiciebantur, indè barbam radebant. *Dion.*, *&* *Plinius.*

Solebant Ægyptii, monente *Herodoto*, in divitum conviviis, ubi multi aderant ad finem menſæ vocare ſervum, qui circumferrebat in loculo cadaveris humani figuram concinnè accommodatam, ac bellè depictam, longitudinis cubiti unius, & ſervus circumferrens talia verba dabat.

Tu qui potas, & comedis ità poſt mortem eris. quem morem aliqui Romanorum ſequuti ſunt, ut apud *Petronium in Cœn. Trimal.* habetur; inſpiciens enim cadaveris figuram à Servo latam exclamavit Trimalcio

Heu! Heu! nos miſeros, quam totus homuncio nil eſt;
Sic erimus cuncti poſtquam nos auferet Orcus.

de hoc more, meminere, *Plutarchus*, *Seneca*, aliique

Convivium magnum fecit Abraham die, quo ablactatus eſt Iſaac filius ejus. *S. Joh. Chryſoſtom. tom.* 1.

Mulſum apud veteres Romanos in deliciis habebatur, & militibus in pompa triumphali dabatur pro conviviis. *Jo. Nicolai de roman. triumph.*

Poſt ludos funebres cœna feralis fiebat. *Livius lib.* 39. de qua Ferali cœna vid. *Lanzon. de balſamat. cad.*

Nudatis pedibus cœnabant antiqui, unde *Martialis.*

Depoſui ſoleas, adfertur protinus ingens
Inter lactucas &c.

& *Terentius. Accurrunt Servi, ſoleas detrahunt &c.*

Bellaria, vel menſarum ſecundarum acceſſio erant poma, pira, nuces, ficus, caſtaneæ, uvæ, & ſimilia hortorum proventa. *Kipping. antiq. rom. lib.* 4.

Cœna adventitia, & viatica dicebatur ea, quæ dabatur conſanguineo, aut amico poſt longum iter ad patriam redeunti. *Anthoninus in Triclin.*

Pythagorici fabam non comedebant, ſive quod habeat inflationem magnam hic cibus, tranquillitati mentis vera quærentis

tis contrariam, ſive ut apud *Lucianum* Pythagoras ipſe fatetur, quod Athenienſes fabis pro ſuffragiis uterentur. *Steph.Nigr.in Phyt.*

Antiphanes Medicus Delius, hanc unam dixit eſſe morborum cauſam, ciborum varietatem in Conviviis. *Clemens Alexandrin. lib. 2. pædag.*

Triumphantibus pro instituto majorum convivium dapſile, atque magnificentiſſimum parabatur in Capitolio. *Pet. Crinit. de hon. diſcipl. lib. 24. cap. 5.*

Minium unguentis fuiſſe additum, quo, & corpora triumphantium, & ipſius Jovis ſimulacri facies diebus feſtis illini fuit ſolita, antè epulas triumphales: ità *Joh. Nicolai lib. de triumph. roman. cap. 23.*

Abituri ad ſomnum conciliandum poſcebant ultimum poculum Mercurio conſecratum, qui ſomni præſes erat; ità ex *Pontano*, *Kippingio Heienſio*, *&* *noſtro Lil. Gregor. Gyraldo.*

Triclinii locus erat immunis, nec ibi Servus caſtigabatur. *Antoninius in Triclin.*

Derbicos populos, & Leſtrigones humana carne veſci ſolitos fuiſſe ait *Picinelus in lum. reflex. part.* 4. unde *Ovidius* cecinit.

Heu quantum ſcelus eſt in viſcera, viſcera condi
Congeſtoque avidum pingueſcere corpore corpus.

Cellæ glaciariæ, & nivaria ad uſum conviviorum temporibus Neronis inventa fuere. *Ant. Mar. Salvin. in lect. Acad. Furfur.*

In ſacris litteris per cœnacula homines ſublimi, & excelſa mente prædititi ſignificari poſſunt; ità *Niceta in comment. orat. S. Gregor. Nazianz.* 44.

Imperatoriæ cœnæ nemini licebat accumbere niſi togato. *Ex Spartiano*, *&* *Ferrario.*

Syntheſis communis fuit convivantium veſtis. *Ferrarius de re veſtiar. lib.* 1. per alios autem Syntheſis eſt tota veſtis in veſtiario poſita; vulgò, *Guardarobba. Laurent. in Amalth. Onom.*

Mulieribus Romæ vetitum fuit vinum potare. *Plinius & Valerius Maximus.*

Sympoſiarca erat Rex Convivij, eique conveniebat dominari ſuper cibum, & potum, atque ludos, & ſermones in convivio. *Antonin. de Triclin.*

In fine Convivii, buccina perſonabat, unde *C. Tacitus* ait *convivium buccina dimitti.*

Primus Dedalus menſam, & Sellam fecit; & coquinæ apparatum Apicius primus compoſuit. *Iſidorus.*

Pocula apponi ſolita erant in menſa, non autem à miniſtris porrigi. *Caſal. de ritib. rom.*

Miniſtri triclinares ad pedes convivarum ſtabant. *Seneca de benef. lib.* 3.

Abeuntibus Convivis à Domino convivii dabantur Apophoreta, *Sueton. in Caligula*; Apophoreta verò erant munera ſaturnalia.

In atrio cœnabant veteres apertis januis. *Pancirol.*

Vinum mellitum, hoc eſt, dulciſſimum, melle erat temperatum. *Salmut. in not; ad Pancirol.*

Aquam calidam, & frigidam in menſæ initio apponere mos erat. *Idem. loc. cit.*

Lex convivalis erat, ſcommatis aſperis, ac mordacibus in Epulis omninò abſtinendum eſſe. *Macrobius.*

Solebant veteres in convivium medium larvas, ſive perſonas projicere, quæ diverſas figuras exprimerent: *Henric. Salmut. not. ad Pancirol.*

Agape ſacra convivia erant, quæ fiebant in primitiva Eccleſia. *Macri in Hierolex.*

Comeſſationes erant convivia nocturna poſt Cœnam. *Joſ. Laurent. Amal. onomas.*

Accumbebant in Tricliniis Uxores in maritorum gremiis. *Dempſter. ad Roſinum.*

Lacedæmonii immolabant capras, & convivii carnes harum dividebant addito pane. *Meurſius Miſcell.*

Apparabant veteres menſas duas, unam ex carnibus, & fructibus alteram. *Pancirol. rer. memor.*

Cranium, ſive caput hominis mortui, vel in menſam aliquando apponebant veteres, & manibus verſabant, vel è Triclinio ſuſpendebant, ut eo uterentur Convivæ mutuo ſe cohortantes *Vivendum eſſe*, nam vita cedit, & mors imminet. *Salmut, ad Pancir.*

Parvam Cœnationem ob exiguitatem *micam* appellavit *Martialis.*

Servus

Servus ad Cyathum Pocillator dicebatur. *Pignorius de Ser.*

In conviviis Antiquorum conſuevere bibentes VIVAS alta voce dicere: inde in ſalutem Regis poculum haurire. *Jo. Jacob. Claudius de ſalutation.*

Vinum honorarium diſtribuebatur pro convivis, initio Januarii, ut recordarentur veteres Jani vitium Satoris. *Lipenius de ſtren. cap. 3.*

Comeſſatione ſoli pueri manè utebantur apud antiquos. *Mercurial. Var. lect.*

Libationes inventæ ſunt à Libero Patre. *Lanzon. in Adverſar. lib. 4. cap. 8.*

Structor, ſeu obſonii magiſter deartuabat appoſitas Dapes, eaſque diſpertiens, portionem cuique offerebat ſuam. *Comenius Janu. erudition.*

Prandebant veteres meridie, tribus indè horis merendam capiebant, veſperi cœnabant, Lectum ingreſſuri comeſſabantur. *Kipping. Antiq. rom. lib. 4. cap. 3.*

Menſæ erant rotundæ, ideoque *Orbes* vocabant Poetæ, non verò erant perfectè rotundæ, ſed ovatæ. *Idem: l. c.*

Semel de die comedere emaciat, ſiccat, alvum reddit duriorem: Prandere verò, & cœnare moderatiùs utrinque, non ſic. *Frid. Forner. de temul.*

Cœnarum tria genera apud veteres romanos erant; Primum à parſimonia, ut Philoſophica, Platonica, Ruſtica, Laconica, Cynica pro nimis tenui, ac penè ſordida, & terreſtri, id eſt, ſinè ſanguine ex oleribus tantùm; Secundum genus Cœna dapſilis erat, pollucibilis, recta, dubia, uncta, Epularis, Regalis, quæ à Divitibus dabatur; Tertium genus erat Cœna Cerealis, Saliaris, Auguralis, Capitolina, Perſica, Sybaritica &c. quæ à delicatiſſimis Apiciis uſurpatæ ſunt. *Frider. Hildebrand. comp. antiq. rom.*

Carnis eſum eſſe labori impenſum, debitum agriculturæ, & laborantium privilegium, notat *Celada in Eſther. com.*

Cœna pura illa dicebatur, in qua pro cibo panis apponebatur, ſal pro obſonio, pro condimento hyſſopus. *Baron. annal. tom. 1.*

Gentilium mos erat ultima die anni, æque ac prima convivia celebrare. *Corn. à Lapide com. in Iſaiam.*

Pedes

Pedes ungebantur in Conviviis. *Pineda in Job. com.*

Triclinium ornabatur trophæis gentilitiis. *Dempſter. ad Ros.*

Sicut vitæ venenum eſt mœſtitia, ità menſæ venenum eſt triſtitia, utriuſque verò theriaca, ſuave, ac clarum vinum eſt. *Marſil. Ficin. epiſt. lib.* 3.

Plutarchus convivia apellat humaniſſima hominum commercia. *Sim. Majol. colloq.* 5. *dier. canicul.*

Magnificentiſſimum omnium fuit Alexandri Magni convivium, ad quod adhibuerat decem millia convivarum ſingulis ab eo patera aurea donatis. *Ben. Pererius Soc. Jeſ. com. in Daniel.*

Aſſo vitulo æſtiva claudebatur Cœna, uti pomis hyberna. *Mart. de Roa S. I. de die natal. cap.* 14.

Corinthii ſtatis quibuſdam diebus feſtis publicè convivabantur, ſiquidem opulenti fercula adferrebant, inopeſque ad convivium iſthuc accerſebant. *Theophilact. in epiſt. ad roman.*

Cibus ſine ſale, proverbium eſt à conviviis deſumptum, & dici ſolet cum quippiam fit, aut dicitur, quod careat gratia, velut inops, inane, jejunum, ac neutiquam exactum. *Polid. Virgil. in adag.*

Convivium eſt conventus hominum, qui ab Amico invitati ad eaſdem epulas, conſervandæ mutuæ benevolentiæ, atque amoris cauſa accumbunt. *Varro & Fornerius de Temulent.*

Clytomachus in conviviis, ſi de rebus venereis ſermo incidiſſet, continuò ſurgens diſcedebat. *Ælian. Var. hiſtor. lib.* 3. *cap.* 30.

Lycurgus, teſte Juſtino pueros, impuberes non in forum, ſed in agrum deduci præcepit, eoſque laboribus antè comeſtionem fatigari egregiè juſſit. *Frider. Fornerius lib.* 4. *de temulentia.*

Fuit aliquibus mos tot cyathos bibere, quot fuiſſent litteræ in amici, vel amicæ nomine, item quot digiti eſſent in manu; *Joſ. Lanzon. in epit. Ant. Bulifon. tom.* 4.

Apud Romanos aliquandò mos fuit tot cyathos bibere, quot alicui annos precabantur. *Urſin. ad Ciaccon. in appendice.*

Calix dicitur à Caldo, quod in eo calida potio apponebatur, & caldum in eo bibebant. *Varro de ling.* 4.

Caſtrare vina, erat frangere eorum vires ſacco, ut hodie dicitur vulgò *far il vino à Sacco. Petr. Ciaccon. de Triclin. pag.* 68.

Tibia

Tibia in convivio locum habuit, in principio, medio, & fine. *Caſp. Bartholin. de Tibiis.*

Coqui ad tibiæ ſonitum epulas apparabant. *Stuckius in Antiq. convival. lib.* 3.

Lecti triclinares habebant fulcra ad quæ ſedentes veſcebantur liberi. *Jo. Alſtorphius de lectis.*

In Funeralibus Cœnis certa quædam cibaria erant in uſu, ut vinum, panis, ficus, Caro ſuilla, Caſeus, Piſces, apium, Faba &c. *Lanzon. de balſam.*

Sponſa domum viri ingreſſa totam diem nuptiarum in conviviis, ſacrificiis, & ſaltationibus tranſigebat. *Ant. Hottoman. de rit. nupt. ad Briſſon.*

Nobiliores lautioribus epulis excepti, capacioribus poculis, altioribus lectis, ſtragulis pretioſioribus, cœnabant, & vinis conditis utebantur. *Laurent. in Polymath. lib.* 3.

Cœnæ tempus Athenis erat ubi jam veſperaverat: *Gellius*. Romæ verò antequam adveſperaſceret non æſtate tantùm ſed hyeme. *Vitruvius lib.* 6.

Major cura apud veteres in piſcibus, & avibus, quam in quadrupedibus convivandi cauſa, erat: *Marſ. Cagnat.*

Panis penès græcos primò ex hordeo fuit, inde ex tritico; Latini autem ex farre primum panem fecere, tùm reliqua frumenti genera invecta fuiſſe ait. *Laurentius in lib.* 3. *Polymath.*

Vina ab Antiquis condiebantur, reſina, pice, & ut ſervarentur diutius, & ſalutis gratia; ità *Columella, & Plinius.*

In conviviis poſt Cœnam lyra circumferre ſolita erat. *Laurent. in Polymath. lib.* 3.

Tribus de cauſis Veteres veſcebantur publicè; Prima erat in funere Principis, aut viri inſignis, Secunda, cum publicè ſacrificabant; Tertia cum ob publicam lætitiam populo epulum dabatur *Marcel. Donatus.*

Vinum fumo inveteratum inſaluberrimum eſſe ait. *Plinius in hiſtor.*

In cœnis, Convivatori tabella tradebatur in qua nomina ferculorum deſcripta erant: *Athenæus.*

Structor pro Cellario ponitur, qui inſtruendæ menſæ & cibo-

rum curam habet; ſic dicitur à ſtruendo, id eſt ordinando, & componendo: de hoc *Octav. Magnanin. Conv. part.* 1. *cap.* 11.

Pocula Chryſendeta erant aureis cruſtis, ſivè emblematis incruſtata; *Ful? Urſinus ad Ciaccon.*

Erant pocula aurea, Cryſtallina, & Murrhina, quibus in conviviis utebantur; *Jul. Capitolinus.*

Ferunt vitrea pocula primo excogitata fuiſſe ſub Tiberio Principe. *Plinius lib.* 36. *hiſtor.*

Struthia mala, cydonia ſunt. *Columella lib.* 5.

Poetis conceſſum eſſe ab Horatio bibere novem Vini cyathos ait *Octav. Magnanin. conv. par.* 2. ſequentia carmina afferens

Qui muſas amat impares
Ternos ter cyathos attonitus petet
Vates. . . . .

Inter cœnandum Tragediæ, & Comœdiæ ſæpe agebantur. *Petr. Ciaccon. de Triclin.*

Aliquando ſportula uſurpabatur prò ipſo cibo. *Ful. Urſin. append. ad Ciaccon.*

Judæi niſi loti cibum non ſumebant. *Ciaccon. l. c.*

Convivium laudatur, dummodò detractionibus, & fabulis, & plauſibus turpibus non miſceatur. ità *Beyerlinck. in Theat. Vit. hum. lit. C.*

Legionibus victricibus antè fores convivium parabatur. *Alex. ab Alex. lib. 6.*

Ancus Martius Rex ſalinas primus inſtituit. *Plinius.*

Lacedæmonii coquos nullos alios, quam carnium admittebant, & reliquos tanquam luxuriæ miniſtros è civitate pellebant. *Ælian. Var. hiſtor.*

Erant in conviviis Pocillatores, ſeu Pincernæ, qui vinum miſcebant. *Caſal. de roman. rit. cap.* 25.

In Epulis veteres à parvis calicibus inchoabant, & in capaciores deſinebant. *Mercurial. var. lection.*

F I N I S.

HIE-

HIERONYMI BARUFFALDI SCHEDIASMA DE ARMIS CONVIVALIBUS,

AD DOMINUM

CAJETANUM DE RUBEIS ROMANUM

In Civitate, & Ducatu Ferrarienſi in Criminalibus Cauſis Auditorem

Amicum ſuum.

CAJETANO DE RUBEIS

ROMANO

Amico ſuo

HIERONYMUS BARUFFALDUS

S. P. D.

CUm primùm ab Urbe, Ferrariam, [Vir eruditiſſime] Auditoris Generalis in Criminalibus hujus Ducatus, & Legationis cauſis, Provinciam ſuſceſpturus appuliſti, tam vehemens tuæ virtutis apud omnes reputatio orta eſt, ut tuæ comitatis invitamento, morumque ſuavitate (prout fama vulgaverat) miro quodàm modo allectus; jucundiſſimo tui conſortio perfrui non deſperaverim. Quod cùm tibi innoteſceret, nedum expectatiſſima tua nos præſentia recreavit, verum (quæ hominis comitas fuit) dum Te in Muſæo

ſæo noſtro peramanter exciperemus; miram ingenii largitatem, atque ſolertiam, qua fermè in omnibus humanioribus literis, præſertim in eruditiſſimo antiquarum rerum ſtudio maxime polles, experti atque admirati fuimus. Quamobrem arctiſſima inita inter nos conſuetudine aſſiduis exercebamur quæſtionibus, ſeu nos tua omnibus bonarum artium cultoribus patens domus exciperet, ſeu pomeridiana ad animi laxamentum jungeret ambulatio, ſeu convivia reficerent. Inter quæ cùm in ſympoſiacis Tibi ratio quædam dubitandi orta fuerit, Anne apud antiquos creber Cochlearium, Fuſcinarum, Cultrorumque dum epularentur ad elegantiorem concinnatioremque corporis cultum urbanitatemque foret uſus, ſeu potius idem poſtremis hiſce temporibus inoleverit; ea quæ circa quæſtionem hanc ultro citroque habita fuere inter nos, quin quidquam pro certo ſtatueretur mente revolvens, Schediaſma hoc in medium ponere, tibique cum quo quæſtio orta fuit inſcribere publicique juris facere non detrectavi. Quæ quantulacunque ea ſint, quemadmodum tibi libens offero, ſic te quoque per amanter, libentiſſimeque accepturum confido. Interim Vale, etſi me amas Ama

Ferrariæ ex noſtro Muſæo
Kal. Jan. 1715.

SCiſcitatus nuper a Te (CAIETANE Amice ornatiſſime) quibuſnam armis inſtruerentur antiquorum Menſæ, ſeù quibuſnam inſtrumentis ſumerentur Cibi in menſa appoſiti, atque an in uſu eſſet ſupellectilis illa, nempè Cochleare; Fuſcinula, & Culter, quibus eſculenta, & potulenta, partim dividere, partim ſumere ſolemus; hoc tibi ex tempore Reſponſum, ſeu, ut aiunt Græci, Schediaſma, facere ſtatui, quo ea, quæ apud veteres Auctores, quos omnes tu bene calles, & præcipuè convivales, adinveni, adjectis nonnullis, quæ opinari potui, tibi exercitationis gratia patefacerem. Atque ut rem prius ab ipſa nominum origine exordiar, tria illa menſæ inſtrumenta definire ſum ratus, ac proindè circa illa animadverſiones nonnullas ſubdere.

Cochleare, ſive Cochlearium, utcumque apud ſcriptores inveniatur, non tantùm menſura eſt, ſed inſtrumentum illud, Coquis, Culiniſque familiare, quo ſorbiles eſcas haurimus, ac liquamina ſumimus: unde apud nonnullos *Sumptorium* appellatur quaſi a ſumendo, ut Hodoard. lib. 3. Hiſt. Rhem. cap. 4. Apud alios *Applare* noncupatur, pro quo Scaliger. in Sueton. Per nonnullos *Aſſula lignea*, per alios tandem *Conchylium.* Plurimùm ad inquirendam Cochlearis originem M. Martinius inſudavit in ſuo etymologico, illam ex Græcis Hebræis, Hiſpanis, Germanis, Gallis, quid plura? Anglis quoque vocibus inquirens, plurima longè a vera etymologia adducens in tanta rerum congerie. Unicum, inter tot, locum *Martialis* ſilet, qui eum a tanta rerum indagine abſolviſſet, eſtque *Lib.* 14. *Ep.* 121.

Sum Cochleis habilis, ſed nec minus utilis Ovis:
Numquid ſcis potius cur Cochleare vocer?

Super quo ſaniorem interpretationem addit Farnabius, cui omninò adſtipulor, conſentanea enim eſt veritati. Inquit enim, Cochleare dici a Cochlearum teſtis primùm ad hunc uſum adhibitis. Enim verò priuſquàm ex auro, & argento, ſeu alio metallo conficerentur inſtrumenta iſta, ex ſolis Cochlearum teſtis præſtabantur, quarum non nulla apud me ſervantur ex rarioribus Cochleis, nempe ex Nautillo, ex Olearia, ex concha Venerea, ex Margaritifera, ac hujuſmodi. Cochlearia igitur

tur a Cochleis, quibus primùm conficiebantur dicta nemo eſt, qui ambigat: Hominum deindè ſuperbia ad hunc uſum Aurum, & Argentum ac alia metalla invexit, relictis cochleis, ligneis, oſſeis, ac vilioris materiæ inſtrumentis in ruſtica, & paupercula menſa præſtandis. Unicum Argenteum extitiſſe ſuperioribus annis (veteris operis) apud Angelum Colotium Epiſcopum Nucerinum, teſtatur Fulvius Urſinus in Appendice ad Ciacconium de Triclinio.

Sequitur Fuſcinula Inſtrumentum aliud, quo eſculenta unicè ſolidiora ſumimus. A Fuſcina derivationem ſuam credimus, quæ eſt Telum triſulcum piſcatorium, quod fundo natantia capiat. Martinius Fuſcinam appellandam eſſe putat, & eſſe propriè Coquorum ad carnes trahendas de Olla, a fuſco colore, quem a fumo concipit nuncupatam, deinde ad res ſimiles tranſlatam: eſt & tridens, & bidens, quo aptior judicatur: ferrea, & majuſcula ut plurimùm apud Coquos: in menſis verò nobilioribus ad gradus quoque nobilioris metalli aſſumitur: nihilque inſuper de hac, quoad nominis originem.

Modò de Cultro ſermo ſit, quod eſt inſtrumentum, quo ſcinditur, lippis atque tonſoribus notum. Videntur Græci Cultrorum Menſalium omninò ignoraſſe uſum, nam monente eodem Martinio, in univerſa illorum lingua nullum vocabulum eſt, quod propriè hujuſmodi cultros denotet. Scriptor verò Antiquitatum Convivalium, locum afferens Clementis Alexandrini *lib.* 2. *c.* 3. Pedag. Inſtrumenta ad hujuſmodi diviſionem idonea commemorat ſic: *Culter, ſive Gladiolus, qui in menſa ponitur ſi clavos non habuerit argenteos, vel non fuerit factus ex ebore capulus, non ſcindit. An ad carnes dividendas Indicum ferrum nobis fabricandum?* Hæc de nimia pretioſitate in hujuſmodi inſtrumentis declamat magnus ille Pater: ubi notandum, capulos Cultrorum variè fabrefactos, laminas verò vel æneas vel ferreas fuiſſe, ut coti reſiſterent.

Ex iſtis etymologicorum tricis evaſus, pro quibus inter grammaticos magnum diſſidium, menſas Veterum perluſtremus, atque an iſtis armis inſtruerentur perpendamus. Hæc Inſtrumenta Armorum nomine nuncupare placuit, ex quo per eun-

eundem Antiquitatum Convivalium Scriptorem *lib.* 2. vox Arma à latinis ſimiliter uſurpatur, & pro bellicis, & pro quarumvis artium inſtrumentis: undè Arma Cerealia, & Ruſtica, & Nautica Virgilio, Coquinaria Plauto, Tonſoria Martiali dicta, & per Xenophontem ſuppellex, Arma, Utenſilia appellantur. Hinc ſupellecticarii Servi ab iiſdem eleganter dicuntur, qui ſupellectilem cibariam curant. Pro cujus explicatione animadvertendum eſt, ad Antiquorum menſas obſonii ſcindendi Magiſtrum adfuiſſe, (quem Petronius Sciſſorem, & Carpum, Juvenalis Carptorem, Apuleius Diribitorem vocat) qui manum doctam per edulia circumferebat, atque ad *ſymphoniam* diſcerpebat. Igitur pro diſcerptione Ciborum apud Convivas nulla aderat neceſſitas Cultri, cùm ad menſuram, ut ita dicam, oris buccæ, ſeu fruſtula per Sciſſorem pararentur, & cuicumque datum eſſet cibum ſumere ad libitum gulæ. De Pane tantum, qui inter obſonia locum non habet, quæſtio oriri poſſet, ſed Panem frangi manibus, non cultro ſcindi ſatis ex Scriptoribus liquet, & præcipuè ex Auctore Antiquitatum convivalium, qui *lib.* 2. ait, Veteres non Panes elevatos, ut nos, habuiſſe, ità ut ad ſcindendum cultro opus eſſet, ſed latos pinſiſſe atque ſubtiles ad inſtar Placentæ, undè manibus frangebant, atque inde frangere Panes in ſacris litteris ſœpè dicitur.

Ità eliminato ex Conviviis Cultro, inquirendum ſupereſt an locum in menſa haberet Fuſcinula illa cuſpidata, & bidens, ſeu tridens, qua cibi ſolidiores infiguntur: & cum hoc Vocabulum ad uſum Conviviorum ſatis recens ſit apud latinos ſcriptores, de inſtrumenti quoque ſatis nova inventione non leviter ſuſpicandum eſt. Certè inter Rei antiquariæ ſuppellectilem nuſquam hæc fuſcinulla apparuit, quo nil facilius eſſet ex tot ruderibus eruere, cùm res ſanè minutiſſimæ, & pauxillæ, fragilioreſque quotidie in dies Romæ præſertim effodiantur. Igitur à menſis antiquorum ableganda fuſcinula? neutiquam. Per æquipollens modo id, quod olim Ligula apud veteres in uſu erat, percitur. Tridenti, ſeu Bidenti illo penitus Veteres carebant, cujus officium per Ligulam implebatur.

tur. Verùm de Ligula nihil dicendum priuſquam, de Cochleari ſermo habeatur, cùm unum & idem eſſent apud veteres Ligula, & Cochleare, & utrique officio inſervirent, nempè pro liquaminibus, & cibis ſolidioribus ſumendis. Locum *Martialis* ſupra enunciatum mirificè explicat ad rem noſtram Martinus Liſter in notis ad Apicium Cœlium *l.* 7. *c.* 16.

Sum Cochleis habilis, ſed non minus utilis ovis
Numquid ſcis potius cur Cochleare vocer?

Scito (inquit clariſſimus Adnotator) caput iſtius Inſtrumenti menſarum, fuiſſe tenui admodum mucrone productum, ut ſic eo Cochleæ coctæ commodè è teſtis ſuis eximerentur: Ad cujus loci ulteriorem explicationem advertendum eſt, Poetam in antecedenti epigrammate de Ligula argentea ſermonem feciſſe ſic.

Quamvis me Ligulam dicant equiteſque, Patreſque,
Dicor ab indoctis Lingula grammaticis

poſtmodumque ſequitur

Sum Cochleis habilis, ſed non minus utilis ovis
Numquid ſcis potius cur Cochleare vocer?

eundem ſenſum continuò protrahens, ut ſit cui congruat vox illa *habilis*, & *utilis*, quibus non convenit *cochleare*. Propterea unum, & idem inſtrumentum fuiſſe Ligulam, & Cochleare cenſendum eſt, ab uno capite cuſpidatum, & hoc loco Fuſcinulæ utebantur ad eximenda fruſta eduliorum, ab alio latum, & concavum ad ſumenda liquamina. Enim verò pro Spatula, ſeu Gladiolo in ſpeciem linguæ, & pro Cochleari per quoſcumque interpretes Ligula illa explicatur, de qua etiam idem Martialis aliis in locis fidem facit.

Itaquè unico hoc Inſtrumento parabantur Menſæ loco Fuſcinulæ & Cochlearis; ſed non ſemper illo opus erat, cum præterea Cibi carperentur digitis: Latere acuto Ligulæ, ſeu Cochlearis utebantur tantum in ſubſidium digitorum, ubi opus eſſet eximere aliquid, e teſta vel cortice: puta Cochleas, eodem modo, quo acu utuntur Veneti: Latere verò expanſo, & concavo ad ſumenda liquamina, & Ova tenella: incongruum enim, ac inelegans fuiſſet pitiſſare, & ſorbillare in patellis. Hujus inſuper inſtrumenti, nempè Ligulæ teſtimonium nobis præbent Romana marmora, quorum iconologiam

 ex-

exponunt nobis eruditiſſimi Viri Ciacconius, Urſinus, Mercurialis, Lipſius, aliique Excellentiſſimi Scriptores rerum Convivalium.

Uſus tandem in diſcumbendo erat capiendi cibum digitis, nullo adhibito inſtrumenti ſubſidio, præterquàm quòd ubi opus erat. A natura enim ipſa ſatis munimur quinque digitis per ſingulas manus. Cujus moris teſtimonium ex *Homero* habemus *Odyſſ. l.* 14. ubi de Procis ait.

Hi autem in cibos paratos præjacientes manus extendebant.

Verùm & hìc dubitari poteſt, an manus inermes eſſent, vel fuſcinula, ſeu cochleari munita, cùm ſæpe apud Scriptores per tropum, & figuram modus hìc loquendi communis ſit: Clarius igitur *Ovidius in Art. Am. l.* 3. ubi Amatorem bonis, urbaniſque moribus informans ad menſam Amaſiæ, ne Cacotropia laboret, inquit.

Carpe cibum digitis: eſt quiddam geſtus edendi:
Ora nec immunda tota perunge manu.

Ubi notandum cenſeo illud *carpe* quod diligenti, & eleganti modo ſumere ſummis digitis adſignificat: aliquid enim majoris roboris, & efficaciæ ad Amorem alliciendum habet geſtus urbanus, & elegans in edendo ad amatoriam menſam; quæ elegantia, & Urbanitas mirificè explicatur diligenter carpendo, ac, ut dictum eſt, ſummis digitis tantùm, ne tota manus, & facies perungantur.

Ex his omnibus (Clariſſime Vir) tibi ſatis opinionem meam de Armis Convivalibus explicatam reor: quæ omnia ut intelligas tantum poſtulo de nobilioribus, ac civilioribus Conviviis, & menſis, non verò de ruſticis, & plebeiis, in quibus omnia in unum miſcebantur præſtabanturque ac intemperanter, & incomptè ingurgitabantur, nec comiter digitis, ſed plena manu rapiebantur, ſorbebanturque, nulloque inſtrumento opus erat, ſed per os, & manus quæcumque ad gulæ ſatietatem operabantur. Si qua ſuperſunt, tu è penu promere ut non renuas, exoro. Vale.

FINIS.

A D-

ADVERSARIA,

DE

LUCTU MORTUALI VETERUM.

Ad Illuſtriſſ., & Eruditiſſ. Virum Dominum

LAURENTIUM

PATAROLUM

VENETUM.

DE LUCTU MORTUALI

QUANDOQUIDEM, referente Seneca, in Funere lachrymas naturalis neceſſitas exprimit, & ſpiritus ictu doloris impulſus, quemadmodùm totum quatit corpus, ità oculos, quibus adjacentem humorem perpremit, & expellit, ſic lachrymæ, ait *D. Baſilius*, naturalem carnis infirmitatem oſtendunt, quæ homini contingunt, quando incurva, ſunt verba citati Patris, cerebri vaporationibus ex triſtitia ſumptis, referta per oculorum exitus, veluti per fiſtulas quaſdam humidi gravedinem, ac copiam præparat, undè, & ſonitus quidam & revolutiones, & vertigines in auditione rerum triſtium inexpectata, atque improviſa funduntur; ita ut deflens juſtè poſſit cum D. *Gregorio Nazianzeno* exclamare

Heû lachrymis madeo, pectuſque dolore tumeſcit.

Dura ſed naturalis fletus neceſſitas, quæ naſcentes homines excipit, morientes circumdat, & uſque ad intima Sepulchri penetralia denatum inſequitur, undè ſuavis *Marini* Muſa cecinit

„ *Umano ufficio è veramente il pianto,*
„ *E più proprio dell' huom forſe, che' l riſo,*
„ *Poiche à pena veſtito il fragil manto,*
„ *In aprir gli occhi al Sol, ne bagna il viſo.*

Immò lachrymas, quæ, *S. Cypriano* teſte, ſunt legati doloris, dolores ipſos minuere, ac humanas ærumnas levare docuerunt Poetæ, ſic *Ovidius Triſt. lib.* 4.

eſt quædam flere voluptas
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

Seneca in Troade

Fletus ærumnas levat.

Et *Euripides*

Eſt etiam in malis aliquid voluptatis,
Hominibus nempè luctus, & lachrymæ,
Hæc enim levant animi dolores, &c.

Undè *B. Petrus Damianus de Perf. Monac.*, de lachrymis ſcribendo, exclamavit: *hæc ſunt, quæ de merore pariunt gaudium*, plura apud noſtrum *Doctiſs. à Fabra de Anim. Affect.*

Quamobrem liceat mihi, horis ſucciſivis, animi relaxandi gratia, de luctu, & præſertim funereo, nonnulla excerpta à Græcis, & Latinis Scriptorum Monumentis, ex meis Adverſariis colligere, ut conſtet non tantùm inter pios, ac miſericordes Chriſti fideles tàm antiquos, quàm recentes, verùm etiam inter Gentiles, & Barbaros luctum funeralem ſemper in uſum fuiſſe; Et quidem commendandus hic uſus, ſic enim in Epiſt. ad Pammachium *D. Paulinus* ait *bonæ lachrymæ pietatis, quas Joſeph juſtus impendit patri &c.*, ſic habemus in ſcriptis ſacris per obitum Aaronis fleviſſe Hebræos, mortua Sara Abrahamum, Davidem pro morte Jonathæ, Omnes Judæos ob necem Joſiæ, undè in Eccleſiaſtico habemus: *Fili in mortuum produc lachrymas, & ſuper mortuum plora*; Ità Chriſtus Dominus ſuper Lazaro mortuo lachrymavit, & in primis Religionis noſtræ rudimentis Protomartyræ Stephano occiſo, fertur Chriſti fideles magnum planctum feciſſe ſuper eum, & *D. Gregorius Nazianzenus in Epiſt.* ait: *uſus, & conſuetudo hoc obtinuit, ut ob ſanctorum virorum ex hac vita diſ-*

ceſſum

ceſſum mœrore afficiamur ; à ſacris autem Autoritatibus ad profanas tranſeamus, undè Achilles apud *Homerum*, ait

Adſtantes Patrocli lachrymas in funus amici
Fundite, defunctis tales debentur honores.

Romani luxerunt ſuper mortuorum Numam, Junium Brutum primum Conſulem, Valerium Publicolam, Agrippam, Coriolanum, Auguſtum, Liviam, Druſum, & alios, ut teſtantur Dion, Suetonius, Dionyſius Halicarnaſs., & Livius, quare *Ovidius in Metam.* cecinit

Surge da lachrymas, lugubriaque indue, nec me
Indeploratum ſub inania tartara mitte.

Sit igitur ſermo de Luctu Mortuali in præſenti Diſſertatiuncula feſtinanter, & rudi quidem calamo exarata. Luctus ergò generaliter ſumptus juxta Rob. Stephanum, eſt dolor, qui exteriùs proditur vultu ipſo, atque aſpectu. Sæpè autem luctus eſt ipſe habitus, atque veſtis; Cicero autem ait luctum eſſe ægritudinem ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo, de quo præcisè nunc agimus: Ubi igitur Ægrotus in agone verſabatur, atque animam exhalaret, proximi ſanguine, cognationiſque vinculo juncti, & potiſſimùm fœminæ, ut Matres, Sorores, Uxores, filiæ, exhalantis ſpiritum oſculo excipiebant, quod ſummæ charitatis erat documentum, & non tantùm Judæi, & Romani, ſuadente *Kempio de Oſcul. Diſſert.* 20., ſed & alii etiam homines quilibet hunc tenuerunt uſum, ne ſcilicet morientes hoc ſupremo amoris officiò privarentur, ità apud *Euripidem*, Antigone morientem patrem ſic compellat

O amantiſſime, quin os tuum applicabo ori.

Et *Manilius lib.* 5. *aſtronomic.* cecinit

Per noctesque Patres cupiant extrema ſuorum
Oſcula, & in proprias animam transferre medullas.

Hinc *Tibullus Eleg.* 1. *lib.* 1.

Flebis, & arſuro poſitum me Delia, lecto
Triſtibus, & lachrymis oſcula mixta dabis.

Sic etiam eadem natura duce antiquitus Hebræi morientes oſculati in Sacris leguntur paginis; undè in *Geneſ. cap.* 50. Jacobus Patriarcha in oſculis Joſephi vivere deſiit; & Eloquentiſſ. ille

Ju-

Judæus Philo, de Jacobo filium plorante, ſic ait, *ante mortem impreſſiſſem morienti extrema oſcula &c.*, Nec non *D. Jo. Chryſoſtomus* homil. de patient. habet: *os deoſculantur ultimo parentum oſculo.* Poſt oſculum autem, decedentis oculos, & ora claudebant; & iſtius uſus memoriam video in Græcis, & Latinis Scriptoribus, ſic Homerus fingit Agamemnonem quærentem hoc officium ab uxore Clitemneſtra, & *Ovidius* inter alia apud conjugem lamentatus

nec cum clamore ſupremo
Labentes oculos condet amica manus.

Apud Chriſtianos etiam oculi morientibus clauduntur, non tamen ità communiter à propinquis, ſed aliis lecto, & letho adſtantibus.

In communi ergò funere proximiores, ut anteà dixi, morientis cubili aſſidebant, & cùm jam deficere videretur, & denaſci, ut ait Varro de ling. lat., ignemque amitteret, & frigeſceret, quo ultima illius verba attentiores exciperent; nam divino aliquo inſtinctu, inflatuque incitatus morientium animus credebatur ab antiquis, ut ait *Gutherus Cap.* 12., qui urgentibus fatis, integrior haberet futurorum etiam quandam prædictionem; hinc Suetonius in Auguſto, quem in oſculis Liviæ, & in hac voce defeciſſe tradit: *Livia noſtri conjugii memor, vive, ac vale.* Poſt hæc per intervalla conclamabant, & nomine ter vocato, jubebant æternum valere. Sic *Virgilius*

ſalve mi maxime Palla,
Æternumque vale

Et *Lucanus lib.* 2. *Pharſal.*

ſic funere primo
Attonitæ tacuere domus, cum corpora nondum
Conclamata jacent, nec mater crine ſoluto
Exigit ad ſævos famulorum brachia planctus.

Hinc propinquiores, & magis affines calida aqua abluebant cadaver, & pretioſis unguentis ungebant, ut ego innui in meo de Balſamatione Tractatu; inde candido amictu induebant, diebus ſeptem ſervabant ara conſtituta, ubi odores incendebantur. Conclamatos indui à Pollinctoribus, & Libitinariis ait *Laurentius*

tius in Polymath. lib. 3. Veſtes autem erant ex lino, & lana: Romanis hæc veſtis erat Toga, Magiſtratibus Prætexta, Cenſoribus Purpura, Imperatoribus Paludamentum, Græcis verò Pallium; Demum corpus exanimatum coronis, & floribus ornabant, & in veſtibulo ædium ad januam collocabant, ut pedes haberet extentos ad viam, quod & hodie a noſtris fit; mortui autem coronati efferebantur; Dùm hæc igitur peragebantur, undique clamores, ululatus, undique fletus, & luctus,

Et domus interior gemitu miſeroque tumultu
Miſcetur, gemituſque cavæ plangoribus ædes
Fœmineis ululant, ferit aurea ſidera clamor,
Tùm pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Ità *Virgilius*. Duplex igitur luctus reperitur apud Autores, unus ſcilicet particularis, alter publicus; primus à Familia, & amicis Defuncti peragebatur, alter, cùm civitas tota illuſtrem mortuum publico luctu honoraret, celebrabatur; de quibus luctibus ſingillatim aliquid ex antiquis Græcis, ac Romanis Scriptoribus delibandum. Particularis fletus, & triſtitia de mortuis, qui diliguntur eſt quodammodò naturalis, ut inquit *Auguſtinus*; hinc Spartanus quidam filium deflens increpanti reſpondit: *Quid facerem? non enim ego, ſed natura mea mihi luctum excuſſit.* M. Antonius Pius, cùm Marcus Philoſophus mortuum educatorem ſuum fleret revocareturque ab aulicis miniſtris ab oſtentatione pietatis, dixiſſe ſcribitur: *Permitte illi, ut homo ſit, neque enim philoſophia, vel Imperium tollit affectus*; hinc quoque lugere mortuos, magiſtra Natura conſuetudo tenet omnium gentium, præter neſcio quas, quæ ſcribente Quenſtedt, puerperia lugent, natoſque deflent, ac funera contra velut ſacra feſto cantu, luſuque celebrant. Lugentium igitur ſcena, & oſtentatio doloris ea fuit, ut in luctu familia omnis intus clauſa, ſciſſis veſtibus, promiſſa barba, intonſa coma; Matronæ crinibus ſolutis, & antependulis humi proſtratæ jacerent, oppreſſo igne, lucernis extinctis, quoniam, ut ait *Servius* lugentibus inimica lux; inſuper lacerabant genas, percutiebant caput, & pectus,

quibus ſe gratum mortuis facere, putaviſſe antiquos ait *Caſalius de Ritib. Roman. cap.* 26.

Hebræi, itaque, Græci, Perſæ, Lacedæmones, Ægyptii, Romani, aliæque gentes etiam barbaræ ſuprà ſuos mortuos lugebant; hinc *Homerus in Odyſſea* cecinit

Namque hæc ſola manent miſeris ſolatia Mortis
Et tondere comam, & lachrymis reſpergere vultus

non tantùm enim, ut ſupra dixi, lugebant, verùm genas lacerabant, ornamentis depoſitis, & veſtibus mutatis, ad oſtentationem intenſi doloris, ut notat Illuſtriſs., ac Eruditiſs. D. Co. Camil. Silveſtri in ſuis notis ad Juvenal., undè *Servius in* 3. *Æneid.*; *Varro dicit mulieres in luctu ideò ſolitas ora lacerare, ut ſanguine oſtenſo inferis ſatisfaciant.*

Verùm quia iſtæ lamentationes, gemitus &c. in domeſticis, amiciſque utpotè dolore percitis confuſi, & abſque ordine, nec ſine tumultu fiebant, ut notatur in Evangelio Matthæi Cap. 9., ſuper quem locum ità *Cornel. à Lapide*, *amicis, & vicinis luctum, & lachrymas ciebant conducti ob mortem Defuncti*: Opus igitur fuit iſtis lamentationibus ordinem dare, ſicque Præficæ introductæ fuere, Mulieres ſcilicet quædam, quæ pretio conductæ dabant cæteris plangendi modum. Terentius, Varro, & Roſinus aiunt Præficam dici mulierem à luctu, quæ ante domum mortui laudes ejus caneret, undè *Nævius*

Hæc quidem herclè opinor Præfica eſt,
Nàm mortuos collaudat.

Claudius ſcribit, eam, quæ præficeretur ancillis, quemadmodùm lamentarentur, Præficam eſſe dictam; *Sextus Pompejus*, Præficas eſſe illas docuit, ad lamentandum conductas, quæ dant cæteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfectæ, & *Nonius Marcellus*, Præficæ, inquit, dicebantur, quæ adhiberi ſolent funeri mercede conductæ, ut & flerent, & fortia facta laudarent; hinc *Statius*.

Ut Pharios aliæ ficta pietate dolores
Mygdonioſque colunt, & non ſua funera plorant.

Notandum autem Præficas illas præfuiſſe planctui, ſed non dolori, externè enim dolentes apparebant, internè verò læto corde, & ala-

alacri animo mercedem, ac præmium avide expectantes, non diſſimiles viduis aliquibus, quæ ſuper maritos mortuos oculis deflent, corde verò lætantur, ſi enim de corde procederent illæ lachrymæ, non tàm facilè illicò ſolverentur in riſum, ut innuit *in Serm.* 4. *D. Bernardus*; Iſtæ non lugent, ſed veriùs elugent, Lugere enim propriè, eſt lachrymas ab oculis effundere; Elugere autem grammaticè ſumptum, eſt finem lachrymis imponere; Sed ad Præficas redeamus, quæ planctui, ut ſuprà dixi, præerant, non dolori, Lachrymæ enim earum erant venales, & fictæ, quemadmodùm illæ apud *Juvenalem*

Vel ficta pellice plorat
Uberibus ſemper lacrymis, ſemperque paratis
In ſtatione ſua &c.

Putat enim ipſe Satyricus Poeta nullas lachrymas eſſe veras, nullumque dolorem legitimum, niſi qui provenit ab amiſſione Nummorum, undè poſteà cecinit *in Satyr.* 13.

Et majore domus gemitu, majore tumultu
Planguntur nummi, quàm funera, nemo dolorem
Fingit in hoc caſu, veſtem diducere ſummam
Contentus, vexare oculos, humore coacto;
Ploratur lachrymis amiſſa pecunia veris.

Præerant pariter luctui, non funeri, funerum enim tota pompa ad Deſignatores, Polinctores, Veſpillones, & Libitinarios ſpectabat; cùm autem in luctu Præficæ ejularent, id eſt in altum ſublata voce plorarent, tunc *Leſſum* feciſſe exiſtimabatur; Leſſum enim apud *Ciceronem* interpretatur, quod ſit quaſi lugubris ejulatio; Dum verò lugebant ex antiquo more Hebræorum, Græcorum, ac Romanorum, caput pulvere inſpergebant, vel in eo ſedebant, ut monet Mar. de Roa; Sic *Virgilius in Æneid.*

Canitiem multo deformant pulvere. . . . . .

Et *Catullus.*

Canitiem terra, atque infuſo pulvere fœdant.

& apud *Homerum* Achilles audita morte Patrocli caput cinere ſpargit.

T 2 *Tùm*

Tum pronus aduſtum
Corripiens manibus cinerem, nigramque favillam
Inſpergit capiti, & faciem fœdavit honeſtam.

Eadem, quod ad pulverem, & procubitum in terram attinet, Regius Propheta, nunciata morte Abſalonis feciſſe narratur. Nonnunquam Mimos in Funere vocabant, *Alexandro* teſte, qui perſonas effingerent, ac facta, dictaque repreſentarent, qui apio coronati, defuncti laudes carmine recenſebant; ut notavit in Amint. defenſ. Illuſtriſs. *D. Juſt. Fontaninus* omni eruditionum genere inſtructus.

Pretium autem, ſeu merces Præficarum qualis eſſet adhuc certo non liquet, puto tamen, pretium juxtà diverſas mortuorum conditiones diverſum pariter fuiſſe, ſiquidem pauperes modico præficarum luctu utentes, modica mercede ſint uſi; divites verò, quibus magna patrimonia, lachrymas magno pretio impſiſſe dicendum eſt. Rationem poſteà, cur potiùs vocarentur Mulieres ad lugendum, quàm Viri, aſſignat *Cornel. à Lapide ſup. Jerem. Cap. 9.*, per hoc quod Mulieres in fletum, & in omnes pathos faciles ſint, ſicque nudatis pectoribus, ſparſis crinibus, voce modulata omnes ad planctum concitabant; & non tantùm lacrymas pretio conductæ ex arte effundebant Præficæ, verùm Nænias canebant, quæ teſte Clariſs., ac Eruditiſs. Viro *D. Laurentio Patarolo in not. ad vet. panegyr.*, erant lugubria carmina, quæ ad defuncti cadaver canebantur ad tybiam: De quibus legendus eſt *Illuſtriſs. Creſcimbenius Arcad. Cuſtos vol.* 1. *Com. Ital. Poeſis.* Non tantum vero, in funeribus lachrymabant, & cadavera cum luctu, & gemitu comitabantur, verùm etiam, cùm denati corporibus in Sepulchris ipſis lachrymas in quibuſdam vaſis ad hoc munus paratis condebant, quæ hodie, vel caſu, vel determinatè eruta in Muſæis aſſervantur, ut quæ olim fuerant antiquæ ſuperſtitionis inſtrumenta, hodiè ſint curioſitatis ſolatia, & hoc ex antiquis inſcriptionibus ſepulchrorum confirmatur, & præſertim ex his verbis: *unà cum lachrymis poſuit.* Non igitur ſtrophiolis ad tergendas à lachrymis genas utebantur, & non tantùm in Sepulchris lachrymas aſſervabant, ſed ſtatis temporibus ad tumulum flentes redibant,

&

& flores ſuper ſpargebant, atque lachrymis externè monumenta ipſa rigabant, undè *Torquatus Taſſus* magnus ille Muſarum Decus *in Hieroſ. lib.* cecinit *Cant.* 12.

„ *Alfin ſgorgando un lagrimoſo rivo*
„ *In un languido ohimè proruppe, e diſſe.*
„ *O Saſſo amato, & onorato tanto,*
„ *Che dentro hai le mie fiamme, e fuori il pianto.*

Perſarum in luctu mortuorum mos erat capillum detondere; lugubrique veſte conjuges, ac liberos induere, ſi *Bellonio* credamus; Alexandriæ obolis conducebantur, qui mortuos flebant; Brachmanes Indorum Sapientes diem fati occupare erant ſoliti, vivoſque cremari ſe jubebant, immò, & coronati more, ac lege Indorum hymnos, ac laudes Deorum concinebant; mortuorum ejulatio, quæ Romanis olim erat communis, nunc in Græcia, teſte citato *Bellonio*, & in Regionibus, quæ Græcorum Eccleſiæ parent, ſervatur, ut in Bulgaris, Servis, Dalmatis, Epirotis, &c. Tempus autem quo particularis luctus mortualis perdurabat ex *Origene ſuper Job.* erat ſeptem dierum, & ſeptem noctium, at per eruditiſs. noſtrum *Lil. Gregor. Gyraldum* videtur eſſe multiplex; ſcripſit enim *Plutarcus*, Numam Pompilium apud Romanos pro ætatibus, temporibuſque defuncti lugendi modum ſtatuiſſe; Puerum non lugeri trimo minorem, neque etiam natu grandiorem, neque etiam plus menſe qui vixiſſet, uſque ad annos X. Mulieribus quidem viduis menſes decem, hoc eſt per annum lugere maritum fas fuit, tantus enim à Romulo annus inſtitutus fuerat, undè *in Faſtis Ovidius* canit

Per totidem menſes à funere conjugis uxor
Suſtinet in vidua triſtia ſigna domo.

Idem *Plutarchus* à Numa inſtitutum ait, ut quæ ante decem menſes à mariti morte mulier nuberet, prægnantem vaccam immolaret; leguntur & in Codice Juſtiniani adhuc illa verba; ſi aliqua ex Fœminis, perdito marito, intrà anni ſpatium alteri feſtinarit nubere, probro notetur; Scribit *Seneca*: *annum Fœminis ad lugendum majores conſtituiſſe, non ut tandiù lugerent, ſed ne diutiùs; Viris nullum legitimum tempus fuiſſe, quia nullum honeſtum.* Hæc ille; Aliquos tamen in Republica viros excel-

lentes annuo Matronarum luctu ornatos legimus in hiſtoriis, ut Junium Brutum, & Valerium Publicolam; Idem ex uſu noſtris Mulieribus in Mariti funere permittitur: Sed mali adeò mores ætatem noſtram invaſere, ut quæ quintumdecimum diem, vel vigeſimum non expectaverint ad ſecundas nuptias ego ipſe viderim; ſed mores hos longè funere pejores ſatyricis perſtringendos mittamus. At enim ut honeſtum, humanumque putamus mortuos lugere, ità Stoicos quoſdam inhumanos non ſatis probamus, qui maximum flendis jus in diem unum dumtaxat ſtatuunt, idque Poetæ græci teſtimonio, nempè *Apolonii Rhodii in Argonaut.* comprobatum volunt qui Niobem infelicem illam matrem poſt tot filiorum necem, de cibo cogitaſſe inducit, cui, & ego alios poſſem addere Poetas Græcos, & Latinos, qui eam nimio lachrymarum fletu in Saxum diriguiſſe cecinerunt, perpetuis quaſi lachrymarum guttis manans; ſed nos hæc fabuloſa mittamus.

Nunc de annuo luctu verba facere oportet, cum ſit de luctu domeſtico, ac particulari; ſic Uxori ob Maritum annuus erat indictus luctus, ut teſtatur *Nicol. Cragius de Rep. Laced.*, Idemque Romanis in uſu erat, immò Caligula indixit, ne Viduæ intrà annum fletus ad ſpectacula venirent, ità luctu inhibente; Sic Prætoris edicto infamia notatur, teſte *Guthero lib.* 3. quæ intrà legitimum tempus nupſerit, id eſt ante exactos luctus menſes decem; At Viri Uxores mortuas lugere non compellabantur, ut habet cit. *Guther.* Sponſi enim nullus eſt luctus; Ego verò puto ſic debere legi; *Uxores Viri elugere non compelluntur*; nullum ſiquidem legitimum tempus Viris fuerat conſtitutum; Color cærulæus veſtium in funere filiorum familias adhiberi ſolebat, Purpuratos tamen legimus Severi Imperatoris filios Urnam cum patriis reliquiis geſtantes, quos populus univerſus laureatus excepit, teſte *Herodiano lib.* 4., quia fortè infauſti ominis fuiſſet in lugubri veſte Imperium auſpicari; Alba denique veſtis in luctu ab ipſius Severi temporibus fuit obſervata, ut ait *Lipſius ad. Tacit. lib.* 2. *annal.* Luctus porrò apud Lacedæmones XI. dierum erat, de quo plura apud *Cragium.* Luctus autem iſte privatus ceſſabat propter nativitatem filiorum, prop-

propter ſponſalia celebrata, vel ſuadente *Porcachio*, ſi aliquis domeſticus jam captivus in libertatem Domum rediret. Publici luctus memini ſupra; ſic apud Perſas in publico luctu ob mortem Regis juſtitium per dies quinque indicebatur, quo tempore leges ſilebant, notante *Briſſonio lib.* 1. *de Perſ.* Luctus publicus ſtante Republica Romana nullus indictus, ne in publica quidem calamitate; ingentem tamen illum fuiſſe ſcribit *Livius lib.* 9., ſed ſponte ſuſceptum, & ſine publica autoritate; Tunc tabernæ circa forum clauſæ, lati clavi, aurei annuli poſiti; Juſtitium mæſtitiæ ſpeciem præferebat, & luctus; licet tamen privati in luctu veſtimenta mutarent, attamen Senatus nuſquam, unde *Tullius in orat.* ait: *noſtra memoria Senatus ne in ſuis quidem periculis mutare veſtem ſolebat.* Conjecto in carcerem Manlio, conſtat magnam partem plebis veſtem mutaviſſe, & multos capillos, & barbam promiſiſſe; licet autem *Cicero* dixerit in luctu Senatum veſtem non mutaviſſe, attamen ego apud Florum, & Dionem invenio Conſules ſenatoriam veſtem depoſuiſſe; Notandum autem, publico decreto luctum indictum fuiſſe primò in funere Auguſti; Pariter creſcente adulatione Senatus, mortua Livia luctum annuum mulieribus edixit; Quod tandem eò crevit, ut mortuo Druſo juſtitium longius Tiberius inhibuerit; ità *Suetonius*. In publico itaque luctu Senatores equeſtri habitu, Magiſtratus Senatorio, poſitis Prætextis conſidebant; illi ſolito quiſque loco, Conſules inferius, alter in prætoriis, alter in ſubſelliis Tribunorum plebis; plura de hac re *Jacob. Gutherus* videatur in *lib.* 3. *de Jur. maniu.*, & Hendreik de *Cartag. repub.* Luctus autem publicus terminabatur multipliciter; primò quando Tributum ſolvebatur, indè cùm ſacrificiis purgabatur Civitas, quod poſt quinque annos accidebat, ut docet *Porcachius in Funer. antiquor.*, & tunc deſcribebantur omnes Populi, qui in urbe erant; indè ſi votum publicum celebraretur, quod ſæpè accidebat propter vota, quæ à Ducibus militum fiebant, tandemque luctus publicus terminabat propter Cereris Sacrificia, quæ Livio teſte, luctum publicum ob cladem Cannenſem pauco 30. dierum tempore terminare fecerunt;

runt; Fragmentum marmoreum luctus publici viſitur Romæ tale, prout refert *Gutherus in lib. 3. de Jur. man.*

CONSILIS. PUBLICIS. CON......
ANNUM EXPLETURUS.....
MORTEM. EJUS. JUSTITIO. PER. CON.....
OMNES. LUXERUNT. CENSU.....
INSIGNIBUS. DECORATA. CV.....

Tibia tandem inter luctum mortualem locum habuit, teſte *Macrobio*; undè Ovidius cecinit

-Cantabat mœſtis Tibia Funeribus.

& apud *Petronium*, ad Tibicines mitti dicuntur illi, qui deſperata valetudine neci ſunt proximi; Adhibebantur autem Tibiæ in Funeribus, ſi *Bartholino* credamus, ut hominum mortuos lugentium, animi languentes, ejuſmodi ſono excitati, minùs ſentirent dolorem, ità *Sextus Empericus* ait: *lugentibus canunt tibiæ, quæ iis luctum levant:* Aſt ne longiùs in iſtis mortualibus immoremur, hæc uſque adhuc dicta circa Luctum funebrem ſufficiant; eſto igitur.

FINIS.

JOSE-

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS,

Nec non S. R. J. Academiæ Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

ADVERSARIORUM

LIBRI SEX.

Quintus & Sextus nunc primum in lucem prodeunt.

LAUSANNÆ;

Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

LECTIO
VARIA DELECTAT.

L. An. Seneca ad Lucilium Epiſt. 45.

HIERONYMI BARUFFALDI

PH. DOCT. FERRARIENSIS

IN LIBROS ADVERSARIORUM JOSEPHI LANZONI M. D.

PRÆFATIO.

SUPERIORI *proximo anno, cùm Diſſertationi meæ de* PRÆFICIS, *tunc excudendæ, aliquid prò mantiſſa ſuperaddere ſtatuiſſem, illudque nuſquàm promptiùs ſperarem, quàm penès quempiam Bonarum Litterarum Cultorem adinvenire, diù mente ſcrutatus ſum quotquot ex meis clariſſimis Concivibus animum ad amœniora ſtudia quandoque converterent, illudque, quod ipſe quæſieram præſtarent. Et ſanè, licet non pauci adeò hujus indaginis ſectatores hìc feliciter degant (ſemper enim bonarum Artium, optimorumque ſtudiorum ratio Ferrariæ viguit) attamen quamplures adeò religiosè, quin immò ſcrupulosè ſuimet Inſtituti*

nomen cuſtodientes nactus ſum, ut licet de Poeticis, de Oratoriis, deque Hiſtoricis, Philologiciſque Libris intrinſecùs benè ſentiant; nihilominùs populi imperiti contumeliam veriti, vel ſumptu nimio perterriti, tùm ab optimorum Librorum acquiſitione, tùm ab Eruditorum hominum conſortio abſtinent, Literati Viri nomen ſibi dedecori tribuentes, occupationemque peſſimam hujuſmodi ſtudia nuncupantes. Verùm rem propiùs conſpiciens, nonnullos imperterriti Animi, bonæque frugis Viros, ingenio, & rerum uſu præſtantes, mihi jam indè ab adoleſcentia notos adivi, qui inertis Populi inſcitiam deridentes, pretioſiora Scriptorum cujuſcumque generis Volumina coacervare ſunt auſi, illa, nocturna, & diurna manu verſare, & ex illis, ceù Apes è floribus, rariora documenta deliberare, electa verba, graviores ſententias, mores, ritus, atque alia è remotioribus antiquitatis latebris eruere, atque animum non minùs, quàm pagellas erudire, nec ſenectuti ærumnoſæ, & querebundæ id tantùm ſeponere, ſed dùm virens, ac operoſa mens fervet, è penu depromere conati ſunt. Atque hinc in dies, cujuſcumque generis Diſſertationes, Diatribas, Exercitationes, Animadverſioneſquè prælo committere. Quos inter haud ſanè falli queam, ſi Clariſs. noſtrum JOSEPHUM LANZONUM *tot evulgatis Voluminibus celeberrimum enumerare decernam. Cùm enim Bibliothecam rarioribus Libris inſtructam, Amicis (& mihi ſanè, qui prima uſque ab ætate ejus contubernio, maximo ſtudiorum meorum proventu, adſcriptus ſum) uberrimè, & magnanimiter, in dies recludat, ea omnia, quæ ad cujuſcumque ſtudii naturam maximè conveniant haud difficile exhaurire datum eſt. Ità mihi ſanè accidit: cùm enim penè infinita ex optimis ſcriptoribus adnotata in Opiſtographis, ſeù adverſariis ſuis repererim, non diù laborandum duxi, ad unicum illud caput ſecernendum, ubi de* Luctu mortuali Veterum, *multiplici Auctorum celebriorum teſtimonio, ſermo habebatur: illudque in calce Diſſertationis meæ adnectere citò decrevi tanquam operi valdè concinnum. Verùm tanta erat aliarum rerum meſſis, ut inſuper alias quamplures pagellas capitibus diſtinctas mecum tranſtuli. Quæ tunc pro uſu*

meo

meo fuerant carpſi, quæ verò ad rem nihil facere judicavi, repoſui, donec collectorem ſuum adiens: Heus, inquit, annè te pudet, Amice, talia, ac tantæ eruditionis monumenta collegiſſe, ut ea barbarè vel viva ſepelias? Heu nimiùm, quot clariſſimorum Virorum marceſcunt jàm tineis corroſa ſcripta! Unicè tui celeberrimi Magnanini ſubeat memoria, quot deperdita, quot oblitterata, quot conſumpta monumenta tanti Viri deſiderantur, quæ ſi palàm prodita fuiſſent, certè optimè de illo mererentur. Eia igitur, vive, atque ità, ut quidquid inde ſubtrahere potes, in communem utilitatem conferas; neceſſarium eſt enim (*Manardi noſtri undequaque eximii toties à te repetitam ſententiam tibimet exprobro*) neceſſarium eſt enim Libros non ſolum cudere, ſed etiam in lucem edere, cum paria ſint nihil ſcribere, vel quæ ſcripſeris domi premere. (*Manard. ep. 1. l. 1.*). *Precibus obſtrictus Amicus indulſit: hoc unum tantùm ſubdens, ut facultatis Medicæ, quam ipſe optimè callet, nonnullas breves Conſultationes una cum Adverſariis conſuerem, ne à Medicina, quam enixè, & unicè, tanta laude, profitetur, abdicatus cenſeretur. Itaque rem conſultò perpendens, ADVERSARIA in lucem edere paravi, ac ſimul Conſultationes Medicas, prout diverſis in curationibus natæ erant: omnia vel variis celebratiſque hujus ſæculi Viris, vel Auctoris Amicis inſcripta, quorum grati animi obſequium erga Auctorem, non modò tantùm, nec unicè, ſed jam, & diù experiri datum eſt.*

Atque ità Auctori rem tali methodo diſtributam arridere duxi; contradicentium enim linguas retundere conatus ſum adeò ut, qui Medicæ diſciplinæ ſeù Arti unicè inſerviunt, qui unicè Philologiæ, quique demùm unà ſimul ambabus facultatibus oblectantur, palatum exſatiandi quoquomodo opportunitatem habeant: Ciborum varietates vel in menſa jucundiſſimè recipiuntur, ità & ab ingeniis non ſemper in uno voto morandum eſt. Quæ igitur hìc adnotata, humaniſſime Lector, intueris, læto animo ſuſcipias velim, & licèt veriſſimum ſit, debere nos partus eos, quos gignimus, optare naſci quàm perfectiſſimos, attamen non ſemper vires æquant id quod deſiderio concipimus, & humana imbecillitas nimium à per-

fectione diſtat, cùm ſolus Deus perfectiſſimus in cunctis operibus emineat. Quarè ſi nonnulla in hac ipſa editione menda irrepſerint, hoc velim caveas, ne inſcitiæ tribuas, multi enim ſunt qui, vel invitis Patribus, Filii à paternis ſemitis ſæpè ſæpiùs declinant. Si hæc libenti animo accipies, quo nihil mihi carius, jucundiuſque accidere poterit, impoſterùm quoque in eo judicio ut perſeveres vehementer hortabor. Vale.

JOSEPHI LANZONI, ADVERSARIORUM.

LIBER PRIMUS.

AD ILLUSTRISSIMUM

D. ANTONIUM VALLISNERIUM

Primarium Theoricæ Medicinæ Profeſſorem in Patavina Univerſitate, &c.

CAPUT I.

De Barba.

BArbæ dignitas primò à ſacris litteris deducitur, ſic in *Levitico cap.* 19. habetur *nec radetis barbam*: tondere autem non erat vetitum Judæis, ſed radere: voluit enim Deus, ſuggerente *Corn. à Lapide*, in populo ſuam barbam, quaſi eſſet virilitatis inſigne; barba enim Virum ſignificat; unde fallitur *Mart. Polonus in Chronico*, qui Pontificem Anicetum barbam æque, ac comam Clericis vetuiſſe

vetuiſſe ſcribit, in decretis enim Aniceti nulla barbæ fit mentio; hinc illa ſanctio *Concil. Carthag. can.* 44. ait, *Clericus neque comam nutriat, neque barbam radat*; & *Sidonius Apollin. lib.* 4. *Epiſt.* 24. quendam Sacerdotem celebrando ait, *habitus verò, gradus, pudor, color, ſermo religioſus, tum coma brevis, barba prolixa, &c.* *S. Hilarius ſup. Pſalm.* 133. ſcripſit, *Barba virilis ætatis ornatus eſt.* Autores autem Græci, & Romani barbam ſemper in magno pretio habuere, unde Æſculapium Medicorum Patronum maximè barbatum pinxerunt; Diogenes viro imberbi & molli, à quo de quæſtione aliqua conſulebatur, reſpondit: *nihil tibi ad propoſitam quæſtionem reſpondebo, niſi primum veſtem deponas, & oſtendas, num vir ſis, vel mulier*; Lucianus, tàm turpe eſſe ornatum barbæ viris auferre ait, quàm ſi leoni jubas attondere aggrediatur; Quanto porrò cultu veteres Romani barbam proſecuti ſint, vel inde liquet, quod Lege XII. tabul. cautum ſit, ne mulieres novacula mentum raderent, ſcilicet vetiti, ne barba viris propria in genis ſequioris ſexus vileſceret; Jovem quoque Deorum Principem, teſte *Plinio*, honoris cauſa non niſi barbatum finxerunt; ſic alicui barbam vellere ſumma putabatur injuria, unde *Horatius Satyr.* 3. *lib.* 1. canit

. . . . vellunt tibi barbam
Laſcivi pueri . . . .

Ovidius de honore barbæ ſic cecinit in *Metamorph. lib.* 3.

. . . . ovibus ſua lana decori eſt,
Barba viros, hirtæque decent in corpore feræ.

ob honorem barbam tangebant antiqui, eodemque modò ſupplicabant, ſic *Nonnius Dyonyſiac.* 6.

Siniſtra quidem manu genua tetigit, & orans
Dextra tetigit bene crinitam barbam.

Quin Andromache, apud Euripidem, Peleos pedibus advoluta, *pro te*, inquit illa, *ante tua cadens genua nam manu non licet mihi tuam prehendere honorabilem barbam, libera me per Deos, &c.*

Otho Auguſtus, referente *Balthas. Bonifacio in hiſt.ludic. lib.* 12. barbam ipſe ſuam venerabatur, & per eam juramenta concipiebat; & apud *Homerum*, barbatos legimus fuiſſe Priamum, Agamemnonem, Menelaum, Neſtorem, Ulyſſem, Achillem, Hectorem, & alios Principes,

Hinc

Hinc Muſarum Decus *Anacreon* amabat, barbam pretioſo unguento habere imbutam, cecinit enim

Sed curo delibutam
Unguento habere barbam.

qualis fuit illa Aaronis ſuæ conſecrationis tempore, ſcribitur enim *in Pſalm.* 132. *ſicut unguentum in capite, quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.*

Tantaque barbæ æſtimatio erat apud veteres Græcos, referente *Junio apud Laurentium in Polymat. lib.* 5., ut Piaculum eſſet, leſieque cautum barbam radere, & apud Romanos, ſi *Suetonio* credimus, barbam, & crines vovebant Phœbo, undè *Lepſius* ait, Deo ſacram fuiſſe barbam, & Virginum, & Puerorum comam; notandum verò, Spartanos in ſuperiori labro non aluiſſe barbam, quemadmodum docet *Caſaubon. ad Atheneum lib.* 4. Sapientiæ ac perfectionis noſtræ ſignum eſſe barbam ait *Heſychius*, unde Chriſtus Dominus noſter barbam aſſiduè geſtaſſe fertur, hinc *Ludolphus de Saxonia* Jeſum ita depinxit. *Naſi prorſus, & oris nulla fuit reprehenſio, barbam habens copioſam, & impubem, capillis concolorem, non longam, ſed in mento bifurcatam;* Sic *Nicephorus*, Salvatorem noſtrum barbam aluiſſe, & quidem ad colorem nucis caſtaneæ ſimilem ſcribit; Cùm ergo geſtare barbam apud Hebræos, Græcos, & Romanos fuiſſet ſummi decoris, ità familiare erat Græcis, ac Latinis, ut quibus illudere volebant, barbam illis vellerent, unde Poeta

ſtolidam præbet tibi vellere barbam
Petulans nonaria . . . . . .

Ita per contumeliam, Judæos barbam vellebant. Chriſtò Domino in actu ſuæ Sanctiſſimæ Paſſionis, ut monet *Maſinus in Vita Chriſti Redemptoris noſtri cap.* 23.

Apud Græcos uſitata fuit olim pœna ſtupri, barbas publicè hujus flagitii convictis præcidi, atque ita illos, ut infames dimittere; Imo tanti faciunt Turcæ barbam, ut per ipſam jurent, tanquàm per rem ſacram.

In Gallia, ſi *Maſino* fides habenda, reperitur S. Petri Apoſtoli barba, ex cujus tactu, multos infirmos ſaluti reſtitutos fuiſſe ait *cit. Maſinus.*

De Sacerdotum barbis, vid. *Pierius Valerianus.*

CAPUT II.

De Cirris, ſive Cincinnis.

SIcambri Populi ad Oceanum in Germania fuerunt, qui flavos habebant capillos; quos, ubi ſatis crevere, quodam artificio in nodum complicabant, unde *Martialis* canit

Crinibus in nodum tortis venere Sicambri.

ſuper quem locum *Domitius* ait, has gentes colorare crines, ac calamiſtrare Romanos impuliſſe, oblectatos capillorum pulchritudine, quæ Sicambris erat nativa.

De Galeatio II. Vicecomite narrat *Jovius*, comam habente aurei coloris, quam ille complicabat in tricas, & nonnunquam difluentibus cincinnis per humeros expanſam gerebat. Verùm cirros propriè ad ornatum fœminarum ſpectaſſe colligitur ab Autoribus tùm Græcis, tùm Romanis. *Æſchylus* habet

Cincinnus eſt comæ velut virgini.

Genæ enim, & oculi eminent in corpore, & à cincinnis umbrati vetuſtiores elucent, ſic *Tuccius ſuper Cantic.* ſcribit: *Oculi tui Columbæ intrà cincinnos tuos, genæ tuæ ſicut fruſtum mali punici, intra cincinnos tuos.* Apud ſacras paginas Juditha lugubrem veſtem in lacteam, fulgentemque mutavit, capillumque compoſuit, & colligavit cincinnos ſuos mitra, ut compta, & ornata formoſior appareret, atque Holophernem amore inflammaret; cincinni enim magni ornatus ſunt pulchritudini Fœminarum, & rapiunt oculos intuentium, undè à Poëtis comparantur fulgurì, & dicuntur fulgurare; ſic *Virgilius* crinem flagrantem nuncupat; mulieres autem decorem ſuum ponunt in ornandis capillis, poliendis, & fucandis, unde *Catullus* cecinit

Splendidas quatiunt comas,

& calamiſtro componunt; ſic *Virgilius in Æneid.* ait

Vibrati calido crines ferro.

Pectunt, & acu diſcriminali diſcernunt, ut pulcherrimi appareant, ut patet in Sponſis, quarum elegantia in polito crine, &

bellè

bellè diſcriminato conſiſtit; hinc *Feſtus*, Crines inquit à diſcretione dicti ſunt; Cyprio, ac odorato pulvere inſpergunt cincinnos ad majorem elegantiam, atque unguentis odoratiſſimis perungunt, quem uſum antiquum fuiſſe oſtendunt Poëtæ; ſic *Horatius* 3. *carm.*

Sparſum odoratis humerum capillis.

Ovidius iu Epiſt. 21.

Non arabo noſter rore capillus olet.

Tibullus lib. 3.

Spirabat tyrio myrrhea rore coma.

& *Silius lib.* 11.

.... *Crinem perfundit amomo.*

Dixi ſuperius in Sponſis capillorum elegantiam, atque cirros præſtare, comam enim ſolutam, & liberam virginibus olim conveniſſe legitur apud *Car. Paſchal. de Coron. lib.* 2.; coma enim coacta, & coronata erat argumentum inſtantis lætitiæ conjugalis, undè Claudianus cecinit

...... *libertatemque comarum*
Injecta voluit tandem frenare corona.

id eſt à virginitate cupiit tranſire ad vota conjugalia; Sponſæ quippe pulchriores apparent, dum cincinnos in fronte gerunt, ſic canit *Chiabrera*

Del mio Sol ſon ricciutelli
I capelli,
Non biondetti, ma brunetti.

Ad efformandos autem cirros utebantur fœminæ, ut etiam hodie utuntur, calamiſtro, quod calefactum in ignito cinere capillos ornat, ſi fides ſit danda Grammaticis, undè *Cicero in orat. poſt reditum* ait, *Frons calamiſtri notata veſtigiis.* Ciniflones verò apud Veteres dicebantur illi, quibus officium calamiſtrorum erat, id eſt veruum in cinere calefaciendorum, quibus Matronæ capillos criſpabant, notante *Dempſtero ad Roſinum lib.* 5. cujus rei, & *Virgilius* meminit, canendò

...... *Fœdare in pulvere crines.*
Vibratos calido ferro ......

X 2 dicti

dicti autem ſunt Ciniflones, ab eo, quod in cinerem flant ad ferrum calefaciendum; ſicuti cinaſmus dicitur Acus, qua mulieres caput exornant; Quod viris fuit valdè probroſum apud *Martialem*: Clariùs verò *S. Ambroſius* ait: *Mulieribus ornamento eſt coma, dedecori eſt viris.* Denique *Apoſtolus Paulus* evidentiùs hoc expreſſit, dicens *Epiſt. ad Corinth. Cap.* 11. *Nec ipſa natura docet vos, quod vir quidem, ſi comam nutriat, ignominia eſt illi: Mulier verò ſi comam nutriat, gloria eſt illi, quoniam capilli pro velamine ei dati ſunt;* quem *Pauli* locum *D. Jo. Chryſoſtomus* diligenter expendit; Et hic eſt notandum, *P. Martinum de Roa lib.* 3. *ſingular. cap.* 15. vocare cincinnos in hominum fronte, veluti titulos meretricum, aut venalitiorum, qui proſtitutum, & venalem ad libidinem ſignificant; Diſcant ergo, ac caveant noſtris hiſce temporibus Viri, qui propria depoſita coma, caliendro, hoc eſt ficto capillamento multis cincinnis condecorato cyprio inſperſo pulvere utuntur, ſic pejus quàm fœminæ compti apparent, & virili gravitate ſepoſita, cinædorum faciem effingunt, ac poſt ſexageſimum ætatis annum, adoleſcentiæ vultum affectant: Sint Mulierum ornatus Cincinni, ſint Puellorum, ac Puellarum Cirri; Virorum autem ornamentum ſit Prudentia, ſit Virtus; ne fortaſſis maſculorum exemplo, Fœminæ majora ſemper in dies quærant pulchritudinis lenocinia, quomodò enim mares muliebri licentiæ, ac laſcivæ libertati finem imponent, ſi, & ipſi criſpato crine ornantur, fictam, atque laſcivam comam, emptam pretio deportant, ac pulvere odorato inſperſo, vel potiùs fœdato capitis capillamento, ad cincinnos. & cirros quotidiè mulieres invitant? hæc verò de cincinnis ſint ſatis.

CAPUT III.

An veteres ocularia habuerint?

MAgnus ille Philoſophus *Franciſcus Redi* putavit, antiquos Hebræos, Græcos, Latinos, ac Arabes ocularibus caruiſſe, quia apud eos nulla de eis fit mentio; & licet aliqui conentur oſtendere, authotitate *Plauti*, ocularia tempore hujus Poëtæ in uſu fuiſſe, ex eo quod in duobus locis de his mentionem faciat; loci autem ſunt iſti

dum redeo Domum
Conſpicillo conſecutus eſt clanculum me, uſque ad fores.

Et

Vitrum cedo, neceſſe eſt couſpicillo uti.

ſicque, cum per vocem *conſpicilli Rob. Stephanus in Theſaur. ling. Latin.* intelligat inſtrumentum, quod adhibetur oculis, ut res majores videantur, hinc eſt, dicunt illi, quod ocularia antiquitus in uſu fuiſſent; ſicque eſſe aliquos, ait *Cæl. Rhodiginus antiq. lect. lib.* 15. *cap.* 13., qui conſpicilla veterum referunt in ea inſtrumenta, quæ inſerta naribus viſum mirè adjuvant; Quos *Varro* facilè retundit apud quem ita legimus. *Hinc quo oculos jungimus, quibus ſpecimus, ſpecillum.* Sunt qui conſpicillorum artifices ſpecularios rectè dici opinantur, ac qui feneſtris ſpecularia prætendunt frigoris defendendi cauſa, de quibus meminit *Juriſconſultus Ulpianus*; Sicque ego quoque cum *Redio*, ac *Mercuriali* ocularia novæ eſſe inventionis aſſero, nam ſi tale inſtrumentum antiquis innotuiſſet, Medici in curandis viſus debilitatibus de tanto remedio mentionem feciſſent; eſt & *Nonnii* teſtimonium, qui conſpicillum appellatum docet locum, unde aliquid clanculum conſpici poſſet, quem fieri conſueviſſe ait vitro obductum, per quod videre, & non videri liceret, ut nunc in feneſtris frequenter fit, atque in hunc modum intelligendus eſt *Plautus* in locis ſupra expoſitis; clarè enim, ac breviter hanc litem dirimit *Joſ. Laurentius in Amalthea onom.* dicendo, Conſpicillum, ſive Conſpici-

lium duo poſſe ſignificare, nempe locum, unde clam conſpici poteſt, ut vulgò *baleſtriera*, *Veletta*; & ocularia hodiè *occhiali*: non poteſt tamen negari, ocularia antiqua eſſe; *Redius* enim circa annum Redemptionis noſtræ 1300. inventa fuiſſe ait, ut patet ex *Chronica Conventus Fratris Bartholomæi à S. Concordio Concionatoris*, in qua ſic legitur: *Fr. Alexander de Spina vir modeſtus, & bonus, quæcunque vidit facta ſcivit & facere; ocularia ab aliquo primo facta, & communicare nolente, ipſe fecit, & communicavit, &c.* Imò in quodam manuſcripto Anni 1299. ait *citat. Redius*, mentionem fieri de ocularibus, ut videre eſt in ſua erudita Epiſtola circa inventionem eorum, Florentiæ typis data anno 1690.

Gordonius, & *Guido Cauliacus* autores noſtræ Medicinæ antiqui, ubi tractant de Viſûs debilitate mentionem fecêre de conſpicillis, ſeu ocularibus, de quibus nunc ſermo habetur; ex quo apparet, horum inventionem fuiſſe Anno 1305. De his plura apud *Franciſcum Redium*, & *Mercurialem*.

CAPUT IV.

De Jejunio veterum Romanorum, &c.

EX *Suetonio in Aug. cap. 76.* habentur hæc verba: *ne Judæus quidem, tàm diligenter Sabbatis jejunium ſervat*; certum autem eſt Judæos jejunium habuiſſe, ut colligitur ex Sacris paginis. Romanos quoque aliquando jejunaſſe puto, nam *Suidas* refert Severum Imperatorem, quolibet menſe die integro nihil cibi admiſiſſe, an verò hoc ob Religionem eſſet, an ob valetudinem, neſcio; *Livius in hiſt.* ait, Decemviros renuntiaviſſe jejunium inſtituendum Cereri, & id quinto quoque anno ſervandum; Undè Oracula conſulturos ait *Laurentius in Polymat. lib. 2.* Romanos jejunia indixiſſe, ut habetur ex *Tertulliano de anima*, & *de jejuniis*.

Hinc Thiſmophoria feſta apud Athenienſes, teſte *Plutarcho*, illa erant, in quibus Mulieres à cibis abſtinebant, humique jacebant; de quibus meminit *Plautus* ſub nomine feriarum eſuria-

lium; Sacerdotibus etiam reſponſum daturis, aut accepturis die jejunandum fuiſſe, & triduo à vino abſtinendum ait *Joſ. Laurentius cit. loco. Horatius* innuit fuiſſe quædam Jejunia inſtituta ob honorem Jovis; & apud eundem Poëtam Mater pro ſalute filii quartana laborantis precatur Jovem his carminibus

Frigida ſi puerum quartana reliquerit, illo
Nempè die, quo tu indicis jejunia, nudus
In tiberi ſtabit . . . .

Numam Pompilium, ferunt Hiſtoriæ, cùm pro frugibus vota faceret, ab uſu carnium, & veneris abſtinuiſſe, ad cujuſdam Jejunii morem.

*Apuleius lib.*2. tradit, illos, qui volebant ſacris Iſidis, & Cybelis initiari, ſpatio 10. dierum jejunaviſſe, qua abſtinentia peracta phaſianis, ac delicatis carnibus veſcebantur; Neſtea celebritas apud Græcos illa erat, teſte *Æliano in Var.hiſt.* in qua jejunium ſervabatur; Gymnoſophiſtæ jejunium ſervantes ſolum oryza, & farina alebantur; Ægyptii Sacerdotes carnibus, & vino abſtinebant, aſſerente *Laurentio*, ſicuti feciſſe etiam fertur Indorum Magos ad Solis Sacerdotium evectos. In Creta ex *Euripide* apud *Maiolum*, Jovis Vates non modò carnes, ſed etiam cibos coctos non edebant. Lacœdemones uno die ſe, & Servos, & Animalia jejunare decrevere & mulieres, dùm ſacra Cereris celebrarentur; jejunium, quod Caſtum Cereris vocabatur, humi ſedentes agebant, in quo pane veſci nefas erat. Miſorum quidam religionis cauſa, à carnibus abſtinebant, lacte, melle, caſeo contenti, ut notat *Strabo lib.* 7. Menſe Romadam toto, in quo Alcoranum cœlitùs datum nugatur Mahometus, imperatur jejunium omnibus Turcis, præter infirmos, & viatores; ſic die tota jejunant, nocte verò comedunt, & bibunt; Ægroti autem ſuum jejunium eleemoſynis perſolvunt. Cùm antiquitùs Tarentini à Romanis obſiderentur, periculumque eſſet, ne fame ad deditionem compellerentur; Rhegini decimo ſemper die jejunium decernentes, victum conceſſerunt Tarentinis; Proinde cùm decedentibus Romanis, liberarentur, calamitatis memores Tarentini, feſtum conſtituere, quod *Jejunium* appellabant.

De

De Leonardo Piſtorienſi, refert *Cardanus de ſubtil.*, qui ſenſim eo ſe traduxit, ut ſemper jejunaret, ac ſemel tantùm in hebdomada cibum aſſumeret.

CAPUT V.

De ridiculis, & abſurdis Amoribus.

XErſem ſummopere vituperat *Georg. Pictorius in lib.* 4. *ſuæ Philologiæ*, eo quod Platani amore graviter capiebatur; & de quodam adoleſcente Athenienſi refert, qui Statuam fortunæ ad Pritaneum ſtantem deperibat, & ſæpè in complexus ejus ſe inſinuans, œſtroque percitus propter cupiditatem in Senatum venit enixè rogans, ut ſibi eam liceret emere; at cùm nihil eficeret renuente Senatu, Imagine priùs coronata, atque oblato ſacrificio, profuſis lachrymis, mortem ſibi ipſi conſcivit. De Adoleſcentula annor. 17. ob nimium amorem maniaca, memini *ego in Miſcel. A. N. C. Decur.* 2. *an.* 10., *Obſerv.* 126. *Editionis Nörimbergen. paſi.* 219. Periander, juxta *Herodotum*, tantùm in amore inſanivit, ut cum Meliſſa Meretrice mortua jacuerit; Semiramidem, teſte *Cœlio Rhodig.* ob amorem Tauri redactam ad furorem fuiſſe aiunt; Et *Volaterranus*, narrat Cratem paſtorem amâviſſe Capram; *Plutarchus* de Ariſtone Epheſio ſcribit, qui Aſinam amore proſequebatur, & Fulvii Romani meminit, qui amatorio furore percitus filium ab Equa habuit, quàm vocavit Hipponam; De Galeatio quodam Mantuano, ait *Matth. Palma in Anat. Amor.*, qui tanto amore correptus eſt erga Adoleſcentulam, ut cum iſta per jocum ei dixerit *vade ad Flumen, o ſtulte.* Ille hoc audito ſtatim ſe miſere in Ticinum flumen projecit; Hercules ob amorem Omphalis Reginæ Lidiorum ita inſanivit, ut Clava in Colum mutata neret; unde *Propertius* cecinit

Idem ego Sidonia feci ſervilia palla
Officia, & lyda penſa diurna colo
Mollis, & hirſutum cepit mihi faſcia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.

Ridicula

Ridicula ſanè fuit amoris inſania illa Saphi, referente *Ang. Politiano in Eleg.*, quæ propter amorem Phaonis à promontorio Leucadio ſe præcipitem dedit, undè cecinit citatus Poeta

Maſcula quæque ſuos cantat moritura calores
Leucadii Sapho crimen, honorque freti.

Clariſſimus noſter Poeta *Arioſtus* Muſarum decus, & Ferrarien. Poetarum Princeps, Bradamantem velut inſanam ob amorem Rogerii, deſcribit his verbis

„ *Così dicendo di morir diſpoſta*
„ *Salta dal letto di rabbia infiammata*;
„ *Si pon la Spada alla ſiniſtra coſta*, *&c.*

Multi denique amentes evaſere ob amorem mulierum, ſic Pithagoras inſanivit pro amore Pirandri, & Lampridis; Demetrius propter Lamiam, Ariſtippus per Laidem, Epicurus ob Leontiam Sophocles proptèr Theoridem, Ovidius ob Corynnam, Tibullus propter Deliam, Dantes pro Beatrice, Petraca pro Laura, & Orpheus pro Euridice; Immò ad talem inſaniam pervenit in amore Anaſaretis Iphis, ut miſere laqueo ſuſpenſus obierit; Cleobolus in ætate 80. annorum, dùm per ſcalam ad amaſiam à ſtulta, ac ridicula dilectione ductus, raptim tranſiret per feneſtram, cecidit, ac miſerabiliter periit, ut ſcribit *Mat. Palma loc. citato.*

CAPUT VI.

De illis, qui ſemel in die cibum capiunt, & quoties Veteres in die manducarent.

MUltos ex antiquis, ſi *Mercuriali* fides ſit habenda, ſemel tantùm in die cibis ſaturatos fuiſſe conſtat, hinc *Apollonius* antiquiſſimus Autor Græcus in mirab. hiſtor. ait, *eos qui in die ſemel tantùm cibis veſcuntur, amarulentioribus eſſe moribus, quàm ſunt illi, qui bis &c.*, & *Celſus* de illis etiàm mentionem facit his verbis: *aſſuetis bis in die comedere, ſi ſemel ſolum cibis impleantur, alvum adſtringi*; & de iſtis quoque locutus fuit in *lib. de Diæta Hippocrates*;

Ego verò puto ſanitatis gratia alimentum in plures vices diſpartitum faciliùs concoqui, ſicque laudare non poſſum eos, qui ſemel in die cibum capiunt; *Marcus Anton. Muretus* eos commendavit antiquos, qui quater in die comedebant; Ego autem Græcos ter in die comediſſe credo; ut per jentaculum, prandium & Cœnam, de iis enim tribus meminere ſcriptores; Pariter de Romanis dicendum; Sic *Galenus de tuen. Valet*, ait *ſatius eſt illis*, id eſt Senibus, *ter cibum ſumere*; atque illud feciſſe Antiochum Medicum, ac Thelephum Grammaticum dicit. Quod verò de comeſſatione, & jentaculo à Latinis Scriptoribus memoriæ mandatum eſt, ait *Mercurialis*, pueros ſolos ipſo uſos fuiſſe, perinde, ac hodie ubique ferè gentium hoc uſurpatum eſt, ut pueri ſummo mane ſemper aliquid cibi capiant; quapropter in Curcullione *Plautus* facit Phedromum adoleſcentulum Veneri jentaculum vovere; ſimiliter in Truculento Phroneſium Meretrix ſic ait

non noviſti obſcuro?
Qui illic apud me erat, hujus pater pueri ille eſt
Uſque ad jentaculum. Juſſit ali.

Idem dixit *Martialis* in illo diſticho

Surgite jam pueri, vendit jentacula Piſtor
Criſtatæque ſonant undique lucis aves.

Prætèr pueros, & ſenes, qui valetudinis gratia jentaculo utebantur, nullos uſquam uſos fuiſſe putat *cit. Mercurialis* quod ſi aliqui erant, qui uterentur, protinùs tanquàm incontinentes notabantur; Ità quoque de merenda dicit *Nonnius*, quod ſit cibus poſt meridiem aſſumptus; paritèr infamia notabantur illi, qui comeſſationes, ſeù cibos poſt cœnam ſumebant, atque comeſſatoris nomine indecorò vocabantur, ut non ſit mirum, *Clementem Alexandrinum in Pedag.* Prandiola, Epulas, atque merendas damnaviſſe; Quemadmodum etiàm mirum videri non debet, ſi Aulus Vitellius Imperator epulas ſuas ſæpè trifariam, interdum quadrifariam diſpertiebat, id eſt in jentaculum, prandium, Cœnam, & comeſſationem, ut videre eſt apud *Suetonium*. Sic apud Grammaticos *Jentare* dicitur pro cibum ante prandium guſtare; unde *Afranius* ait,

hæc

hæc jejunia jentavit, & *Varro Rempublicam adminiſtraret*, *& quod pulli jentent*; Notandum verò *Feſtum* ſcripſiſſe merendam eſſe prandium, quod ſcilicèt medio die caperetur.

CAPUT VII.

De Rabulis Forenſibus.

TAntus hodiè Rabularum eſt numerus, ut ſilentio eos præterire nefas eſſet ubique enim ſunt, & in quacumque via obviam veniunt, & quocumque loco, ac tempore ineptis vociferationibus nauſeant; iſti ſunt qui verba vendunt clientulis & ſic dicuntur à Rabie, monente *Stephano*, vel à raucitate, ut is ſit Rabula qui in negotiis agendis acer eſt, & rabioſus, & juxtà *Feſtum*, qui multis intentus negotiis paratus eſt ad radendum, & auferendum; ſic dicitur rabula à radendo aures, nam, ut à fando fabula à nando nabula, à ſtando ſtabula, à paſcendo pabula, ità à radendo rabula; nec alia ratione rabulas in foro dictos putat *cit. Stephanus*, quàm quod radant, id eſt offendant aures, & ut ait *Quintilianus* nimia verboſitate feriant; Hinc *Calvin. in Lex Jurid.* ſcribit, de his loquendo, iſtos eſſe nugatores, qui inter garriendum, & velitandum, ſinum conſpuunt, linguam rotant, & dentes arietant. Tàm importuni erant iſti tempore Fori Romani apud Gentiles, ut referente *Poleto in hiſt. Fori Rom. lib.* 1. Judices deſcendentes de tribunali retinerent in area, planoque, ut quod vellent, obitèr obtinerent. Iſti in foro, tanquàm in foco laurus virens, crepitabant, alternis jurgiis convitiabantur, rixabantur, & latrabant tenſò pectore, qui ſonitum verborum inanem nulla ſcientia crocitabant, de quibus cecinit Poeta

Immenſa cavi ſpirant mendacia folles
Conſpuiturque ſinus . . . . . .

Quorum lingua, ait *Poletus*, eſt volubilitas inanis, ridenda, ac puerilis, conjunctaque cum aliquot legum rubricis, cancellis circumſcribitur forenſibus.

Nævolum cauſidicum naſutè exagitat *Martialis lib.* 1. hoc Epigrammate

Dum clamant omnes loqueris tu Nævole ſemper,
Et te Patronum, cauſidicumque putas.
Hac ratione poteſt nemo non eſſe diſertus,
Ecce tacent omnes, Nævole dic aliquid.

Irridet enim in his verſibus Poeta Nævolum imperitum Rabulam, qui, ut ſe Clientibus oſtentaret, loquebatur tantùm, dùm cæteri clamarent, dumque intelligi non poſſet quid diceret, & hac ratione placebat, ut teſtatur *Ramir. de Prado,* cumque cæteri tacerent, ipſe nec verbum quidem proferebat, hac arte diſertus quilibet eſſe poſſet, ſi tamen hoc eſſet eſſe diſertum; Provocavit igitur eum *Martialis,* ut tacentibus cæteris dicat aliquid.

In convitiis ità ſunt ſtolidi Rabulæ, & inconſiderati, ut eorum petulantiam ſæpiſſimè luat Litigator, quid enim potuit cogitari audacius, inquit *cit. Poletus*, quid & Cauſidico, & Litigatori periculoſius, quàm Græculum quemdam non Advocato partis adverſæ, quod ferendum eſſet, non Judici ignobili, & proletario, ſed Claudio Cæſari in medio Fori palam omnibus audientibus illudere inſano hoc dicterio; *& tu Senex es & Stultus*; Tulit tamen Cæſar non æquo, ſed fracto potiùs animo, parumque generoſo; neſcias fuerit ne Græculus inſolentior, an Cæſar ſtolidior?

Hujuſmodi Blaterones, quorum lingua, tàm prodiga, volubilis, infræniſque eſt, ut fluat ſemper, & æſtuet colluvione verborum, egregiè ab aliquibus principibus utriuſque linguæ viris taxantur; Iſtorum autem Rabularum adeò miſerabilem eſſe profeſſionem ait *Franc. Poletus lib. 2. hiſt. For. romani cap.* 11., ut cùm peſſimè audiant apud quoſvis de latrociniis, & concuſſionibus, ut tamen domi eſuriant, tenuemque adeò quæſtum faciant, ut longè inferior ſit patrimonio Mimorum, & Hiſtrionum, quod notatur ſatyricè à *Juvenale Satyr.* 7.

Veram deprendere meſſem
Si libet, hinc centum patrimonia Cauſidicorum.

In

In qua tota Satyra Poeta irridet, & exagitat Rabulas. Et tempore Decemvirorum nullos fuiſſe Rabulas, ait *cit. Poletus*

CAPUT VIII.

De Sobrietate, & Gulæ vitio.

SIcuti Temperantia, ac Sobrietas, ad vitam conſervandam, & prorogandam faciunt, ita intemperantia, ac Gulæ vitium, & luxuries vitæ annos abbreviant, ac ſaluti adverſantur; undè quia fuerunt noſtri patres antiqui longè temperantiores, ac ſint qui vivunt hodie, lacte enim, & melle, fructibus, & herbis contenti, luxus, & hodiernas delicias reſpuere, ideò ſalubriùs & diutiùs vixerunt.

In victu certe hodie maxima luxuria eſt, ita ut fercula ferculis, acetaria acetariis, fructus fructibus, cruda coctis, in prima, ſecunda, & tertia menſa apponantur; Carnes, piſces recentes, ac ſalitos varii generis aſſos, & elixos, conchylia, aves, caſeos, fungos, placentas, fructuſque omnis generis uno, & eodem epulo uſque ad ſatietatem. & vomitum ingurgitantur, undè ex tanta ciborum copia, ac varietate in ventriculo congeſta peſſimæ digeſtiones fiunt, undè morbi oriùntur; dicebat enim *Seneca* diverſa cibaria inquinare, & non alere, & *Plinius* ſimplicem cibum homini utiliſſimum eſſe ait, contrà verò ingluviem, & intemperantiam perniciosiſſimam; Hinc Perſæ tanta moderatione, & ſobrietate fuerunt uſi, teſte *Xenophonte*, ut modico nutrimento uterentur, quod idem de Arabibus ſcribit *Jovius*; Quin à Solone, & Lycurgo ſancitas fuiſſe leges iu luxum, & intemperantiam dixit cum *Valerio Maximo Quercetanus in Diœtetico*; Priſci Romani apprimè fuere ſobrii, nàm ut ait *Plinius*, *hortos habebant, & ex illis vivebant.*

Tandem verò ad talem intemperantiam pervenerunt, ut integra patrimonia unico prandio diſſipaverint; & videretur; eos non ut viverent natos eſſe, ſed, ut comederent, ac potarent, & vomerent; Sic de Apicio Romano, ſcribit *Seneca*, eum Minturnam

nam profectum eſſe, ut ſquillis veſceretur, Alexandriam, ut Aſtacis, Africam, ſquillarum cauſa, ubi cum nullas reperiſſet provinciam execratus eſt; Cuilibet nota ſunt ſumptuoſa Vitellii, ac Heliogabali convivia, confecta ex rariorum piſcium jecinoribus, murænarum lacte, Phaſianorum, ac Pavonum cerebellis, luſciniarum linguis, atque id genus inauditis, ac inuſitatis eduliis, quibus non ſine magno ſumptu eorum menſæ replebantur, ut referunt Suetonius, & Cælius Rhodiginus lib. 28.

Etiam apud Græcos luxurioſiſſimi Epulones fuere; talis fuit Archeſtratus, de quo *Atheneus lib* 2., qui non minori ſtudio ubi ſingula edulia optima naſcerentur, in gaſtrologia ſua expoſuit, quàm qui orbis deſcriptiones, & navigationes aggrediuntur? Legitur apud *Ciceronem*, & *Plutarcum*, magna ignominia, & dedecore acceptum fuiſſe Mutonium Triumvirum, qui nimium potus, dum munus ſuum publicè obiret coram univerſo populo Romano crapulam turpiſſime evomuit.

De Timocreone Rhodio legitur, Epitaphium celebre, quod ſic ſonat

Multa bibens, & multa vorans, mala multaque dicens
Ipſe viris, jaceo Timocreon Rhodius.

Cleomenes enormi intemperantia ſua, ac fœda ebrietate uſus variis obrutus eſt morbis immaturè ſeneſcens; Dionyſium juniorem Siciliæ Tyrannum nonaginta dies continuos ebrium fuiſſe, teſtatur *Stephanus Niger de nim. Vitæ luxu.* Xenarchus Rhodius ob nimiam vini ingurgitationem Metretes cognominatus fuit. Svitrigalus Dux Lithuaniæ, referente *Ænea Sylvio*, nunquam peregrè proficiſcebatur, quin diſpenſatorem interrogaret, an librum, quem de arte coquinaria componi curaverat, ſecum ferret; Ejus autem Cœna in ſex horas ad minimum protrahebatur, & ferculis non minus 130. utebatur.

Culenus Scotorum Princeps voluptatum turpiſſimarum mancipium, ludos ſympoſiacos inſtituit, ut qui potando, vorandoque victor extitiſſet, hedera coronabatur, & munus accipiebat ampliſſimum; ſic pariter Mithridatem, qui bella cum Romanis geſſit in muneribus quæ edidit, voracitatis, & vinolentiæ, fàma eſt præmia propoſuiſſe, eumque, victorem fuiſſe utrobique, ac pla-

nè omnium coævorum ſuorum bibiſſe plurimùm, & inde fuiſſe Bacchum nuncupatum teſte *Plutarco lib* 1. *quæſt.*, & *Beyerlinck in Theat. vit. human.*

CAPUT IX.

De Serapide Idolo celebri.

SErapis à multis Apis, & Oſyris dictus eſt, & apud Ægyptios Idolum fuit magnæ venerationis; de hujus origine variæ ſunt opiniones; Aliqui enim Jovem ipſum eſſe putabant, alii Nili fluminis virtutem eſse credebant, nonnulli tandem Serapidem Regem fuiſſe Ægypti tradunt, qui rudes adhuc homines ad mitiorem vitæ cultum traduxit, & colendarum vinearum, ac agrorum rationem docuit, ſicque famis tempore ſubditis alimenta præbuit ideòque eum, dum viveret ſummo honore exceptum fuiſse, & mortuum in Deorum numerum relatum, dixere. *Macrobius* verò ſcribit Serapidem Solem eſſe, quoniam caput hujus *Idoli* radiis ſolaribus ornabatur, quod confirmat *Illuſtriſs. D. à Turre de Mitrha cap.* 2.; Celebratur autem Serapis ſub forma Bovis, quia hoc Animal eſt omnium ferè animalium utiliſſimum; de hoc vid. *Strabo*, *Serra*, & *Ammian. Marcellinus*; Templa maxima illi fuere dicata, & Alexandriæ, & Memphi, & horum exemplo illi Fana dicaverunt Spartani, & Athenienſes; nec non Romani quoque huic Idolo Templum aperuere *Serapium* dictum in quo, teſte *Muſſardo* magna cum laſcivia cantabant, & tripudiabant viri, ac mulieres; hoc Idolum ſuperſtitiosè colebat inprimis Veſpaſianus juxtà *Suetonium*, & *Tacitum*; & ab ejus oraculo deluſum fuiſſe Annibalem ferunt multi, cui de ſuo fato interroganti reſpondit:

Lybiſſa teget gleba Annibalis corpus.

quod Annibal ſic interpretatus fuit, quaſi ipſius corpus in Lybia, id eſt in Africa componi deberet, & moriturus in ſua patria, At Oraculum innuebat Lybiſſam fluvium Bityniæ, in quo paulo poſt Annibal venenum hauſit, ne in manus Romanorum veniret;

Hujus

Hujus Idoli Statuam, ait *Scedius*, ex auro, argento, ære, ferro, gemmis, oſſibuſque Apis, & Oſyridis fuiſſe confectam. Tanta autem veneratione colebatur hoc Idolum, ejuſque talis vaniſſima opinio erat, ut multos quoque Chriſtianos invaſerat timor; nam cum Theodoſius edictum promulgaviſſet, teſte *Ruffino in Hiſtor. Eccleſiaſt. lib. 2. cap. 23.*, de diruendo Serapidis Idolo, milites Chriſtiani, quibus lege agere mandatum erat, coram illo meticuloſi ſtabant, nec attingere audebant, cùm demum unus ex militibus, magis fide, quam armis munitus, arrepta ſecuri inſurgens ſtatuam idoli fruſtulatim conſcidit, quæ fruſtula igni data, illicò tanquam lignum aridum conſummata fuere; Quidam dixêre, hanc Statuam in honorem Joſephi juſti fuiſſe efformatam, teſte *cit. Ruffino*; Poſt verò iſtius ſimulacri ruinam tanta ſecuta eſt Nili exundatio, tantaque terræ ubertas, ut anteactis ſæculis nulla unquam major eſſet viſa.

Plutarcus in lib. de Iſi, & Oſyride tradit Serapidem idem cum Plutone æſtimatum fuiſſe; & ab hoc Idolo Trinitatis myſterium aſſertum eſſe teſtatur *Clariſſ. noſter Lil. Gregor. Gyraldus in hiſt. Deor. Synt. 6.*, Conſulenti enim cuidam Regi Ægypti, quiſnam ſe eſſet beatior, ità reſpondiſſe fertur.

Principio Deus eſt, tum Verbum his ſpiritus una eſt.
Congenita hæc tria ſunt cuncta hæc tendentia in unum.

Ideoque etiam per Dæmonem Sanctiſſimam Trinitatem aſſertam eſſe dicendum, per hoc enim Idolum, ut & per alia antiquitus Dæmones locutos certum eſt. De Serapide plura dabit *Illuſtriſſ. D. Co. Camillus Silveſtri in not. eruditiſs. ad Juvenal.*

CAPUT X.

De Carne Suilla.

DE Suibus, qui ab Hebræis *Chazir* dicuntur breviter aliqua dicenda ſunt in capite præſenti; de his autem pauca habent Sacri Scriptores, quia quandiu ſtetit Hebræorum Reſpublica

ca in Judæa nullos fuiſſe Sues, teſtatur *Samuel Bochartus lib.* 2. *de anim. ſacr. ſcript. cap.* 57.

Hinc *Porphyrius in lib. de abſtin. à cæde animal.* ullos in Judæa naſci ſues diſerté negat; Porcum ad ſolam mortem nutriri ait *Lactantius*, cùm nullum quandiù vivit præſtare poſſit uſum; cùm igitur Sues, non niſi mortui, hominibus proſint, & cum ad ſacrificia, & ad eſum lex in Judæis vetaverit eorum uſum, idcircò pauca ſcripta de Sue in ſacris ſcriptoribus reperiuntur; Hebræi verò hujus legis cauſam phyſicam putant, porcum comedenti periculum eſſe à Lepra, ſi enim infans, ait *Plutarcus*, lacte ſuillo nutriatur fiet leproſus; *Clemens* verò *Alexandrinus* per Sues quorum eſus in lege prohibetur, intelligit impuros homines, qui porcorum more ſemper in luto, & ſtercore, id eſt in vitiis jacent, prohiberi: Plura de hac re videantur apùd *citat. Bochartum* qui more ſolito ſuper hac re eruditè diſſerit; ſolummodò mihi liceat ex *Macrobio Saturnal. lib.* 2. *cap.* 4., addere, Auguſtum, cùm audiviſſet Pueros à Rege Judæorum Herode interfectos, & ſuum filium quoque, exclamaviſse, melius apud Herodem porcum eſſe, quàm filium; Ridendo igitùr Hebræos *Juvenalis in Satyr.* 6. *cecinit*

Et vetus indulget ſenibus clementia porcis.

Romani verò, aliæque Gentes ſemper uſæ ſunt carne ſuilla, utpotè grata, ut & modò nos facimus; Sic *Varro* ait, pecus ſuillum donatum eſſe à Natura ad epulandum, & *Galenus* tertiana affectis *in lib.* 1. *ad Glauc.* præter teſticulos, & alas gallorum, & ova ſorbilia, porcorum pedes, cerebrum, & carnes ſuillas in jure liquefactas præbet, quod idem confirmat *Jo. Langius in Epiſt. Medic.* . Titus Quintius ante tribunatum, & Præturam Conſul deſignatus, in Chalcide apùd Hoſpitem cœnans miratus fuit de carnium varietate, & copia; Hoſpitem verò affirmaſſe traditur, illas omnes eſſe ſuillas condimentis, & præparationibus differentes; ex quo mirè carnem ſuillam comendat *Bruierinus*; Mirum autem eſt, in Arabia ſuillum genus non vivere; Eumeus ſubulcus Ulyſſis, *in Odyſſ.* 3., quem ex bello Trojano, & naufragio, ſibi tum ignotum, reducem hoſpitio excepit, dixit: *Ede hoſpes, nam ha*

hæ porcellorum carnes. Procos quoque penelopes, obeſos Sues edere dixit *Langius*; undè conſtat, veteres Græcos Porcellos comediſſe; & olim in pretio fuiſſe apud Romanos, teſtatur *Martialis in lib.* 13. canendo

Lacte mero paſtum pigræ mihi matris alumnum.
Ponat, & Aetolo de ſue dives edat.

ſuper quo *Domitius* intelligit ipſum divitem ſibi habere ingentem Aprum, quantus fuit Aetolus interfectus à Meleagro; Me autem legiſſe recordor apud *Strabonem lib.* 12. Cleonem Jovis Abretanii Sacerdotem, latronem inſignem in monte Olympo, cum ab Antonio ad Cæſarem defeciſſet, pro latrone Principis habitum geſſiſſe, poſtea Comanorum Sacerdotium in Ponto accepiſſe; ad quod cùm veniſſet intrà menſem obiit ex nimia crapula morbo correptus; In eo autem Fano prohibitus erat Suillarum carnium eſus, undè nec in totam Urbem Sus inferebatur; ſed Cleon Latronum more conſuetudinem prævaricatus eſt, atque idcirco creditur ira interiiſſe Numinis. Cæterùm luxuriæ comedendi Aprum inventorem fuiſſe *P.* Servilium Rullum Annaliſt tradunt, & in hujuſmodi mores clamat *Satyricus in* 1. *Satyr.*

quanta eſt Gula, quæ ſibi totos.
Ponit apros, animal propter convivia natum.

Notandum verò Argivos in feſto, Porcum Veneri mactaviſſe, & Menſe Maio Mercatores, Majæ porcam prægnantem immolabant; Legitur etiam Cereris myſteria Sue cæſa celebrata olim fuiſſe; undè *Poeta* canit

Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine porcæ.
Ulta ſuas merita cæde nocentis opes.

Immò addendum eſt, fœdera pacis, & nuptiarum in Græcia, Latio, & Etruria, Sue mactato confirmata fuiſſe, aſſerit *Jo. Langius in Epiſt. Medic.*

Mentio fit apud *Gellium* de Porca præcidanea, quæ immolabatur piaculi gratia antè fruges, hoſtiæ enim præcidaneæ erant illæ quæ antè ſolemnia ſacrificia pridiè cædebantur.

JOSEPHI LANZONI, ADVERSARIORUM.

LIBER SECUNDUS.

AD ILLUSTRISSIMUM

D. APOSTOLUM ZENUM VENETUM

Omni Eruditionum genere inſtructum.

CAPUT I.

De Nominibus Menſium.

JAnuarius primus Anni Menſis eſt, & à Jano nomen habet, ſicuti enim Janus dicitur bifrons, id eſt, & præterita, & ventura cernens, ità pariter iſte menſis finem elapſi anni, & initium futuri habet; ſic Numa à Jano Annum ordiri voluit, Romulus verò à Marte, & ſic Martium primum anni Menſem dixit; Calendis Januarii ſacrum Jano fiebat ex thure, ac mero; Conſu-

les in Capitolium aſcendebant conſulatum inibant, & Jovi Juvencas mactabant; in hujus menſis initio Strenæ ultrò, citròque mittebantur, & Vota; In hujus menſis Calendis luctus ceſſabat; convivia apparabant, liberabantur Servi, & Captivi, pecuniam ſpargebant, lites ſuſpendebant, nitidiùs induebantur, ludos agebant, & januas, & templa coronabant.

Februarius nomen à Februo Deo luſtrationum habet, cui à Numa dicatus fuerat, hoc enim menſe tota Civitas luſtrabatur; ideoque dicebantur Februa, quæcumque purgamenti causa in ſacrificiis adhibebantur, *Iſidorus* Februum Plutonem nuncupat, ſed *Cenſorinus* Februum, ait eſſe quidquid expiat expurgatque, undè februare, purgare, & purum facere idem ſonat; In hoc autem menſe lupercalia celebrabantur: plura de hoc menſe eruditè exarata tradit *Clariſſ. noſter Lil. Greg. Gyraldus in lib. de menſ., & annis.* Martius menſis à Marte ſic dicitur cui, veluti Patri ſuo primum Anni menſem dicavit Romulus, undè *Ovidius* cecinit

Mars latio venerandus erat, quia præſidet armis.
Arma fere genti, remque, decuſque dabant.

Calendæ verò iſtius menſis à Matronis celebrabantur, quo illo tempore Junonis, & Lucinæ Ædes coli cœpta eſt, & ſervis matronæ apponebant convivia, ut in Saturnalibus faciebant Domini, teſte *Solino*, & *Macrobio*; *Servius* Calendas Martii celebres eſſe ait, quia eo die pax inter Sabinos, & Romanos ob raptas Sabinas facta eſt; Martii inſuper prima die novus ignis aræ Veſtæ accendebatur; atque exſolvebantur mercedes magiſtris.

Aprilis menſis à Venere ita vocatur teſte *Hildebrando in Antiquit. rom.*, ſic etiàm dicitur ab aperiendo, eo quod terras, & maria, quaſi clauſa recludat, & aperiat, & prima hujus menſis die conſtitutum fuit, ut Matronæ Veneri ſacrum facerent.

Majum tertium menſem Romulus poſuit, de cujus nomine inter Autores magna diſſenſio eſt; Sic dicitur iſte menſis à *Majoribus*, quoniam Romulus cùm populosin majores, & minores diviſiſſet, id eſt juniores, in honorem utriuſque partis, hunc Majum, ſequentem Junium dixit; vel, ut alii dicunt, dicitur Majus à Maja matre Mercurii; de hoc menſe eruditè *Macrobius*

lib. 1. *Saturnal.* Quin etiam menſem Majum Mercurio ſacrum fuiſſe, ait *Plutarcus*, & iſtius menſis prima dies dedicata eſt Majæ ſub nomine Bonæ Deæ, & eandem eſſe bonam Deam, & Terram inquit Gyraldus; Notandum autem menſe Majo nubere bonum non fuiſſe, ut colligitur ex *Ovidio*, & *Plutarco*; ex quo patet in errorem incidiſſe *Alex. Taſſonum*, qui in ſuis opinionibus dixit, Ferrarienſes noſtros non nubere tali menſe conſueviſſe, nam etiam Romani antiquitùs à nuptiis abſtinebant menſi Majo ut advertit *Gyraldus noſter in lib. de menſ. & ann.*

Junius dicitur à Junone, vel, ut ſuprà dixi à Junioribus Populis, quibus dicatus à Romulo fuit; Illi autem qui ajunt à Junone ſic dici, huic innituntur rationi, nam iſto menſe Junoni magni habebantur honores, undè a multis Junonius, non Junius dicebatur, ſic *Ovidius*

Eſt illic menſis Junonius.

Et ſicut aliqui volunt in Coment. Faſtor. apud Majores Romanos hæc appellatio menſis Junonii diù manſit, ſed poſteà detritis quibuſdam litteris, ex Junonio Junius fuit dictus; Aliqui Junium à junctis, & unitis Sabinis, & Romanis dici voluere, unde *Ovidius*

Et lare communi generos, ſocerosque receptos,
His nomen junctis Junius inquit habet.

Nonnulli deducunt hoc nomen à Junio Bruto, qui pulſo Tarquinio Tyranno primus Romæ Conſul, ac liberator eſt factus.

Julius menſis, qui, & Quintilis nuncupatur, quià quintus à primo, nempè à Martio eſt in honorem Julij Cæſaris, qui hoc menſe eſt ortus, Julius eſt appellatus; undè *Macrobius* ait, in honorem Julii Cæſaris Dictatoris Julius eſt dictus, quod hoc menſe ad quartum idus Quintilis, Julius procreatus ſit.

Auguſtus pariter menſis antea Sextilis dicebatur, quia à primo menſe id eſt Martio ſextus eſſet; dicebatur autem Auguſtus in honorem Auguſti, qui inſigniores eo menſe res geſſit: & hoc ex Senatus Conſulto, nam Imperator Cæſar Auguſtus menſe Sextili Conſulatum ſuſcepit, triumphos tres in urbe tulit, & Ægyptum hoc menſe in poteſtatem Populi Romani redegit, ut no-

Z 3 tat

tat *in Saturn. Macrobius*; Ideoque de hac re plebiſcitum factum fuit, Sexto Pacuvio Tribuno plebem rogante.

September menſis ſic vocatus eſt, quia à primo, nempè Martio ſeptimus eſt; *Priſcianus* autem putat ab voce *imber* ſic dici, ſed a doctioribus Criticis id neutiquam probatur; volebat enim hic Autor Septembris menſem ab imbre dici, eo quod, ut ego puto, ſæpè hoc menſe pluviæ cadant. In tutela autem Vulcani fuiſſe hunc Menſem, ait *Gyraldus*; cujus menſis ſecunda die factum fuit navale bellum inter Cæſarem Auguſtum, & Marc. Antonium, ut teſtatur *Dion. in ſua hiſtoria*. *Macrobius* autem inquit menſem Septembris principalem ſibi retinere appellationem ex Germanici appellatione.

October ita dicitur, quod octavus eſſet à primo, nempe Martio; hunc menſem ſuo nomine Domitianum invaſiſſe, ait *Macrobius*; In Martis autem tutela erat, undè October equus appellabatur, quia in Campo martio menſe hoc immolabatur quotannis Marti bigarum victri, cum dexterior, teſte Gyraldo noſtro, & Equus potiùs quàm bos immolaretur, quia hic bello, bos eſt frugibus pariendis aptus, cùm ergo Octobri Mars pæſideret, hinc eſt, quod tali menſe immolabantur Equi, qui Deo Marti erant dicati; de hoc plura cupienti dabit *Feſtus*.

November menſis ita dictus, quia nonus à primo nempè Martio; ſub pæſidio Dianæ fuit apud antiquos Romanos, & hoc menſe maria claudi dicebantur, & Jovi Epulum celebrabatur; Vacunalia etiàm tali menſe celebrari fuiſſe ſolita, ait *Gyraldus*; Vacuna autem erat Dea, quæ præerat vacantibus, & otioſis, cui à laboribus cùm vacarent Agricolæ poſt captos fructus, & agrorum cultus per hyemem ſacra faciebant, hinc *Ovidius*

Nam quoque cum fiunt antiquæ ſacra Vacunæ
Ante Vacunales, ſtantque, ſedentque focos

December demum menſis eſt decimus à primo, id eſt à Martio, undè, & nomen illi eſt, In Veſtæ tutela fuit, & dicatus Saturno, undè Saturnalia celebrabantur hoc menſe, bellum ſumere nefas erat, ſicut à nocente pœnas exigere piaculare; de hoc menſe plura apud *Macrobium*. Hic autem notandum, antiquitùs Annum ex X. menſibus tantùm conflatum fuiſſe, multo tempo-

re autèm poſt Romulum Januarium, & Februarium additos illi fuiſſe aiunt, ſicque annus ex XII. Menſibus, compoſitus fuit, ut etiam hodie.

CAPUT II.

De Poculis antiquis.

CUm varia ſint poculorum genera, ego ad tria tantùm refero, *Sextans* nimirùm, *Deunx*, & *Triens*. Primum eſt illud genus, quo valetudinarii, & temperati utebantur, ſecundum quo intemperati, ac bibaces, tertium tandem hoc eſt *Triens*, quo plerique ordinariò, & quotidiano victu utebantur; In conviviis à parvis calicibus incipiebant, & in capaciores terminabant, uſque ad ſordidam Ebrietatem; ſolemne fuit, ut Deo alicui libarent, id eſt ex calice levitèr aliquam partem vini diffunderent, vel in menſam, vel in terram, & quandoque in honorem Amici, aut alicujus Fœminæ amatæ tot cyathorum vinum potabant, quot literæ in ipſius eſſent nomine, ſic Martialis

Nævia ſex Cyathis, ſeptem Juſtina bibatur
Quinque Lycas, Lyde quatuor, Ida tribus.

de quo uſu multa me ſcripſiſſe recordor in *Epiſtolis memorabil. Anton. Bulifoni Neapoli Impreſſ. ann.* 1698 *tom.* 4. *pag.* 265., nunc ad pocula redeamus.

pocula igitur primò fictilia fuere, potiſſimùm ex terra Samia, undè *Auſonius* cecinit

Fama eſt fictilibus cœnaſſe Agathoclea Regem,
Atque abacum ſamio ſæpe oneraſſe luto.

De faginis calicibus meminit *Virgilius in Eclog.* 3

Pocula ponam fagina. . . .

& *Ovidius in lib.* 3. *Faſtorum*

Terra rubens crater, pocula fagus erat.

De poculis è cornibus bovinis paratis multi antiqui Scriptores egerunt

egerunt, & ego de hac materia nonnulla ſcripſi *in tom. 2. Muſæi Minervæ pag.* 185. quem locum videat Lector curioſus.

Electrina pocula magnatibus olim in pretio fuiſſe, ait *Hildebrandus in compend. antiq. roman.*

De argenteis poculis meminit *Juvenalis* canendo

Pauca licet portas argenti Vaſcula puri

Pariter de aureis, & pretioſis gemmis diſtinctis cecinit ipſe *Satyricus*

. . . . nulla aconita bibuntur
Fictilibus, tunc illa time, cum pocula ſumes
Gemmata, & lato ſetinum ardebit in auro.

hinc etiam Virgilius lib. 1. Æneid.

. . . . Cælataque in auro
Fortia facta patrum. . . . . . .

Murrhina fuere illa pocula è murrha facta, lapidis genere, ut multi aiunt, cum odoris commendabili præſtantia, tùm colorum varietate inſigni; de quibus *Juvenalis in Satyr. 6.*

Grandia tolluntur cryſtallina maxima rurſus
Murrhina . . . .

De iſtis poculis multa cupienti dabit *Nicol. Guibertus in lib. de Murrhinis.*

De Vitreis poculis, atque Cryſtallinis pleni ſunt Doctorum libri; de quibus nonnulla collegi ego in *Epiſtola de Arte vitri impreſſ. in Muſeo Minervæ tom. 2.*

Cranium humanum denique barbaris quibuſdam gentibus pro poculo fuit; Sic Alboinus Langobardorum Rex, Regis à ſe prælio cæſi filiam Roſimundam uxorem duxerat, ex Soceri verò calvaria poculum fecerat quò in Epulis uſus, Roſimundam coegerat, ut eodem poculo biberet tanquàm Patri propinans; quàm injuriam ulta fuit Roſimunda juvene quodam in ejus necem impulſo pactione nuptiarum; quàm hiſtoriam tragicam, ſed curioſam egregiè narrat *Paul. Diaconus lib. 1. de Geſt. Langobard.*

CAPUT

CAPUT III.

De calculo albo, & nigro apud Veteres.

CAlculum cretæ abſolutionis, carbonem verò condemnationis Symbolum fuiſſe apud Veteres, ait *Alex. ab Alexandro lib.* 3. *Gen. dier. cap.* 5., undè *Ovidius lib.* 15 *Metamorphoſ.* cecinit.

Mos erat antiquis niveis, atriſque lapillis,
Hos damnare reos, illos abſolvere culpa.

Antiqui enim per cretam album, & candidum, ac per carbonem atrum, & nigrum colorem ſignificabant, licet tamen ater à nigro differat, quoniam omnis ater niger eſt, at non omnis niger ater eſt; ater enim horroris aliquid habet, eſtque viſu triſtis, & injucundus, ac proindè etiam lugentibus peculiaris, at niger non ita, eſt enim apud nos nonnunquam lepidus, ac venuſtus; Attamen, & color ater, & pullus, & niger antiquis infauſtus fuit, undè iſtis coloribus in parentalibus utebantur, & qui mortuis juſta perſolvebant, atris veſtibus induebantur, & dicebantur atrati, pullati &c. hinc meritò *Alciatus in ſuis Emblemat.* pullum vocat mœſtitiæ colorem, dùm canit

Index mœſtitiæ eſt pullus color.

Quod etiam ex hiſtoria Theſei nobis proditum eſt, hic enim occiſo Minotauro, cum ad Patriam rediret, & imprudenter nigro uteretur Velo; Pater ejus à longe hunc colorem tanqnam mortis filii ſignum accipiens, ſe in mare præcipitem dedit. Hic vero cum *Tiraquello in Alexandr.* prætermittere nolo alba ſemper læta, & auſpicata fuiſſe credita, undè atros dies infauſtos dicebat *Macrobius*, cùm *Nonnio Marcello*, ex quò *Virgilius*

Abſtulit atra dies. . . . .

iſti ſunt dies illi, quibus apud Veteres legiones educere, aut acies cum hoſtibus committere, vel quiquam Reipublicæ agere Religio non permittebat, propterea vocabantur religioſi, & triſti omine infames, in quibus, & res divinas facere, & rem quampiam no-

vam exordiri non licebat, cur autem dies primos poſt Kalendas, Nonas, & Idus, tanquam atros religiosè Antiquorum plerique vitaverint, rationem aſſignat ex *Ver. Flacco* deſumptam *Aul. Gellius noct. attic. lib* 5. *cap.* 17., his verbis, Propter hanc cauſam atri di-
„cuntur, quia Urbe à Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in
„Senatu verba fecit; Q. Sulpitium Trib. milit. ad Albiam adver-
„sùs Gallos pugnaturum rem divinam dimicandi gratia idus fe-
ciſſe, tùm exercitum Romani populi obſidione occiſum, & poſt
„diem tertium ejus diei urbem præter capitolium captam eſſe, com-
pluresſque Senatores recordari ſe ſe dixerunt, quoties belli geren-
„di gratia res divina poſtridiè Kalendas, Nonas, Idus à Magiſtratu
„Populi romani facta eſſet ejus belli proximò deinceps prælio,
rem malè geſtam eſſe; Hinc *Macrobius lib.* 1 *Saturn.* de atris hiſce diebus ait: *omnes potriduani dies, ſeu poſt Calendas, ſeu poſt Nonas Iduſve, atri ſunt, ideò, & Nonas inhabiles nuptiis eſſe dixerunt.*

Dicuntur etiam à multis dies Ægyptiaci, vel quia illis diebus percuſſa fuit Ægyptus, vel quia primi fuere Ægyptii, qui invenerunt dies cavendos, tanquam nefaſtos, & infortunatos; hinc Nonæ etiam inter atros dies numerabantur ab Antiquis quia Meretrix poſt nonam in lupanari proſtabat, ut monet *Conr. Ritershuſius com. ad Salvianum*, undè *Perſius* nonariam Meretricem ſic vocat

Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.

& cùm *Perſio Stuchius in Antiq. Conviv. lib.* 1. nonariam dicit Meretricem, tanquam infauſtam, ac omninò damnoſam juvenibus, quos peſſundant Meretrices, expillant, & ad miſeriarum voraginem detrudunt; De hac autem re plura curioſis dabunt *Cæſar Calà de feriis quæſt.* 4., *Aul. Gellius noct. attic.*, *Macrob. Saturn.* & alii plures; nos verò ad album, & nigrum redeamus. Nigros appellat *Horatius* eos qui in vitia cadunt, dum canit

Hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Et nigrum pro mortuo accepiſſe videtur *Servius* dùm illud *Eclog.* 5 ediſſerens ait, *contrà Mortuos nigros dicimus*, hinc *Juvenalis*

. . . . *& populum nigros efferre maritos.*

nam, & mortem nigram vocat *Statius Theb. lib.* 9.

. . . . *& nigræ præcedunt funera Mortis.*

Album autem viventis eſſe Symbolum docet *Martinus de Roa ſin-*

gular.

gular. lib.6. cap. 15. Alii nigrum pro malo, album pro bono uſurpant, undè *Perſius*

. . . . . . *per me ſint omnia protinus alba.*

Et *Juvenalis in* 3. *Satyr.*

. . . . . . *qui nigra in candida vertunt.*

nec non *Ovidius cecinit*

Candida de nigris, & de candentibus atra

quos explicare videtur *Terentius in Phorm. cùm ait*

His pretium nunc eſt; qui recta prava faciunt.

Album inſuper puritatis, fidei, ac caſtitatis, aliarumque virtutum eſt ſignum, undè religioni eſt accommodatum, hinc *Cicero* 2. *de legibus ait: Color albus præcipuè decorus Deo eſt;* ideoque candidæ veſtes olim in Sacrificiis erant in uſu, cujus cauſam reddunt *Plato*, & *Plutarcus.* Sicut autem album virtutum erat indicans, ità nigrum vitiorum, ac ſcelerum erat argumentum, ut ſuprà innui; ſic Rei in atra veſte prodibant, ut Corn. Lentulus Prætor ob conjurationis facinus, & huc facit illud Pythagoræ *à nigram caudam habentibus abſtine*; cujus Symboli optimam explicationem habet *inſignis noſter Ferrarienſis Co.Franc.Bernius in ſuis Arcan.moral pag.* 44. De albis ſententiis hoc eſt non obſcuris, & tenebricoſis loquitur *Adr. Turnebus in lib. 6. adverſar. cap.* 4. his verbis; *Aſinius Pollio apud Senecam Albutii ſententias. quæ apertæ erant, & faciles, appellat albas.* Nigrum interdum pro infauſto, infelici, luctuoſo, & inauſpicato ſumitur ab Autoribus, ut è contra candidum, ſivè album pro fauſto, felici, ac victoriæ ſigno, undè qui re bene geſta in bello cum triumpho in urbem ingrediebantur in Curru Equis albis tracto vehebantur; hinc proverbium *Equis albis percurrere.*

Album colorem proprium libertatis eſſe docuit *Lipſius in lib.* 1. *elector. cap.* 15. Id autem, quod eſſet coloris albi ad boni naturam pertinere aiebant Pythagorici, quod veró atro colore induebatur, mali, cui alludere videtur illud famoſum *Juvenalis* Adagium

. . . . . *quia tu gallinæ albæ.*

de quo *Eraſmus*, & *Manutius*; Quare meritò poſtea apud Athenienſes Sacra ob lætitiam quampiam faciens, alba veſte induebatur, ut de Demoſthene tradit *Plutarcus in ejus Vita*.

Olim fuiſſe conſuetudinem apud Cretenſes, ait *Chriſt. Lambinus com. in Horat. carm. lib.* 1., ut quot dies ſibi feliciter evenirent, tot albos lapillos in vaſculum conjicerent, nigros verò in iis qui infeliciter eveniſſent, atque elapſo anno enumerabant albos, totidemque ſe dies vixiſſe dicebant, undè *Perſius* cecinit

Hunc Macrine diem numera meliore lapillo
Qui tibi labentes apponat candidus annos.

Non ſolum Cretenſium iſte mos erat, verùm quoquè Thracum fuit hæc conſuetudo, ut ſcribit *Plinius*, & de his loquens *Lambinus*, ait *Thraces eos dies, quibus ſecunda Fortuna eſſent uſi, jucundèque & beatè vixiſſent albo lapillo notabant, nigro contrarios*: proptereà dies felices, albos Soles vocabant, triſtes verò nigros, quia illos albis, hos nigris lapillis notabant, undè *Horatius in Satyr* 9. canit

. . . . *hunccine ſolem*
Tam nigrum . . . .

ſuum caſum deplorans; *Catullus* contrà Soles candidos uſurpavit pro diebus lætis, & jucundis

Fulſere quondam candidi tibi Soles.

Candidam etiam, hoc eſt felicem noctem vocat *Propertius* his carminibus

O me felicem, o nox mihi candida, & o tu
Lectule delitiis. . . . .

immò Auroram candidam dixit *Tibullus lib.* 1. *Eleg.* 3.

. . . . . *hunc illum nobis Aurora nitentem*
Luciferum roſeis candida portet equis.

Album pariter colorem hyemi convenire, ob nives candidas, ait *Tertullianus in lib*: de *ſpectaculis*; & Veſtes candidæ tanquam præmium Victoribus promittuntur *in Apochalypſi cap.* 3. his verbis *Qui vicerit veſtietur veſtimentis albis*; de qua re *vid. Picinel in lum. reflex. part.* 9. Candidam faſciam denique, tam Romanis quam exteris gentibus, regium inſigne fuiſſe à Libero patre inventum teſtatur *Plinius lib.* 7., undè Tigranem Armenum candidam faſciam inſigne regium ante Pompei pedes abjeciſſe, velut à Dominio ſe abdicantem, ſcripſere *Dion, Plutarcus*, & *Marc. Donatus in annotat. ad Ælium Lampridium.*

CAPUT

CAPUT IV.

De Termino convivii, tubarum ſonitu, ac de Cedrinis menſis.

TUbarum ſonitum apud antiquos terminum convivii ſignificaviſſe colligitur ex *Tacito Annal. lib.* 15. his verbis; *initia vigiliarum per Centurionem nunciari, convivium buccina dimitti*; undè *Lipſius com. ad loc. Taciti*, & *in lib. de militia Romana* ſcripſit, *ut tempore convivandi cuncti Tibicines ac Buccinatores ad Tentorium Ducis perſonent*; hinc *Atheneus lib.* 4. Cœnam ſponſalem, ac magnificam Carani Macedonis Tubæ ſonitu terminaviſſe, meminit his verbis, *quod tandem extremæ cœnæ tuba ſignum editum eſt*; Quapropter ego Macedonum morem univerſalem fuiſſe claudendi convivia tubæ ſonitu deduco, maximè quia ipſe *Atheneus* addit *Macedonum enim tu conſuetudinem non neſcis in frequentibus epulis obſervatam*. Atque *Ælianus in var. hiſtor. lib.* 8. *cap.* 7. hoc de Macedonum uſu ait: *Tubæ ſigno accumbebant, eodemque ſigno finem adeſſe ſignificabatur*; ex quibus ergo apparet tubæ ſonitum finem conviviis apud aliquos veteres conſtituiſſe, quod ſanè apud nos hodie minimè eſt in uſu; immò, multos Magnates, quando convivia incipiunt, tubæ ſonitum indicunt, qui non niſi convivii termino, finitur.

Cedrinæ verò menſæ olim apud Romanos in pretio magno fuere, de quarum luxu ſcribens *Plinius lib.* 13., ait *confines ei Atlanti monti, Mauri, quibus plurima arbor cedri, & menſarum inſania; quas fœminæ contra margaritas regerunt*; iſtarum autem pretii ratio erat regionis diſtantia, cùm apud Atlantem Mauritaniæ Montem harum materia reperiretur, quod teſtatur *Martialis lib.* 14. his verbis

Accipe felices atlantica munera Sylvas
Aurea qui dederit dona minora dabit.

Figuram haſce menſas habuiſſe rotundam, ait *Stuckius lib.* 2 *antiq. convival. Seneca* etiam ſui temporis luxuriam deteſtatus eſt, dum citri radices inſanis licitarentur pretiis ad menſarum, & lecto-

rum ornamenta, ex qua Senecæ ſententia multi eas è citro fuiſſe confectas ſunt arbitrati; quidam tamen contra, quod citri materies menſarum amplitudinis minimè ſit capax; Verior tamen opinio, ut non è citro: quæ fert citrea, ſed ex alia ejuſdem generis, quæ in Anchorario Monte citerioris Mauritaniæ, & Atlante naſcitur; Citrearum iſtarum menſarum meminerunt *Paulus Jur. Conſ.*, *Tertullian. lib de Pallio* ſub finem *Hermol. Barbarus Cor in Dioſcor.*, *Beroald. in adnot. ad Lucan.*, & alii plures. Ciceronianarum etiam menſarum nomine inſignitas fuiſſe cedrinas has tabulas à multis colligitur ex *Dempſtero ad Roſin. lib.* 5., & deducitur à *Tertulliano lib. de Anima*, qui ſic ſcribit: *Quod menſis Ciceronianis infertur;* unde *Plinius* habet verba ſequentia: *extat hodie Tabula M. Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt illo ævo empta HS. undecim memoratur, & Aſinii Pollii HS. undecim venundata.* Maculatas autem iſtas cedrinas tabulas fuiſſe colligitur à *Petronio in Satyric.* dùm cecinit

. . . . . . .Ecce afris eruta terris
Citrea menſa, greges ſervorum, oſtrumque renidens
Ponitur, ac maculis imitatur vilibus aurum.

Et maculas has non ad purpureos tapetes, ut ille loquitur, refero, ſed ad citreas menſas, quæ quo majoribus conſpiciendæ maculis, eo cariores erant; de qua re videatur *Plinius*.

CAPUT V.

De Tragœdia.

TRagœdia, juxtà *Teophraſtum* eſt Heroicæ fortunæ calamitas; & ſuadente *Scaligero* eſt imitatio illuſtris Fortunæ, fine tamen infelici, gravi carmine conflata, quæ definitio deſumpta fuit ab *Ariſtotele; Udenus Niſieli*, ſive *Benedict. Fioretti* magnus ille criticus vocat Tragœdiam purgatricem affectuum vitioſorum medio pietatis, & timoris, quod confirmare videtur *Clariſſ. Muratorius*

*in Perſ. Poes. lib.*3. *cap.* 1. Cùm ergo Tragœdia moveat animos auditorum ad pietatem, & ſic pariat illam delectationem innocentem, & utilem, finem præcipuum Poetarum, hinc eſt, quod à funeſtis actionibus vim habet; Ita *Scaliger* ait, non in ſola lætitia jucunditatem ſitam eſſe, ſed ex quacumque diſciplinæ adeptione capi poſſe, diſcit enim ſpectator, quemadmodum picturarum, quoque facies horribiles, nihilo ſecius ſpectantur, & juvant, undè *Jac. Mazzonus* ſcripſit, Tragœdiam debere in omnibus ſuis partibus impleri ærumnis, quod confirmare videtur *noſter Clariſſ: Pigna*, dùm inquit, illas Tragœdias magis eſſe gratas, quæ in triſtitiam mutantur, iſtæ enim magis docent, hinc *Cælius Rhodiginus* hoc habere proprium, ait Tragœdias, ut in adverſam deſinant fortunam; ſuppoſito igitur eſſe partem neceſſariam in Tragœdiis motionem pietatis; quæ ut plurimùm provenit à morte innocentibus illata, non incongruum puto hic quærere, an melius ſit narratio funeſti facti, an vero ejus repræſentatio, ad hoc, ut actio ducatur ad terminum ſuum, per terribile, & miſerandum, ſine quibus nequit haberi Tragœdia, quæ bona ſit. *Horatius ad Piſones* ſcribens docet, Medeam ante populum occidere non debere ſuos filios: *Nec pueros coram populo Medea trucidet;* attamen per hoc non tollitur, ipſum Horatium aliquandò approbare publicas occiſiones, ſed tantùm illas vetare, quæ turpiter fiunt; & ſic noſter *Pigna* dat exempla, quæ ad tria capita referri poſſunt, & hæc ſumpta ſunt à verbis ipſius Horatii; unum eſt illud, quod non eſt efficax, aliud eſt illud, quod non eſt commodum, tertium verò illud, quod non eſt poſſibile, & ſic tantam vim puto non habere, ſi Medea coram populo trucidet filios, ac ſi hæc atrocitas narrata audiretur, dùm loca horroris, & miſerationis melius exprimentur à narratore, qui id verbis ad pietatem accommodatis repræſentet, quàm ab eadem actione, licèt contrarium ſentiat *Paulus Benius* innixus autoritati ipſius Horatii

Segnius irritant animos demiſſa per aures,
Quam quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus.

Sophocles autèm, & alii antiquiores, in ſuis Tragœdiis meliora ſequuti, nunquam induxere coram populo atrocia facta;

Quan-

Quantùm verò ad non commodum, parum ſanè aptè coram adſtantibus, v. g., Atreus proprios nepotes coqueret, ideoque melius eſt hujus ſceleris narrationem afferre; undè *Poeta* cecinit

Aut humana palàm coquat exta nefarius Atreus.

Ad non poſſibile tandem refertur illud Prognis, & Cadmi, cùm prima in avem converſa ſit, & alter in anguem; ſic *Poeta*

Aut in avem Progne vertatur, Cadmus in anguem.

Debet ergò in tragicis obſervari, quod quando nihil abſurdi cadat coràm populo, tunc licet necem publicè repræſentare; Quod ſi plures ſint in Tragœdia occiſiones, illa in tali caſu, narratori linquenda eſt, quæ præcipua putatur, & quando videbitur jam ſatis pietatem, miſerationem, & lachrymas motas eſſe in populo adſtante, tunc licebit extrà mittere nocentem, qui remanet, ut publicè ſemetipſum occidat, aut ab alio occidatur, ut egregiè fecit in ſua *Orbeche Gyraldus noſter*, in hoc imitatus exempla antiquorum ſcriptorum; ſicque fecit *Clariſſ. Petr. Cornelius in ſuis Tragœd.*, & *Thomas*, & *Racine* cum aliis illuſtribus Gallis Poetis.

Et hìc notari debet, mortem ſceleſti hominis in Tragœdia ſemper intus, & extrà Scenam accidere debere, quia tales mortes non excitant pietatem, & miſerationem, ob Juſtitiam, quæ vult tales impios punitos; ſufficit autem, Auditores, eorum voces ultimas audire, aut hiſtoriam mortis intelligere ab aliquo nuncio, quapropter *Lambinus ſuper Horatium* ait, quædam nimis atrocia, aut horribilia, aut viſu fœda, aut incredibilia, non eſſe coram agenda, ſed ea ſatis eſt ab hiſtrione, quaſi intus acta ſint, renuntiari, & hoc modo miſericordiam commovent, aut terrorem animis inferunt; Hinc valdè miratur *Gyraldus noſter* ob Senecam, qui longè à præcepto Venuſini in ſua Medea ſe tulit, tanto magis, quia ipſe Ariſtoteles non commendavit Euripidem in tali actione; Ut verò Tragœdia ſit apta ad movendam pietatem, debet caſus tragicus cadere in viros in parte bonos, & in parte reos, & ut ait *Piccolominus* in illos, qui ſtant in medio vitii, & virtutis, de quibus agit noſter Gyraldus; Inter Tragœdias ſanè primam ſedem habet OEdipus Sophoclis juxtà *Ariſtotelem*, quià OEdipus quærens punire illum, qui patrem occiderat, & timens ſe commiſceri cum Matre; dum caſtiga-

tionem

tionem parat nocenti, & dum modum quærit evitandi alium errorem, invenit, ſe eſſe illum, qui in tam enormia delicta prolapſus fuit; undè id quod illi accidit, multam commiſeratio- nem obtinuit, nam ille, qui talia flagitia abominabatur, incautè in ea incidit, dùm pœnam nocenti parabat; Optimè igitur, ait *Ariſtoteles*, illum idoneum eſſe ad Tragœdiam, qui nec per virtutem, nec per juſtitiam, nec per vitium, cum ſit in ſtatu felici, ac tranquillo, de repente incidat in ærumnam, non voluntariè, & malitioſè, ſed potiùs imprudenter, ac inconſideratè, exemplo OEdipi, & Thieſtis.

Non tantùm igitur delectationem, ſed utilitatem à Tragœdia, ut ſuprà dixi ſpectatores hauriunt, cùm enim reſpiciunt aliorum exempla, veluti ſpeculum propriæ fortunæ, & actionis, diſcunt correctionem morum, ab illis, qui in Scena repræſentantur; ſicquè Theatrum, teſte *Doctiſſ: Ludov. Ant. Muratorio lib.* 3. *poeſ. ital.*, evadit delectabile gymnaſium bonorum morum, & amabilis Cathedra moralis lectionis; debet enim longè ire ab hilaritate, ut monuit *in Poet. Clariſſ. Franc. Dini.* Tragœdiæ verò pulcherrimæ compoſitio, ut ait *Ariſtoteles in Poet.*, non debet eſſe ſimplex, ſed implexa, & terribilium, & miſerabilium imitatrix; undè eodem ſuadente *Ariſtotele*, Tragœdia melior eſt, & multò perfectiùs Epopeia finem ſuum aſſequitur; Quodnam autem Tragœdiæ genus laudabilius ſit, num ſcilicet quod lætum habeat finem, an verò quod mœſtum, & miſerandum, id eſt, an melior ſit Tragœdia ad lætitiam, quàm Tragœdia ad mœrorem; breviter quod ſentio exponam.

Duo videntur eſſe textus Ariſtotelis, in quibus præcipuè judicat de Tragœdiarum dignitate; in uno docet, Tragœdias ad mœrorem; id eſt, exitus infelicis, pulcherrimas eſſe, in alio verò, optimam vult eſſe illam Tragœdiam, in qua atrocitas non conſumatur, neque perficitur, ſed impeditur cùm exequi deberet; Verùm ſi attente conſideretur cum *Clariſſ. Creſcimbenio* finis Tragœdiæ, qui ut ſupra dixi, eſt purgare humanos affectus medio timoris, & pietatis captæ à miſerabilibus aliorum caſibus, per conſequens dicendum erit, Tragœdiam finis infelicis, & mœſti potiorem eſſe Tragœdia læti finis, quia dolor, & mœſti-

tia imprimunt atrocitatem actus repræſentati in ſpectatorum ideam, cùm qua iſti diſcedunt à Theatro, & ſic animus humanus melius purgatur, quod ſane non accideret, ſi lætum finem haberet Tragœdia, quia Gaudium de facili expellit terrorem, per quem animi purgatio derivat, adeoque optimè ait *Paul. Beni ſuper Poetic.* optimam eſſe illam Tragœdiam. quæ ex felicitate in infelicitatem mutat humanam fortunam, ſic OEdipus qui Rex erat, ac felix reputabatur, verè à felicitate migravit ad infelicem ſtatum, dùm Regnum in exilium mutavit, ac cæcitatem, cujus OEdipi Tragœdia ab Ariſtotele omnibus aliis Tragœdiis anteponitur: Non per hoc autem dicitur, Tragœdiam illam malam eſſe, quæ non tam atroces caſus in ſe contineat, videmus enim, Ariſtotelem commendare Iphigeniam in Tauris, quæ abſquè dubio crudeliter incipit, ſed intercedente agnitione mutatur; ſic pariter valdè commendabilis apparet Meropes Illuſtriſſimi D. Marchionis Scipionis Maffei Poetæ eruditiſſ. hoc Anno 1714. Venetiis tanta fama, & plauſu publicè ad multas vices repræſentata, licèt extincto Tyranno Poliphonte lætum finem agnoſcat, Filius enim Meropis evaſus à mortis periculo de repente ad Paterni Regni Fortunam evehitur; Duas autem eſſe partes Tragœdiæ, ait *Paulus Beni in Ariſtot. Poetic.*, nempè nexum, & ſolutionem, quibus addendæ ſunt Inventio, Diſpoſitio, & Elocutio, quæ omnia ſi ritè, & juxtà regulas Ariſtotelis exerceantur à Poeta, procul dubio bona habebitur Tragœdia; oportet ſiquidem, ut docet *Petr. Victorius*, Poetam curare, ut prædictus ſit facultate præclarè tractandi omnes illas partes, omneſque coagmentationes, & diverſas ſpecies fabularum, ut cùm opus ſit, valeat egregiè mores exprimere, & argumentum, in quo præſertim requiratur induſtria Poetæ, cum laude exequi, & res luctuoſas, in quibus exiſtunt vehementes motus animorum, eximiè itidem conficere; uti antiquis Temporibus fecerunt Sophocles, & Euripides, atquè alii plures Tragœdiarum Magiſtri tùm Græci, tùm Latini, nec non recentioribus Sæculis Itali noſtri, qui cothurnos æquè benè, ac Græci, & Latini, tractaverunt felici Muſarum commercio, proſpero eventu, & plaudente Fortuna; hujuſmodi fuere Triſſinus in Sophonisba, Taſſus in

Toriſ-

Toriſmondo, Gyraldus in Orbeche &c., Bonarellus in Solimano, Campegius in Tancrede, Speronius in Canace, Co: Dottori in Ariſtodemo, & nuperimè ſuprà citatus Marchio Maffeius in Merope, & Petrus Jacobus Martellus Bononienſis in Proculo, atquè aliis Tragœdiis nova Italicorum carminum ſpecie exaratis, in quibus ſumma Autoris peritia elucet. Obiter autem notandum cum *Mart. del Rio*, Poetam curare ſummoperè debere, ut totius Tragœdiæ periodus, ſit actio unius potiſſimum Diei, vel paulo plus, minuſvè, & *Ariſtoteles* hoc disertè præcipit, & veteres omnes factitarunt, undè Æſchilus, teſte *Suida*, reprehenſus fuit, quia Niobem triduò exhibuerit; in quinque porrò actus dividi debet Tragœdia ex *Venuſini* præcepto

Neve minor, neu ſit quinto productior actu.

& iſti actus ſunt quaſi ſingula Tragœdiæ membra, quibus ſingulatim partes illius exhibentur; Hinc patet unumquemque actum partem aliquam fabulæ abſolvere debere, ità tamen, ut à præcedente ſubſequens quodammodò trahatur, utquè res non diſſipata, ac disjuncta, ſed aptè diſtributa videatur; cur autem quinque tantùm ſint actus Tragœdiæ, cauſam referendam eſſe in Poetis, ait *Donatus in Poet. lib. 2.*, quibus ſcilicet talis partitio placuit; niſi potius iſti per quinque actus fortaſſe, hominum vitam adumbrare voluiſſent, quæ ſcitè admodum comparatur cum fabula, undè rectè *Apulejus* de comico Poeta, qui daturus in Theatro fabulam repente inrerierat, *renunciavere*, inquit, *Philemonem Poetam jam domi veram fabulam conſummaſſe;* Vita enim hominis antiqua diviſione in quinque partitur ætates; Per hoc autem non nego, poſſe etiam fieri bonam Tragœdiam ex tribus Actibus tantùm; dummodò ſit juxtà præcepta Ariſtotelis conflata; An autem Tragœdia ſoluta oratione, an verò metro ſit conficienda quærunt aliqui, ad quod reſpondet *Gyraldus*, Tragœdias, & Comædias verſibus eſſe exarandas, ad hoc, ut laudabiliter compoſitæ appareant. Plura de Tragœdia cupienti dabit *Illuſtriſſ. Creſcimbenius Dominus meus ſemper colendus.*

CAPUT VI.

De Genio, & Laribus.

GEnius à gignendo ſic nuncupatur, quia nobiſcum gignitur, vel nos genitos ſuſcipit, & tuetur, undè natalis Deus dicitur ab *Illuſtriſſ.*, *& Reverendiſſ. D. Phil. à Turre Adrien. Epiſcopo digniſſ.*; A multis vocatur Deus naturæ, ſic genio indulgere, geniumque defraudare paſſim dicitur; Antiqui duos Genios unicuique tribuere; Bonum nempè, & Malum; Primus qui ad opera bona hortabatur, ſecundus qui ad mala concitabat; ità *Cenſorinus de die natali*, ait: *Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit, qui ab utero matris exceptum ad extremum vitæ diem comitatur.* Hunc autem Deum placare erant ſoliti Antiqui Gentiles floribus, & vino, undè *Horatius* canit

. . . . Sylvanum lacte piabant
Floribus, & vino Genium . . . . . .

Aut juxtà *Tibullum lib.* 4. Thure

Magne Geni, cape thura libens, votiſque faveto.

Inſuper erat, & loci Genius, cui ſacra reduces faciebant, ut eſſet propitius; Ità *Virgilius* de Ænea Italiam ingreſſo ait

. . . . . . Frondenti tempora myrtho
Implicat, & geniumque, loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphaſque, & adhuc ignota precatur
Numina . . . .

& *Calphurnius* Poeta antiquus cecinit

Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salſo farre voca . . . .

Fuit quippe è diſciplina veterum, ut colerent Deum loci, ad quem accederent, & hunc vocaviſſe Genium Loci, ait *Lacerda ſup. Virgilium.*

Jurare

Jurare pariter per Genium Cæſaris, vel Principis maximum juramenti genus erat apud veteres Gentiles; ſic *Tertullianus in Apolog.* ſcripſit: *citius apud vos per omnes Deos, quàm per unum Genium Cæſaris pejeratur;* undè *Minutius Felix in Octavio* pariter ait: *tutius eſt per Jovis Genium pejerare, quàm Regis*, & rationem aſſignat *Woverus in not. ad cit. Autor.*, quia pejerantes per Deos non puniebantur, at per Principis Genium fuſtibus caſtigabantur; ut etiam monuit *Lipſius ad Tacit.*, & *Elmenorſtius ſuper Minut. Felicem.*

Relicto autem Genio, ad Lares me converto, qui erant Dii Domeſtici ex Mercurio, & Lara Nympha geniti, de qua generatione videantur Mythologi; Methonymicè pro Domo ipſa ſumuntur, & ab Autoribus uſurpantur; Apud Plautum familiaris eſt Lar, qui certæ Domui, ac familiæ præeſt. De Laribus intelligit *Ovidius, in lib. 2. Faſtor.*

. . . . . . qui compita ſervant,
Et vigilant noſtra ſemper in urbe Lares.

Iſtis Diis diſcedentes valedicebant antiqui, & revertentes eos pariter ſalutabant, & adorabant, undè *Terentius in Phorm. act. 2.* ait

Deos Penates, hinc ſalutatum Domum divertar.

Laribus autem vinum, & Thus offerebantur ab Ethnicis, & variis etiam florum coronis exornatos Lares ipſos fuiſſe monet *Hildebrandus*, hinc *Tibullus* cecinit.

Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis impoſuit Laribus.

& *Juvenalis in Satyr.* XII.

Laribuſque Paternis
Thura dabo, atque omnes violæ jactabo colores.

Plura de hac re legantur apud *Carol. Paſcalium in ſuo pulchro opere de coronis*, & apud *Illuſtriſſ. D. Com. Silveſtrium in notis ad Juvenal. egregiè exaratis.*

CAPUT VII.

De Strenis.

STrena, cujus meminit *gloſſa in l. laudab. cod. de Advocatis*, munus ſignificat quod Advocatis, & Amicis dabatur; iſtarum autem origo, qua felix annus ominabatur, ipſius auſpicio, & initio a Tatio Rege manavit, ſi *Adriano Turnebo* fides habenda eſt, qui Rex primum Romuli hoſtis, deindè collega in Regno Romano fuit; hoc, quia, & ſtrenæ ne hoc quidem tempore exoleverunt literis mandare voluit, ut, & antiquitatem rei intelligat Lector, & ſciat Authorem iſtius moris; Hinc *Symmachus in quadam epiſtola* ſic ſcribit; *ab exortu urbis martiæ ſtrenarum uſus adolevit Tatii regis authoritate*, *&c.* Aliqui ſtrenas à Verbo ſtrenuo derivare volunt, eo quod ſtrenuis viris ob virtutem conveniebant; *Lippenius* verò à Dea *Strenia*, ſivè *Strenua* Strenas derivatas eſſe dicit.

Strenæ Romanis, & Sabinis erant propriæ; Alia munera Principum, Perſis cum reliquis orientalibus communes fuiſſe aiunt; Iſta vero certè de quibus *Ælianus* Xenia potius, quàm Strenæ erant, quæ dabantur prima Januarii die, Kalendis enim Januarii ſacris litabant, & omnem Religionem renovabant, auguria capiebant, & ad Deorum pulvinaria ibant, multa animi ſubmiſſione, ſivè rectiùs ſuperſtitione; ob tantam ergo iſtius diei religioſitatem, ſtrenæ diſtribuebantur, & tanta erat harum ſolemnitas, ut luctus publicus ceſſaret, de hoc enim narrat *Ælius Spartianus*, quod Ælius Verus prohibuerit, ſtrenarum cauſa, ne Commodum mortuum circa Kalendas Januarii lugerent. Hac die novi Conſules dicebantur annum aperire, annum deſignare, ac faſtos reſerare; Iſta autem munera, quæ ſub ſtrenarum nomine Amici Amicis Kalendis Januarii una cùm votis offerebant, adhuc perdurant, noſtris enim temporibus ad Anni principium, ſalutem pro toto Anno precantur, & ſtrenam poſcunt, ut vulgò dicitur *buona mano*, *ò ſia*

mancia di Natale; undè apud *Martin. Lippenium in ſuo lib. de Stren.* Italos ſingulis annis in Kalendis Januarii ſtrenas pueris, ſervis, & aliis, boni ominis gratia, exhibere, & munera hæc tradere ſolitos eſſe legitur; imò inſtitutis Bacchanalibus, choreas ducunt, ſaltant, perſonati per civitatem incedunt, convivia ſplendida parant, & quoquo modo inſaniunt. Strenæ autem variæ antiquitùs fuerunt; primò ſcilicet herbaceæ, poſtea in ære, argento, in auro ſignato, in annulis, in veſtibus, in libris, in Vino, in avibus, in pateris, & in carminibus, & iſtæ carminum Strenæ poeticæ dicebantur, quarum exempla exhibet *citatus Lippenius*.

CAPUT VIII.

De uſu Lucernarum ad Feneſtras.

IN publica lætitia, & in ſacris Feriis appendere luminaria ad januas, & feneſtras, uſus eſt antiquiſſimus apùd Hebræos, Græcos, Romanos, & Ægyptios; ſic *Perſius*.

Herodis venere dies, unctaque feneſtra.
Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

& hoc dicit, quaſi eſſet vitiorum ſui ævi gravis caſtigator, & ſic Romanorum levitatem arguit, qui ſe Judæorum ſuperſtitionibus obligaverant; Hebræi ſiquidem in ſuis Sabbatis talem lætitiam adhibebant, quem uſum ab Ægyptiis acceperant; *Herodotus* enim ait feſtum diem egiſſe Ægyptios lucernis impoſitis, & à Græcis dicebatur feſtum luminum; huic uſui alluſiſſe *Juvenalem* puto *in Sat.* 12., dùm canit

. . . . *longos erexit janua ramos,*
Et matutinis operatur feſta lucernis.

alii ita legunt

Et matutinis operitur feſta lucernis.

ſuper quem locum, ità ſcribit *Lubinus*: *Ex conſuetudine hoc ait, Poeta, qua in omni publica, & privata lætitia receptum erat, januam ornari lauro, & lucernis.*

Ovidius in Epiſt. *Undi-*

Undique collucent præcinctæ lampades auro.

Seneca in Thyeſte Act. I.

Ornetur altum columen, & lauro fores
Lætæ vireſcant, dignus adventu tuo
Splendeſcat ignis . . . .

Claudianus de Nupt. Honor.

Plurima venturæ ſuſpendunt lumina nocti.

& *Statius de Stellæ nuptiis lib.* I. *Sylvar.*

Fronde virent poſtes, & fervent compita flammis.

Mos autem iſte appendendi feneſtris luminaria apud Sinas in feſtis, & publica lætitia obſervatur, ut ait *P. Mapheus lib. 6. hiſtor. Ind.*, his verbis: *Parietes, forniceſque, viridi fronde, micantibus roſis, & pretioſo periſtromate veſtiuntur; Fragrant odoramentis, ac floribus viæ; accenſis funalibus, ac laternis arbores, pergulæ, feneſtræ collucent, &c.*; Quin, & talis conſuetudo apud veteres Chriſtianos invaluit, teſte *D. Paulino Natal. S. Felicis 6.* dùm canit

Multiforeſque, cavis lychnos laquearibus aptent,
Ut vibrent tremulas funalia pendula flammas.

Viget pariter, & hic mos commendabilis apud nos, & vel ob adventum Principis, vel ob Summi Pontificis creationem, vel ob feſtum Sanctorum, ſuper feneſtras domorum noctis tempore apparent accenſæ lampades in tali copia, ùt totas illuſtrent Plateas, ac illuminent Vias; ità viſum fuit ob feſtum Canonizationis noſtræ Sanctæ Catharinæ Vigriæ Ferrarienſis Monialis Illuſtris Ordinis S. Claræ, dùm 22. Menſis Octobris Anni 1712. in Nocte, tota noſtra hæc Civitas illuminata fuit, ità ut quælibet etiam parva feneſtella proprias haberet lampades; adeóque nox illa clarior eſſet die ipſo, atquè poteſt juſtè dici illud feſtum, & quoad luminaria, & quoad alia pomparum genera, ſingulare in noſtra Urbe, ſaltem noſtris temporibus.

CAPUT

CAPUT IX.

De Fibulis.

Fibulam dicit ornamentum cinguli ad ſubligandam veſtem, tam virilem, quàm uxoriam, *in ſuo Lexico juridico Calvinus*; cujus mentionem facit *Plinius*, & *Bayſius*; moraliter autem *Seneca* dixit Fibulam imponere, pro eo quod eſt coercere, & reprimere; hujus contrarium eſt laxare fibulam, hoc eſt, anſam miniſtrare, aut feneſtram aperire; undè *Tertullianus de cor. milit.* ait; *ut etiam delictis fibulam laxet*; Propriè verò loquendo fibula à verbo latino *fibo* derivat, vel à verbo *fibulo*, à findendo autem fibulam dicit *Scaliger*, quaſi findat id quod perforat; certè autem fibulare, conjungere ſignificat, undè *Columella lib.* 1. ait *omneſque parietum, & ſoli junctura teſtaceis pulvinis fibulantur.* Intelligit hîc autem Columella de fibula architectonica, de quâ *Vitruvius lib.* 1. *tractat.*, quæ cùm ferrea ſit, tigna conjungit; tria enim eſſe fibularum genera, ait *Caſalius* nempè Architectonicam, Veſtiariam, & Gymnaſticam; Veſtiaria fibula, eſt propriè circulus, & ornamentum cinguli ad veſtem ſubligandam, & hanc fuiſſe in numero ornamentorum muliebrium inquit *Prudentius*

. . . . crinalis acus, redimicula, vittæ,
Fibula, flameolum, ſtrophium, diadema, monile.

Viris etiam ornamenti fibulæ fuere in Penulis, Chlamyde, Toga, Paludamentis, & Pallio; hodie talis eſt fibularum uſus, ut calceamenta etiam ſtringant, & ornent. Fibulæ porrò ex ferro, aurichalcho, argento, auro, ære, ac gemmis ornatæ apparent, ſic de ferrea mentionem agit *Quintilianus lib.* 6. de Ænea *Feſtus de verb. ſignif.* his verbis: *propter æris uſum antiquiſſimum fibulis*; Argentea utebantur milites mediocris fortunæ teſte *Caſalio*, aurea fibula Aurelianus primus uſus fuit; & de hac *Virgilius in* 4. *Æneid.* cecinit

Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.

 de

de Gemmata Imperatorum fibula meminit *Trebel. Pollio in Gallieno ; Gemmatis fibulis, & aureis uſus eſt.*
& *Virgilius in* 5. *ſui Poematis*

. . . . lato quam circumplectitur auro
Baltheus, & tereti ſubnectit fibula gemmæ.

Curioſa eſt Fibula, quæ Gymnaſtica à nonnullis dicitur, quæ Cantoribus, & Comœdis præcipuè inſerviebat; hæc ſiquidem ponitur à Caſaliopro circulo æneo, quo virilia adoleſcentulorum ſolebant coerceri vocis conſervandæ gratia, quæ ex Veneris uſu aſperior reddi ſolet; undè *Corn. Celſus de Re medic. lib.* 7. ait: *Infibulare quoque adoleſcentulos interdum vocis, interdum valetudinis cauſa, &c.*, de hac meminit *Juvenalis Sat.* 6.

Solvitur his magno Comœdi fibula, ſunt quæ
Chryſogonum cantare vetent.

Pariter Athletas, etiam in Palæſtra pugnantes fibulam uſurpaviſſe, docet *Martialis lib.* 7. *Epigr.* 81.

Dum ludit media populo ſpectante palæſtra,
Delapſa eſt miſero fibula . . . .

de quibuſdam fibulis inventis ad venereum concubitum impediendum ab Antiquis Zelotypia correptis, quibus mulierum pudenda coercebantur, mentionem facit *Henr. Salmuthus in not. ad Pancirolum*; quem uſum etiam memorat *Martialis lib.* 14.; hîc autem immorari nolo, dum res eſt parum honeſta.

C A P U T X.

De Analectis, & Lictoribus.

ANalecta ſunt reliquiæ, quæ cadunt è menſa, dùm comeditur, ita ſuadentibus *Turnebo*, *Stephano*, *Calvino*, & aliis; quæ in ſolemni, lautoque convivio in terram decidunt, & propriè ſunt Quiſquiliæ Ciborum, quas tollere nefas erat, cùm Amicis defunctis, atquè Heroibus eſſent conſecratæ, undè, & peculiare apud Ethnicos ſacrificium fuiſſe legimus dictum Protervia, in quo igne conſumebatur quidquid ex epulis ſuperfuiſſet;

&

& ità debere intelligi elegantem illum locum Catonis apud Macrobium, ait *Hildebrandus*; nam cùm quidam nomine Q. Albidius ſua bona comediſſet, & noviſſimè domum, quæ ei reliqua erat, incendio perdidiſſet, *Proterviam* eum feciſſe dicebat Cato, quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſet.

Analectæ autem ſervi dicebantur, qui reliquias cœnæ, aut ea, quæ ceciderant de menſa colligere ſolebant, ut legitur in *Lexic. Juridico.* Præterea Analectæ ſuadente *Joſ. Laurentio* etiam illi dicebantur, qui lectione multa exercitati memoriæ eſſent firmiſſimæ, ut quidquid legerint, & audierint, ſcirent; Lictores verò in hiſtoria Romana illi ſervi erant, qui faſces virgarum ligatos cum ſecuribus Magiſtratui præferebant, ejuſque juſſu delinquentibus plagas ingerebant; iſtis uſi ſunt Magiſtratus majores, qui poteſtatem, ac imperium habuere; Lictorum porrò munus erat, ut populum ſummoverent, ſontes virgis cæderent, & ſecuri ferirent; differunt autem à Carnifice, per hoc, quod Lictor tantùm in Cives romanos agebat, perduelleſque virgis, & ſecuri more majorum percutiebat: Carnifex autem crucifigebat, ſtrangulabat, gulam frangebat, & alia ſupplicia ſervis, peregrinis, & illis, qui Cives non erant romani, irrogabant; & hanc diſtinctionem Lictoris à Carnifice exhibet *Poletus in hiſt. for. rom. lib.* 5. *cap.* 14. Plura de Lictoribus dabit *Lipſius in Elect.*, & *Illuſtriſſimus D. Anto. Bombardinus in lib. erudtiſſ. de carcere.*

JOSEPHI LANZONI, ADVERSARIORUM.

LIBER TERTIUS.

AD ILLUSTRISSIMUM

D. SEBASTIANUM ROTARIUM

Medicinæ Doctorem Veronenſem Eruditiſſimum.

CAPUT I.

De Juramentis.

JURAMENTUM affirmatio eſt, vel negatio ſacræ rei aſſertione vel atteſtatione firmata, ut tùm maximè jurare dicamur, cùm Deum invocamus teſtem, & hoc multiplex eſt, Voluntarium, & fiebat abſente Judice, quando pars parti deferebat juramentum; Aliud dicitur ex conventione. Tertium eſt neceſſarium, de quibus Juriſtæ conſulantur, ſicuti de juramento affectionis,

tionis, hoc eſt in litem jurare; De juramento Calumniæ mentionem faciunt Doctores, quod juramentum præſtatur de bona conſcientia, ſuæque cauſæ bonitate, quàm quis opinatur, & dicebatur olim, quod litigatoribus ità deferebatur, ut actores quidem jurarent, ſe non calumniæ cauſa litem intendere; erat etiam aliud juramenti genus, nempè per depoſitam pecuniam, de quo meminit *Alex. ab Alexand. lib. 6. Gen. dier. cap.* 4., & hoc erat, ut ſi quis peteret quod inficiaretur, dubia argumentorum fide, ambo, petitor, & reus, æreos quingentos apud Pontificem deponerent, quod juramentum dicebatur, & demum re diſcuſſa victor prò quo ſtaret judicium, nummos reciperet, victi verò ad ærarium ferebantur.

Notat autem *Poletus* calumniæ juramentum, de quo paulò ante, ſublatum fuiſſe propter perjurii metum, cùm ex philautia ferè ſemper plus æquo ſuæ cauſæ faveant litigantes.

Pontificibus Gentilium non licuiſſe jurare per Liberos, ſed per Deos, ait *Alex. ab Alexand. lib.* 2. *cap.* 8.

Judices jurare ſolitos fuiſſe in leges advertit *Aſcon. Pedianus in* 2. *in Verrem*, ante quàm judicarent; idemque affirmat *And. Tiraquellus in not. ad Alexand.*

De juramento Magiſtratuum meminit *Corn. Tacitus*; inhibitum enim fuerat olim pro Magiſtratu aliquid agere, niſi priùs ſacramento adactum eſſet, quod ideò cautum ferunt, ne ſpe, & cupiditate improba honores aſſumerent, jurabant enim apud Conſulem ſolemne jusjurandum per Deos; poſteà ut in acta Principum jurarent Cæſarum temporibus ſervatum eſt.

Varias, & curioſas jurandi formulas apud Antiquos, refert *Alexand. ab Alex. lib.* 5., ut per terram, per amnes, per fontes, per undas fluentes, quod ſanctiſſimum juramentum fuiſſe Græcorum veteres credidere, ut videre eſt apud *Plutarcum in vita Demoſthenis*; de juramento per regium Sceptrum meminit *Homerus lib.* 1. *Illiad.*

. . . . *ſuper magnum jusjurandum juro.*
Certè per hoc Sceptrum . . . . . .

Athenienſes per Iſidem jurabant, & Thebæi per Oſiridem in nubibus exiſtentem, teſte *Diodoro lib.* 1. Schytas per Ventum jura-

viſſe monet *Lucianus*; Thraces per Mercurium juraviſſe, ait *Herodotus lib.* 5. Perſas per Solem, teſte Æliano; Ægyptios per allium, porrum, & cepas, velut per Numina, undè *Juvenalis Sat.* 15.

Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morſu;
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina . . . . .

Zenonem per Capparim ſua juramenta feciſſe, ait *Laertius*; De juramento Jonum per Crambem meminit *Athenæus*; Socrates per Canem, & per Platanum *Tertullianus*, *Lactantius*, ac *Philoſtratus* meminere; Sophocles per Caſtorem, & Polucem jurabat ſi *Straboni* credamus; Æthyopes per Defunctos ſuos, quorum corpora vitro ſervabant juraviſſe, ait *Alexand. ab Alexandro.* Frequens apud Romanos juramentum erat per Deos, per Cœlum, & Terram, Sydera, ac mare, per Genium Principis, de quo ſuprà; per caput ſuum, &c., de quibus plura cupienti dabit *cit. Alexander. lib.* 5. *cap.* 10. Solummodò nequeo præterire curioſam jurandi Romanorum formulam à *Livio* relatam *in Dec.* 3. *lib.* 2., ubi de Scipione ait, quod cùm in hoſpitium Metelli veniſſet, & cùm concilium ibi juvenum inveniſſet, ſtricto ſuper capita conſultantium gladio; Ex mei animi ſententia, inquit, juro, ut ego Rempublicam non deſeram, neque alium Civem romanum deſerere patiar; ſi ſciens fallo, tùm me Jupiter Opt. Max., domum, familiam, remque meam peſſimo Letho afficiat. Notandum porrò ſoli Flamini jurare non licuiſſe, ut teſtantur *Feſt. Pompeius*, *Plutarcus*, & *Livius.* Cenſorum autem munus apud Romanos varium cùm eſſet, ità circà morum diſciplinam verſabatur, & præſertim in cohibendo epularum ſumptu, in perjuriis caſtigandis, atque in cognoſcendis juramentis; notat enim *Gellius* juramenti cognoſcendi jus ad Conſulum Magiſtratum ſpectaviſſe; Quomodo autem jurarent Milites, & quomodò veteres ſolerent jurare totius Exercitus nomine, docet *in lib.* 1. *cap.* 20. *Gen. Dier. Alexand. ab Alexandro*, & poſt eum *Tiraquellus.*

De modo jurandi tactis aris, meminit *Horatius*

Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.

Jurare in alterius perniciem, & jurare in leges alterius, conſuevere veteres; de primò *Ovidius in Epiſtol.*

In me jurarunt ſomnus, ventusque fideſque;

de altero *Plinius de vir. illuſtrib.* meminit: *Aqua, & igni interdixit, ei qui in leges ſuas non juraſſet;* Similiter jurabant in verba alteriis, de quo juramento loquitur *Livius: Citati milites nominatim apud Tribunos militum in verba P. Scipionis jurarunt*, & nunc etiam dicitur *jurare in verba Magiſtri*, de eis, qui clauſis oculis aliorum opiniones ſequuntur.

Nunc, relictis Ethnicorum juramentis, aliquid de juramento Chriſtianorum delibandum eſt. Jurare enim Chriſtianè ſumptum, ut ait *Ambroſ. ad Valent. Imper. eſt ejus quem teſtare fidei, præſulem Divinam potentiam confiteri;* vel clariùs eſt invocatio divini nominis in teſtimonium alicujus rei; ut inquit *Paul. Layman.* Spontè autem, & ſine neceſſitate jurare, vel falſum jurare peccatum eſt, juxta *Lombardum*, ex neceſſitate autem jurare; vel ad aſſerendam innocentiam, vel ad pacis fœdera confirmanda, vel ad perſuadendum auditoribus, quod eis utile eſt, malum non eſſe, ait *cit. Lombard.* In primitiva verò Eccleſia per altaria, Evangelium, reliquias Martyrum jurari legimus, ſic apud Reginon. Theſſilo per Corpus Dionyſii, Germani, & Martini juravit. Apud S. Petrum Damianum Wido Archiepiſcopus ad S. Altare juravit, & Arnulphus manu ſuper S. Evangelium poſita juravit: *ſic me Deus adjuvet, & iſta S. Evangelia;* Clerum etiam ſuum tactis S. S. Evangeliis jurare fecit, ut hodie apud nos etiam fit; immò ſæpè tacta qualibet pagina Notariorum, jurare nos dicimus; & Sacerdotes apud nos jurant tacto pectore ſacerdotali.

Eduardus Rex Angliæ, autore *Arndio in ſuo lexec.*, jurare ſolebat per Deum, & Matrem ejus; Apud *Gregor. lib. 5. Epiſt.* 33. hæc jurandi formula legitur *Juro* per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & Corpus B. Apollinaris Martyris.

Concil. Eliberit. can. 52. vetavit, ne Pueri ante annos 14. jurare cogantur, & Concil. Tribur. de controverſia inter Laicum, & Presbyterum, ait „ Laicus per juramentum ſi neceſſe „ ſit expurgetur; Presbyter autem vice juramenti per S. Con-

„ ſe-

„ ſecrationem interrogetur, quia Sacerdotes ex levi cauſa jurare „ non debent.

Cuſpinianus refert, Othonem Magnum Imperatorem more veterum Germanorum, barbam in pectus promiſſam geſtare ſolere, & per eandem, ſi quando ſerio loquebatur, jurare.

CAPUT II.

De Tabaco.

A Braſilianis, juxta Thevetum, Tabacum vocatur *Petum*; ab Americanis dicitur *Petick*; ab Hiſpanis *Nicoticiana* nuncupatur *à Joh. Nicot.*; qui temporibus noſtrorum Avorum hanc plantam primò tulit in Gallias, quàm Reginæ donavit, unde à multis dicitur *Herba Reginæ*; hoc accidit autem anno Salutis noſtræ 1559.

Ideóque *Maximilianus Zavona* Tabacum etiam nomen ferre ait herbæ Catherinariæ à Reginæ nomine, vel Mediceæ; eo quod Catherina Medices nuncuparetur.

Dodonæus vocat hanc plantam Hyoſquiamum Peruvianum, *Camerarius* dicit plantam Indicam vulnerariam, & Lugdunenſes in Gallia Bugloſſam antarticam vocant.

Tandem aliqui, dicunt Tabaci plantam, Panaceam, Lanam ſanctam, Piperinam, Petebecenæm, alii Onoſmion Æginetæ, & Anguelmoiſinem, & Uppovochum;

Inſuper acquiſivit nomen herbæ Sanctæ Crucis per hoc, quod Proſperus Sancta Crux Sedis Apoſtolicæ Legatus apud Luſitanos, eam tulit primus Romam, teſte *Clariſſ. noſtro Aloyſio à Fabra in Diſſ. de Peto.*

Dicitur verò Tabacum, à *Tabac* inſula Floridæ, ut monet *C. Hoffmannus.* Primus in Europam ſemen ejus detulit Thevetus, in Luſitaniam miſit Franc. Hernandez, ſicut in Hiſpaniam; in Angliam primus Tabaci ſemen contulit Franc. Draeck Anglicus argonauta.

Quatuor ſunt ejus differentiæ, juxtà *Magnenum de Tabac.*, nempè Maſculum, & Fœminam, minus, & Tabacum Arabicum; de

de quibus differentiis legatur *citat. Magnenus*; De hujus plantæ deſcriptione concinna legi poſſunt apud *Monardem*, *Schroderum*, *Bauhinum*, *Neander*, *Alſtedium*, *Rajum*, & *Mangetum in ſua Bibliot. Pharmaceut. lib.* 19. Hic notandum, apud Indos perpetui viroris eſſe Tabacum, in Europa verò non item, & licet hanc plantam ſiccitatem magnam, hoc eſt, particulas Salino-Sulphureas habere putetur, attamen, ipſam aqua gaudere certum eſt; Zenonem, pulveris Tabaci ignarum, ut pararet mentem ad ſtudia Elleborum pulverizatum per nares aſſumpſiſſe notat cum *Gellio Illuſtriſſ. D. Ant. Maria Salvinus in Academ. Sermon.*, qui inter laudes datas pulveri nicotianæ, ait iſtum Amicitiam conciliare, & ad inſtar Vini lætitias humano generi afferre; cujus Tabaci dotes poetice exaratas, ſuavis muſa *Clariſſ. D. Hieronymi Baruffaldi Amici mei cariſſimi, omnique virtutum genere inſtructi*, dabit in ſuo Dityrambo de Tabaco.

Fumum Nicotianæ accenſæ per tubum in os atractum, cujus frequens eſt hodie uſus, vel potius abuſus, aliqui damnant, inquit enim *Hoffmannus*, ſe vidiſſe cadavera, quorum capita diſſecta exhibuere cerebrum interius nigri coloris; quod idem affirmat *D. Boucheret* apud *Rajum*; Alii verò hunc uſum laudant, quatenùs lympham excrementitiam elicit, & catharros exſiccat, unde evacuatis oris, ac faucium glandulis, dentium dolori, & capitis gravedini auxiliatur, inſuper aiunt aliqui ventriculum corroborare, concoctionem promovere, & alvum leniter ſolvere, quod, an ſit verum, fides ſit penes eos; certè tamen ſcio, multos eſſe, qui ad longum tempus tali fumo utuntur, & nullum ſentiendo nocumentum, vitam longam protrahunt ſani;

Foliorum pulvis naribus atractus, qui mos in noſtra Italia uſitatiſſimus eſt, vires addit, animum auget, & ad labores tùm animi, tùm corporis faciliter tolerandos maxime facit, dummodò modus non excedatur, referente *Hernandez*; qui autor etiam addit, pulverem hunc per nares aſſumentes, verbera, & cujuſvis generis ſupplicia minimè ſentire, quod ego nequaquam concedo; Advertit autem *Zavona*, omnes illos, qui potatores vini dicuntur, qui proprie, non ut vivant nati ſunt, ſed, ut bibant, celebres eſſe etiam tabacarios, id eſt magnam hujus pulveris co-

piam aſſumere, & rationem addit ipſe citatus Medicus, quia Tabacum aſſumptum ſitim parit; ideóque aliqui putant pulverem tabaci non deonerare, ſed potius caput onerare, & ità ipſum cerebrum debilitare, una cùm aliis ſenſibus, adeóque mortem accelerare dixit *citat. Zavona pag.* 49., immò nonnulli ex Peto oleum parant, quod eſt validiſſimum venenum, ut teſtatur *Dom. Redi*, & poſt illum *Ego in meo de Venenis Tractatu nondum impreſſo.*

Licet verò tot damna ex abuſu Nicotianæ oriantur; attamen ſua affert juvamenta hæc nobiliſſima Planta humano generi; Sic Folia ſua viridia, contuſa, & appoſita ſedare podagræ dolores, ait *Rajus.* Ad calculum abigendum aquam nicotianæ multum valere ſcribit *Zacutus*; ad dentium Dolorem fugandum tabacum calcinatum in crucibulo valdè validum eſſe inquit *in ſua Bibliot. Pharmac. Clariſſ: Mangetus omni laude digniſſimus.*

Tabacum commendatur ad peſtem, ad paralyſim, ad diarrhœam, & teſtatur *Anton. Recchus*, fumum Tabaci in uterum inſpiratum, in ejus ſuffocatione, mira præſtare.

Lixivium Tabaci frequenter adhibetur in Pſora, & Lepra pecudum, ac jumentorum; cavendum tamen, ne ad ſcabiem, & pediculos puerorum adhibeatur: ſcribitur enim *in decur.* 2. *an.* 4. *Miſcel. Curioſ. pag.* 46. fœminam quandam pro capitis ſcabie, & profligandis pediculis, tabaci vulgaris pulverem butyro permixtum tribus filiolis illiniviſſe, qui mox omnes in Vertiginem, & vomitiones incidere, cum ſudore, & animi deliquio, atque per horas 24. veluti temulenti apparuerunt.

Mulierem Bononienſem, ex nimia Tabaci maſticatione, febri ardente correptam, cùm pravis ſymptomatibus, ſe vidiſſe teſtatur *Dan. Angelus obſ.* 76. *an.* 8. *decur.* 1. *Acad. Curioſ.*; *Schroderus* autem ait, ſe vidiſſe quendam, qui mictionem nocturnam tabaci ſuffitu præcavit; ſicuti ex eodem ſuffitu Epilepſiam foveri exemplo notabili oſtendit *D. Schelhammerus in Miſcel. Cur. dec.* 2. *an.* 7. *obſ.* 196.

Quercetanus Syrupum Tabaci commendat in aſthmate, quod remedium ego pluries proficuum expertus fui in praxi facienda, ob ſalem volatilem acerrimum, quo ſcatet Petum; De ſucco recenti vulneribus feliciter inſtillato meminit *Ettmullerus in Schrod.*

dilu-

dilucid. Tabacum deniquè vino maceratum, ſi exhibeatur prava excitabit Symptomata, de quo plura in meo de Venenis Tractatu: De Tabaco ſic cecinit ſuavis Muſa *Clariſſ. Franciſci Ariſi:*

Eſt noſtræ exemplar vitæ, Bigate, *Tabacus,*
Ut fumus perit, ut pulvis, & ut folium.

CAPUT III.

De Eſu Locuſtarum.

Locuſtarum Eſum Judæis olim lex moſaica permiſit, ut ex Levitico apparet, ſic etiam legimus apud S. Evangeliſtas Joh. Baptiſtam Domini noſtri Jeſu Chriſti Præcurſorem in Deſerto Locuſtas manducaviſſe; quod poſtea cauſa fuit, Scriptores diſputare, an eſus locuſtarum ſit innocuus, vel an propriè Locuſtæ fuerint, an potius ſummitates Plantarum, an Piſces, &c. In præſenti capite nos aliquid de Locuſtarum eſu dicamus. *Cæl. Rhodiginus lib.* 28. Orientalibus gratam eſſe locuſtam in cibum, ait. *Diodorus Siculus* ſcribit Æthyopes comedere locuſtas volantes ingenti fumo necatas, quæ ultra valles in tanta copia decidunt, ut victum omni genti abundè præbeant; In ipſa Græcia idem cibus fuit in uſu, teſte *Bocharto de Anim. S. Script. lib.* 4. qui hoc probat textu Ariſtophanis Comici antiq. & Athenei lib. 4.

Pars quædam Æthyopum, ait *Plinius*, locuſtis vivit; item *Solinus* ſcribit Confines Mauritaniæ certo tempore Locuſtas terreſtres legere, duratáſque ſalſugine in præſidium vitæ ſolas habere; *Dioscorides* pariter teſtatur, illas in uſu fuiſſe pro cibo; Alioſque plures populos Locuſtis veſci refert *Aldrovandus lib.* 4. *de inſectis.*

Cæterum, quod tali cibo uſus eſſet Joh. Baptiſta in Deſerto aſſerunt *D. Hieronymus*, *Origenes*, *Hilarius*, *Auguſtinus*, *Corn. à Lapide*, *Bochartus*, *Natal. ab Alexandro*, *Bernard. Lamy*, & alii plures; nec enim omne Locuſtarum genus Judæis interdicebatur, ut videre eſt in Levitico cap. 11., Talmudiſtæ autem diſ-

inguunt inter Locuſtas, alias mundas, alias immundas, ut notat *Lamy.*

Iſidorus Peluſiota verò, & alii volunt, Locuſtas Joh. Baptiſtæ fuiſſe ſummitates herbarum, ac foliorum, quibus veſceretur; Pro locuſtis *Beza* accipit pyra ſylveſtria, quæ à *Columella* vocantur agreſtia pyra; Alii referente *Cornel. à Lapide*, bellaria eſſe ex melle, & oleo confecta dicunt; Multi eſſe Cancros marinos volunt; Alii eſſe quaſdam herbas, quas vulgò rapuncula vocant, dixere. *Gaza* apud *Ariſtotelem* prò Locuſtis, quæ comeduntur, intelligit Squillam marinam, quæ ſecundum *Ælianum* eſt cicada marina, ſive gammarus Columellæ, verum cùm S. Jo: Baptiſta longè à Mari eſſet in Deſerto, perperam dicitur ſquillis enutritum fuiſſe; credo enim ego, ut ſuprà dixi, verè Baptiſtam, animalia inſecta, quæ propriæ locuſtæ dicuntur, comediſſe, undè *Prudentius* canit

Parum locuſtis, & favorum agreſtium
Liquore paſtum . . . . . .

Et S. Mater Eccleſia

Cui latex hauſtum ſociata paſtum
mella locuſtis.

Plura de hac re vide in *Aldrovand. de inſect: lib.* 4.

CAPUT IV.

De Horis.

HOra tempus ſignificat, hoc eſt quamcumque temporis partem, ſive diurnam, ſive nocturnam; hinc quatuor Anni tempora hoc eſt, (*Ver*, *Hyems*, *Æſtus*, & *Autumnus*) à nonnullis horas dicta fuiſſe, ait *Rob. Stephanus.*

Proprie verò ſunt partes illæ temporis; in quas diſtinctus eſt dies; & iſtæ primò duodecim fuere inſtitutæ, cujus ordinationis talem fuiſſe originem legitur. Quodam tempore Hermes Triſmegiſtus, cùm eſſet in Ægypto ſacrum quoddam animal Serapi dicatum, quod in toto die duodecies urinam feciſſet, pari ſem-

ſemper interpoſito tempore, per XII. horas diem dividi debere conjecit; & exinde hic horarum numerus longo cuſtoditus eſt tempore; poſteà in XXIIII. horas diviſus fuit, aſſerente *Plinio*. De diei diviſione ita *Cenſorinus*; *Dies partim naturalis, partim civilis, naturalis tempus eſt ab Oriente Sole, ad ejus Occaſum, cui contrarium eſt Nox ab occaſu Solis ad ejus ortum; Civilis autem dies eſt, qui fit uno Cœli circuitu, quo verus dies, & nox continentur.*

Horæ autem erant antiquitus inæquales, majores enim in Æſtate, minores verò in Hyeme, quia dies æſtivi longiores, hyemales breves; undè horologia etiam incerta fuiſſe, ait *Laurentius in Polymat. lib.* I.; hinc *Seneca* ait; *faciliùs inter Philoſophos, quàm inter horologia conveniet.* Pulcherrimum eſt *Martialis Epigramma in lib.* 4. de horarum diei diviſione; quo rogat Euphemum Structorem menſæ Domitiani, ut ex ſuis carminibus, ea, quæ jocoſa ſunt oſtendat Imperatori, tantùm, cùm cœnaverit, ea verò, quæ ſunt ſeveriora antè cœnam; Sic Poeta

Prima ſalutantes, atque altera continet hora

undè patet ex hoc carmine primam, & ſecundam horam ſalutationibus fuiſſe deſtinatas, ut ait *Illuſtriſſ. D. Patarolus in not. ad Orat. veter.*

Exercet raucos tertia Cauſidicos.

& hoc ſecundo verſu oſtendit Poeta, tertiam diei horam in litibus agitandis fuiſſe conſumptam, ut & quartam.

In quintam varios extendit Roma labores.

hoc eſt Romani in varia opera quintam horam diurnam exercebant.

Sexta quies laſſis, ſeptima finis erit.

Quietem verò à laboribus uſurpaviſſe horam ſextam inſumentes non omnes, ait *Ramir. de Prado*; ſed tantùm laſſos, qui velut interjungebant uſque ad ſeptimam; à ſeptima in octavam hi lavabantur, quamvis in hoc epigrammate nulla lotionis fiat mentio; attamen hic eſt verſus.

Sufficit in nonam nitidis octava palæſtris.

Intelligunt hìc interpretes, ab octava in nonam palæſtris ſe exercuiſſe Romanos, quorum exercitationi aderant frequentes ſpectatores uſque ad nonam, qua monebantur cœnatum ire.

Imperat extructos frangere nona toros.

Explicat *frangere toros* Domitius, pro accubitu ſuper toros; accumbebant enim quandò cœnabant.

Putat autem *Ramir. de Prado*, ſextam horam, ſeptimam, octavam, & hyeme nonam in lavatione conſumi à diverſis; Robuſtiores, vel qui in palæſtra poſtmodùm ſe exercere volebant, vel curioſi palæſtræ Spectatores ſexta, & ſeptima ſe lavabant, delicatiores octava, quia ſexta, & ſeptima nimis balnea calerent; Eſt autem nona hora velut indictio quædam cænæ, quæ monebat miniſtros, ut lectos ſternerent, cœnamque pararent, poſt nonam enim epulandum erat, ut teſtatur *vetus Horatii commentator ad Od.* 7. *lib.* 2. his verbis: *Romanorum conſuetudo fuit, ut poſt nonam convivarentur*, ſequitur Epigramma

Hora libellorum decima eſt, Eupheme, meorum,
Temperat ambroſias cùm tua cura dapes,
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæſar,
Ingentique tenet pocula parca manu;
Tunc admitte jocos, greſſu timet ire licenti
Ad matutinum noſtra Thalia Jovem.

Horologia ad diem menſurandum, & horas diſtinguendas inventa ſunt, cujus inventionis Autorem fuiſſe Anaximenem Meſſenium, ait *Laurentius*; talia Horologia à multis Clepſydræ vocabantur, quod aquam intus habebant incluſam, qua horæ notabantur; de quibus legatur *Vitruvius*. Quia verò iſta Horologia plerumque in foro proſtabant, Puerorum, ac Servorum munus erat horas obſervare, & numerare, indeque nunciare, unde *Juvenalis*

Quem dicat veniſſe Puer, quot nunciat horas.

& *Martialis in lib.* 8. *Epigr.* 67.

Horas quinque puer nondùm tibi nunciat, & tu
Jam conviva mihi, Ceciliane, venis.

An vero tintinnabulis horas indicarent horologia, tempore ſequenti non negat *Laurentius*, ſic idem *Martialis* cecinit

Redde pilam, ſonat æs thermarum, ludere pergis;

Habebant etiam antiqui horologia excitatoria, ad juvenes excitandos, hodie forſan *Svegliarini* dicuntur; unde *Lucianus in Dialog.*

log. ait, *manè ad tintinnabulum expergefactus*, *&c.* Erat etiam horologium portatile, quod ſecum ferebant veteres Ethnici, ad dignoſcendas horas; & *Vitruvius* appellat talia Horologia, *viatoria penſilia.* Hodie elegantiſſima fiunt in Anglia, Gallia, &c. talia Horologia portatoria, ac caro pretio venduntur in noſtra Italia.

CAPUT V.

De Lacte in Viris.

QUæſtionem agitat *Eruditus Caſp. à Reies in ſuo Camp. Elyſ. pag. mihi* 574. an ſcilicet lac in Viris, & Virginibus generari, ac in illorum mammis inveniri poſſit? Ego inpræſentiarum tantummodò aliquid notabo de Viris, qui lacte per proprias mammas emiſſo, dulce ſui ſpectaculum fecerunt.

Ariſtoteles concedere videtur per ſuctum frequentiorem poſſe lac in Viris provenire, immò *in lib. de Animal.* ait, ſe vidiſſe in Viro tantùm lactis emulſum, ut caſeus ſit confectus; *Veſalius in Anatom.* non ſemel, ſed pluries lac in Viris ſe conſpexiſſe aſſerit; *Alex. Benedictus* ait, Syrum ſe quemdam vidiſſe, cui filius infans mortua Matre ſupererat, & huic, ut famem vagientis pacaret, ubera admovere ſæpè ſolitum fuiſſe, aſſiduoquè ſuctu lacte manaſſe papillam, quo exinde filium nutrivit; ſic multos fuiſſe homines, qui neceſſitate compulſi proprios filios lactavere, ſcribit *Caſp. à Reies*; De milite narrat *Clariſſ. D. Joh. Ludovic. Hannemannus in Miſcel. Cur. dec.* 2. *an.* 5., qui pariter, mortua conjuge, infantem lactavit; Sexagenarii lactantis hiſtoriam raram eruditè, refert *in Append. Miſc. Acad. Curioſ. an.* 5. *decur.* 2. *Excellentiſſ., omnique laude digniſſimus D. Chriſt. Franciſcus Paulinus Acad. Naturæ Curioſ. maximum Ornamentum, ac Lumen*; De pluribus Viris lacte præditis, atque à Natura donatis, memini *ego in meis Animadverſ. pag.* 119.

Infantem primo menſe lac è papillis reddentem copioſum ſe obſervaviſſe, ſcripſit *Cardanus lib.* 12. *de ſubtil.* Inſuper *Marcellus*

Dona-

Donatus de homine refert, qui ex mammis lac in manifeſta quantitate emittebat; Et narrant qui novum Orbem luſtrarunt, teſte *Andr. Laurentio in Anatomia* Viros penè omnes maximam lactis copiam habere, qua filios enutriunt.

CAPUT VI.

De Vinculis diverſis Antiquorum.

INter veterum vincula, nonnulli numerant Reticula ad illaqueandas Feras, & capiendas Aves; Laqueus pedum *pedica* vocatur, de qua *Poëta* cecinit *in Bucolic.*

Ut captam pedicis circumdat aranea muſcam.

Boiæ dicebantur vincula quædam tàm ferrea, quàm lignea velut juga bovum.

Capiſtra vincula erant, quibus ligabantur vites, & alia, undè *Columella lib.* 4. ait, *cùm ad ſummum palum recta vitis extenſa eſt capiſtro conſtringitur.* Immò à multis ſumuntur pro capitis vinculis in equis, & jumentis, hinc *Martialis* ait

Paret purpureis aper capiſtris.

Panagron dicebatur rete piſcatorum.

Numella ligneum erat vinculum, quo reorum pedes, & colla in rotunda foramina immittebantur, & ibidem conſtringebantur; de qua ait *Plaut. in Aſin.*

Nervos, catenas, carceres, numellas &c.

Numella etiam, teſte *Feſto*, genus eſt vinculi, quo quadrupedes alligantur, ſic *Varro lib.* 2. *rei ruſticæ* ait: *ut poſſint alligari levibus numellis.*

Cataſtæ nomine aliqui intelligunt compedem ſervilem, ut *Perſius* inquit

Cappadocas rigida pingues paviſſe Cataſta.

Alii volunt Cataſtam, eſſe locum, ubi venales Servi exponebantur; undè *Statius* canit *in Sylv.*

Non te barbaricæ verſabant verna cataſtæ.

Compedes, vincula propria ſunt pedum; *Horatius Epod.*

Dura compede peruſtus crura.

Catena

Catena vinculum eſt ferreum, quo vel Servos, vel captivos, vel animalia etiam iretimus, ne effugiant; Sic *Silius Italic. lib.* 7.

. . . . . *Arcta ſervari catena.*

& *Horatius.*

. . . . . *Hunc tu compeſce catena.*

Lorum dicebant veteres corrigiam, quæ ex corio vinculum eſt; ſumebantur etiam prò retinaculis Lora, & pro habenis jumentorum, ſic *Ovid. in Metam.* 2.

Colla juga erumpunt, abruptaque lora relinquunt.

Epidromes etiam dicebantur funiculi diſcurrentes, quibus retia panduntur contractà, & contrahuntur expanſa, authore *Polluce*, qui Epidromos, & Peridromos vocat. Manicæ, propriè manuum vincula ſunt, undè *in Pſalm.* habetur: *nobiles eorum in manicis ferreis.* Sic *Virgilius* canit

Ipſe viro primus manicas, atque arcta levari
Vincula . . . .

CAPUT VII.

De Militaribus Pœnis.

DUplices videntur fuiſſe pœnæ militares apud antiquos, leviores nempè, & acerbiores; lenis fuit animadverſio, quæ tantùm inferebat ignominiam; & hæc multiplex fuit; I. Per mutationem militiæ, quod erat ab honeſtiore loco, in humiliorem transferri; II. Cùm venam ſolvi militi reo jubebant, & ſanguinem mitti; III. Cùm foſſam ferre, exercitu inſpiciente, miles cogeretur. IV. Cùm haſtam dare cogebatur, & hæc pœna dicebatùr *Cenſio haſtaria.* V. Cùm miles reus ſtans, cibum, & potum ſumere coactus erat, quod tamen intelligendum de cœna, nam in prandio uſitatum erat ſtare. VI. Detractio calcei nota erat infamiæ, ac militaris ignominiæ; pariter diſcincto, & habitu turpi proſtitui, apud milites antiquos pœna fuit. VII. Leviter quoque puniebant militem veteres Romani, cùm extrà caſtrum, aut vallum miles tendere jubebatur, interdum, & ſine tentoriis. VIII. Cùm ſtipendium ſubtrahebatur, qui milites *ære diruti* dicebantur; & *æs reſignatum* militi dicebatur, teſte *Hilde-*

brando, cùm ob delictum, ne ſtipendium illi daretur, in tabulas erat relatum, atque ità puniebatur miles tardus, & infrequens, qui abeſſet, aut abfuiſſet à Signis IX. tandem levi pœna mulctabatur miles cùm hordeum pro tritico illi dabatur, ut indignus videretur militum cibo.

Gravior verò caſtigatio multiplex pariter fuit, ut fuſtigatio, cùm Tribunus ipſe Reum condemnatum leviter tangebat, & quaſi ſigno dato, reliquæ multitudini militari, objiciebat, quo facto, omnes, qui in caſtris erant ferientes, alius fuſtibus, alius lapidibus in ipſis caſtrorum principiis hominem occidebant, & ità puniebantur illi milites, qui vigilias, aut circuitiones neglexiſſent, vel qui furto aliquid è caſtris abſtuliſſent, vel falſum teſtimonium dixiſſent, aut ſi qui falſo ſtrenuum aliquod factum ſuum honoris, præmiique cauſa, ad Tribunos retuliſſent; qui ter ob eandem culpam mulctati fuiſſent; vel tandem qui in præſidio, aut ſtatione poſiti per metum deſeruiſſent locum, aut arma in diſcrimine abjeciſſent, & iſti dicti erant infames; Hodie fuſtigatio iſta apud milites viget, ſed non ad mortem, & vulgò dicitur *paſſar per le bacchette*. Quod autem ſi plures peccaſſent, & multi ſimul locum deſeruiſſent, tunc fiebat decimatio, qua ſcilicet decimus quiſque ſorte ad ſupplicium legebatur, interdum Viceſimatio, & Centeſimatio in uſu fuit. Aliquandò miles, qui deliquerat ſub furca diù cæſus virgis manebat; Alii præterea ſecuri percutiebantur; & loco ſecuris gladius fuit introductus; alii denique in Crucem ſublati ſunt, quod ſupplicii genus non civium, ſed propriè ſervorum erat, unde ſervi fugitivi, qui Crucem meruere, Cruciferi dicti ſunt, & in ſignum ignominiæ crucis ſignum in Veſte ferebant; Crux autem modò in pœnis reorum non eſt amplius, abolitum enim hoc ſupplicii genus fuit à Conſtantino Imperatore, ubi enim Domini Crux honorata eſt, putatum fuit, quod reus honoraretur, ſi crucifigeretur.

CAPUT VIII.

De Veteri tondendi ritu.

HErodotus *lib.* 4., ſcribit, Machiles occiput crinitum geſtare tonſa anteriori parte; Sic Maxies Africæ populi dextram

capi-

capitis partem comatam geſtant, ſiniſtram autem tondent; Ita *Strabo* ait Anſes anteriorem partem crinitam habent, occiput verò tonſum.

Suetonius, Caligulam, ait pulchros, & comatos crines habentes, ſæpè offendiſſe, & præ invidia occipitio raſo ſolitum fuiſſe detur pare.

Leges XII. Tabularum prohibebant, referente *Plinio*, Genas fœminis radi; immò addit Romanos 454. annis intonſos fuiſſe, donec adducente P. Ticinio ex Sicilia, tonſores venerint ad Romanos.

Macas, ait *Jo. Ravis. Textor in Officina*, ſummum capitis verticem radere, in medio capillos creſcere ſinentes, hinc, atque hinc in orbem; & Abantes, anteriorem capitis partem tondere conſueviſſe, ne ullas hoſtibus ad capiendum anſas darent.

Mentum autem radere Alexandri temporibus in Græcia inventum fuiſſe inquit *Athenæus lib.* 13.

Sabinorum Sacerdotes Æneo cultro tonderi ſolitos fuiſſe legitur; Scythas ob calamitates comas depoſuiſſe, ait *Athenæus*; & apud Indos comam tonderi juſſu Regis maximi ſupplicii loco fuiſſe notat *Stobæus*.

Apud Lacedæmonios ingenui alebant comam, namque omnes comati erant, cùm Servos crines habere non deceret; idemque in omni ferè Græcia, ubi Servis nutrire comam nefas erat, in uſu fuit.

CAPUT IX.

De Nudipedalibus, & Furca.

NUdipedalia Feſta erant apud Gentiles, Græcos, Romanos, & Barbaros, in quibus nudis pedibus oportebat omnes incedere; de quibus loqui videtur *Tertullianus in Apolog.*, & inſtituta fuere, ut terra areſcente pluviæ impetrarentur; & etiam talia Feſta Judæis fuiſſe propria inquit *Flavius Joſephus lib.* 1. Bell. Judaic. Hæc autem ſacra nudis pedibus peracta ſacco indutis, & pulvere conſperſis ad puritatem, & ſimplicitatem oſtendendam; Romani quoque his uſi ſunt, cum vota Deæ Veſtæ

concipiebant, ejus ædem nudis pedibus adeuntes; ut notat *Joſ. Laurentius in Polymat. lib. 6.*

Furca generaliter ſumpta dicitur omne id, quo, quid ſuſtentatur in modum furcæ factum; ego autem propriè hîc ſumo Furcam pro pœna, & ſupplicio, unde *Plinius* ait: *in Furcas fixus*; De furcæ ſupplicio fit mentio *in leg.* 38. §. *Autores ff. de pœnis.* Duplicem autem furcam fuiſſe ex Scriptoribus lego; veterem ſcilicet, & novam; Furca vetus Romanis fuit antiquitus uſitata, & iſta pariter duplex fuit, ignominioſa, & poenalis; Prima, qui collo impoſita Servi circumduci ſolebant, ob culpam aliquam contemptui, & ad irriſum, hinc Furcifer dicebatur olim Servus, qui ob leve delictum à Domino ignominiæ magis, quàm ſupplicii cauſa, furcam circà urbem ferre cogebatur, prædicans peccatum ſuum, & obvios monens, ne quid ſimile peccarent; undè *Donatus* ait: *ſupplicii cauſa circà vicinos furcam in collo ferre, ſubligatis ad eam manibus, & prædicare ſuum peccatum, & ſimul movere cæteros, ne quid ſimile admitterent*; & hanc poenam bellè depingunt *Plutarcus in Coriol.*, & *Halicarnas. lib.* 7.

Pœnalis autem illa erat furca, qua collo impoſita circumducti, cùm verberibus mortem inibant, undè *Iſidorus*, patibulum eſſe furcam ait, quod ferat caput, ſuſpenſumque, & ſtrangulatum ſtatim exanimet.

Furca nova porrò ævi inferioris inventum eſt, inſtrumentum ſcilicet è triplici ligno, forma jugi veteris, cui appenſos homines laqueo ſtrangulamus; Pœna tamen laquei, mors impura, ac infamis ab *Homero* dicitur; *Plinius* vocat eam præpoſteram, quia ſpiritus intercluditur, cui exitus quærebatur; ignava ſanè hæc mors eſt, & viliſſima, teſte *Hildebrando.*

CAPUT X.

De uſu Salis apud Veteres.

SAl commune, quod etiam Pueris innoteſcit, eſt concretum ſalſum compoſitum ex acido concentrato in ſubjecto terreo alcalino; cujus uſus varius fuit apud Veteres, ſic notum eſt quomodo apud Ethnicos nullum ſacrificium ſine Sale fuerit oblatum, ac in illo vim efficaciorem placandis Numinibus ineſſe putabant

tabant propter virtutem incorruptionis, ut advertit *Alex. ab Alexandro;* farre itaque molito, toſto, ac Sale conſperſo, (molam ſalſam vocabant) victimæ caput aſpergebant, à quo ritu, & mola verbum immolare deductum eſt; Maximam igitur, ait *Plinius* ſalis autoritatem è ſacris Veterum intelligi, apud quos nulla ſacra ſine mola ſalſa conficiebantur, hinc *Tibullus lib.* 3. cecinit

Farre pio placant, & ſaliente Sale.

Sic in Levitico à Deo præceptum legimus, ſale condita illa omnia eſſe debere, quæ in ſacrificiis offerebantur; quin & Salinum ipſum inter vaſa ſacra connumeravit *Joſ. Laurentius*, quod eſt patella in qua Diis primitiæ cum Sale offerebantur, undè *Livius* ait: *ut ſalinum, patellamque Deorum cauſa, habeant*; quapropter Sal religionis gratia in divinationibus apponi ſolitum erat; hinc à veneficiis Sal quàm longiſſimè removebant, tamquam rem ſacram, ſic *Homerus* ait

Inſperſit autem ſale ſacro . . . . . .

Sal Fœderis vocatur in Levitico his verbis: *ne auferas ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.*

Olim hoſpitibus ante cibos apponebant veteres Sal in ſignum amicitiæ, unde multi Gentilium tamquam ominoſum cenſebant, ſi Sal in menſa effunderetur, & aliqui etiam noſtris hiſce temporibus ſemper aliquid infortunii prædicunt, quando contingit Sal in menſa profundi; Sic multi apud nos hac de cauſa menſam abſque Salino apponunt, ne Sal effundi contingat. Cæterùm Salis uſum multis gentibus incognitum fuiſſe trojano ſæculo *Homerus*, & *Pauſanias*, affirmant: Thracibus autem fuiſſe peculiare Sale mancipia emere, ait *Alex. ab Alexandro.*

Infinita præterea commoda Sal hominibus ſuppeditat, ac potiſſimum à putredine defendit, ideóque Ægyptios mortuos ſale condiviſſe innui *ego in meo de Balſamat. Tractatu*, quia à tabe, ac putredine corpora tuebatur; Inſuper Sal Symbolum fuit Doctrinæ Evangelicæ, & prædicationis Apoſtolicæ; ſic Chriſtus D. N. dixit *Vos eſtis Sal Terræ.*

Sterilitatis Symbolum pariter Sal eſſe, ait *D. Hieronym. com. in Math.*, undè in pœnam multas ſuper Civitates expugnatas Sal

fuiſſe effuſum legitur, ſic Mediolanum exaratum Anno 1165., Saleque conſperſum fuiſſe, teſtatur *Sigonius de Reg. Ital.* Item aliæ Urbes in Hiſpania, ut ait *Abulenſis com. in Judic.*, talem expertæ ſunt pœnam, & ſimiliter de Caſtro in Italia noſtra dicitur.
In ſacris aliquibus tandem Catholicorum Sal locum habere videtur, ut in Baptiſmate, & aqua luſtrali, &c. Iſiacos tandem Salem à menſa ablegaviſſe, ait *eruditiſſ. Cælius Calcagninus noſter.*

JOSEPHI LANZONI, ADVERSARIORUM.

LIBER QUARTUS.

AD REVERENDUM P. D.

PETRUM CATHERINUM ZENUM C. R. SOMASCH.

Venetum doctiſſimum.

CAPUT I.

De Academiis, earumque utilitate.

ACADEMIÆ nomen derivare videtur, teſte *Suida*, à loco mille paſſus ab Athenis diſtante, ità dicto ab Academo Heroe ibi morante, ubi Plato natus fuit; Academia verò noſtro hoc tempore dicitur illa Urbis pars, in qua celebrantur Studio-

diorum gymnaſia, & vulgò Univerſitas dicitur; ſub nomine quoque Academiæ veniunt illi Eruditorum, & Poetarum illuſtres Cœtus, qui noſtras Italiæ urbes ornant; Sophoclem Athenis olim legem tuliſſe, ait *Laertius*, ut neque Scholæ, neque Academiæ aperirentur, neque Philoſophorum quiſquam præeſſet, niſi id Magiſtratus decreviſſet; modò Pontifices, & Imperatores erigunt.

Academiarum inſtitutio valdè antiqua fuit, in Oriente enim fuit Academia tempore Joſue apud Judæos, ſic, & Scholas habuere Hebræi; undè apparet Academiarum inſtitutionem, Natura Duce, primitùs factam fuiſſe, de iſtis enim meminit *Moyſes in ſuis libris*; Apud Sinenſes, teſte *Nicolao Trigautio*, viget Philoſophia moralis, quam traditione, à quodam Confucio, quem dicunt vixiſſe ante annos ſuprà bis mille, habuere; attamen nullas Academias habent; Pariter Turcas Academiis ſcientiarum carere dicunt;

Quod autem ad Academiarum utilitatem ſpectat, ſi temporum memoriam, vel leviter refricare velimus; Reſpublicas illas diutiſſimè ſemper floruiſſe, ait *Brancaccinus lib.* 1. *cap.* 5. *de jur. doctorat.*, quæ optimorum ſtudiorum diligentem habuere curam, & in quibus ingenuarum artium, atque linguarum extiterunt Scholæ; hinc Moyſes Propheta Dei in ſingulis Civitatibus Sinagogas inſtituit, in quibus Viri Sapientes Divinas interpretarentur Leges; Salomon pariter Hieroſolymis ſeptem palæſtris inſtructam Academiam magnificè excitavit, ut monet *Pineda de reb. Salomon. lib.* 3. Sic ad rectè dirigendas Reſpublicas, & Civitates, Sapientes ſunt accerſiti, qui regulas, legeſque imponerent, ut Cretenſibus Minos, teſte *Plutarco*; Lycurgus Lacedæmoniis, & Solon Athenienſibus ſcribente *Æliano*. In noſtra porro Italia viget Virtus, triumphat probitas, atque Urbes, & Reſpublicæ cæteris Mundi populis invidiam movent ob Illuſtres Academias, quas velut in gremio ſuo fovet Itala Tellus; hinc antiqua Univerſitas Bononiæ fulget, viget pariter in Italia Ticinenſis, Patavina, Piſana, Meſſanenſis, Neapolitana, Peruſina, Salernitana, Taurinenſis, Senenſis, Romana, atque noſtra Ferrarienſis, quæ undique Privilegiis Pontificiis, ac Imperialibus or-

ornata, & Claris Viris ſemper munita fulget inter cæteras, *velut inter ignes luna minores;* Præter has Academias vulgò Univerſitates ſunt aliæ eruditorum Poetarum Paleſtræ, ut Arcadum, & Infœcundorum Romæ, Intrepidorum Ferrariæ, Recuperatorum Patavii, Incognitorum Venetiis, Gelatorum Bononiæ, Phyſiocriticorum Senis, Incitatorum Faventiæ, Concordium Ravennæ, Furfurariorum, & Apatiſtarum Florentiæ, & aliæ multæ celebres Academiæ, ità ut nulla ſit Italiæ Civitas, licet exigua, quæ ſua non gaudeat Academia, velut meliori ornamento.

CAPUT II.

De Pudicitia.

PUdicitia eſt animi Virtus, qua quis verecundatur, ut ſunt actus venerei, juxta *D. Auguſtinum de Civitate Dei;* & dicitur à Pudore monente *D. Thoma;* juxta verò Hebræos dicitur purificatio, & mundatio à verbo *Taher.*

Pudicitia, ſuadente *Auguſtino*, res eſt Animæ; virginitas autem corporis; ſiquidem illa in anima integra permanente, poteſt altera corpori violenter auferri; omnes penè Autores, tùm ſacri, tùm profani ſummis laudibus hanc virtutem extollunt; ſic *S. Cyprianus* ait, Pudicitiam eſſe nobilium ornamentum, exaltationem humilium, decus Religionis, &c.

Hac omiſſa, omnem ruere virtutem ſcribit *Cælius Rhodiginus lib.* 13., in ea ſiquidem decoris muliebris eniteſcit principatus; iſta commendabiles facit pauperes, divites extollit, deformes redimit, pulchros exornat; hæc Lucretiam Bruto æquavit, neſcias an etiam prætulerit, quoniam Brutus non poſſe ſervitutem pati à Fœmina commonitus didicit; *Ovvenius* ſic de Pudicitia cecinit

Virginitas animi murus, victoria carnis
Pectus honeſtatis ſancta Pudicitia eſt.

Tanti fecerunt Pudicitiam nonnullæ antiquorum fœminæ, ut mortem præferre Pudicitiæ voluerint; Sic Paulina Saturnini Uxor, teſte *Joſepho Langio*, per dolum Decii Adoleſcentis, Pudicitia (hic enim eam ſub perſona Oſiridis in ejus Templo compreſſit,

preſſit,) amiſſa, dolore excruciata periit; Sic pariter Virgo Etruſca, juxtà *Benedict. Varchium* à militibus capta, ſervandi pudoris gratia ex Anciſæ Ponte in Arnum ſe dejecit; ad ſimilitudinem illius, quam refert *Bonfin. lib. 6. dec.* 1., capta enim, ait *citat. Autor*, ab Attila Aquileia, cùm *Digna* ingenua Mulier à Barbaro milite capta ad ſtuprum raperetur, in preces verſa, tanquàm ſecreti cupida, facilè impetravit, ut in ſuperiorem partem domus abduceretur, cumque illa prior locum aſcendiſſet, confeſtim partem eam cœnaculi occupavit, quæ Fluvio imminebat; inde ad Militem converſa: ſequere me, inquit, ſi vis me potiri, ac cùm his verbis in ſubjectum flumen ſe præcipitavit; & *Valerius Maximus lib. 6.*, De Græca Fœmina nomine Hippona, ſcribit, quæ cùm hoſtium claſſe eſſet excepta, in mare ſe projecit, ut pudicitiam morte tueretur; & mori pudica, quàm impudica vivere maluit.

De Euphraſia Virgine narrat *Nicephorus lib. 7.*, quæ ſub Diocletiano cùm propter S. Fidem noſtram ad proſtibulum duceretur, & in cubiculo cum Juvene clauſa, veneficam ſe eſſe dixit, & pharmacum habere, quo illitus vulnerari non poſſet; accepit Juvenis mendacium, ac ob ei conſervatam pudicitiam, tale remedium diſcendum poſcit; tùm illa ceram oleo liquatam manibus ſubigit, & collo ſuo circumlinit, atque ut in ſe ipſa periculum faciat juvenem hortatur, & ille gladio arrepto, primo ictu virginis caput amputavit, & ſic illa corporis caſtitatem, & Religionis puritatem integram conſervavit.

CAPUT III.

De Verbena.

VErbena à Grammaticis quaſi herbena dicitur, & vocatur herba ſacra, quia hanc herbam in ſacris uſitatam fuiſſe legimus; vel, ut ait *Servius*, quia ſumpta de loco ſacro Capitolii, quia coronabantur Feciales, & alii fœdera facturi, vel Bella indicturi, undè *Virgilius*

. . . . *& verbena tempora vincti.*

Verbenas autem abuſivè, vocant aliqui omnes frondes ſacras, ut eſt laurus, oliva, myrthus, &c. ſic *Terentius*

. . . . *ara hinc ſume verbenas tibi.*

hæc herba à multis verbenaca vocatur; cui varias virtutes tribuunt nonnulli Medici, quas ſummatim recenſet *Schroderus*; hinc commendatur quoque ſuſpenſa collo in dolore capitis; laudatur uſus iſtius herbæ in obſtructionibus lienis, atque hepatis, in Ictero, in affectibus oculorum, & pectoris, in calculo abigendo; in procidentia ani, in tertiana febri; Inſuper arthritidem mitigat, & odontalgiam, ſi *Rajo* fides habenda; plura de hujus herbæ virtutibus vide apud *Bibliot. Pharmac. med. lib.* 20. *Clariſſ. D. Mangeti Medici Sapientiſſ.* Geſtatam hanc plantam, fortunam conciliare, dicit *Wolffius*; fides tamen penes eum, ego enim nihil; certum tamen eſt, Verbenam locum habuiſſe inter turpes magicos uſus.

De prognoſi mortis, aut vitæ ex verbena ſumenda meminit *Æmil. Macer. de herbar. virtutibus his* verſiculis.

Verbenam geſtando manu, ſi quæris ab ægro:
Dic Frater quid agis? benè ſi reſponderit ipſe
Vivet; ſi verò malè; tunc ſpes nulla ſalutis.

hoc autem tanquam vanum puto; eo quia omnes ægri interrogati, quid ſentiant, & agant, ſemper malè ſe habere reſpondent. Verbenacam ſupinam cornices nidis ſuis imponere, ait *Frommannus de Faſcinat. lib.* 1. *part.* 2. *ſect.* 1. *cap.* 2., ut blatas, aliaſquè beſtiolas ab iiſdem abigant. Sunt qui tradunt, teſte *Paſcalio de Coron. lib.* 2., novam nuptam apud Veteres compoſuiſſe coronam è verbenis à ſe lectis, eamque ſub amiculo tuliſſe; Cæterùm quiſquis quacunque occaſione ſacrificaret, verbena coronabatur, de quo eruditè diſſerit mihi *Amiciſſ. Baruffaldus in not. ad Tabacheid.*, ſicuti, qui ſibi Deos propitios invocabat; Verbena, Lauro, Sulphure, ignè piaculo polluti expiabantur; ut monet *Alexan. lib.* 6., undè *Tiraquellus in ejuſd. Alex. annotat.* ait, Verbenis domos luſtratas, & purgatas fuiſſe; *Q. Curtius lib.* 4. ſcribit, Verbenas in Auguris manu præferri, dùm litaret, his verbis; *ille in candida veſte verbenas manu præferens capite velato præibat preces Regi Jovem, Minervam, Victoriamque propitianti;* quem locum egregiè explicat *Mich. le Tellier S. J. in not. ad Curt. ad uſum Delphini.*

CAPUT

CAPUT IV.

De Diebus.

DIei partes has eſſe apud Veteres legitur; nempè mediam noctem, mediæ noctis inclinationem, Gallicinium, Conticinium, quod, & Galli conticeſſerent, & homines etiam tunc quieſcerent, Diluculum, cùm incipit dignoſci Dies, Mane, ad Meridiem, Meridiem, de Meridie, ſivè tempus pomeridianum, Solis occaſum, ſivè ſupremam tempeſtatem, Veſperas, Crepuſculum, Primam facem, cùm ſcilicet lumina accendebantur, Concubiam noctem, cùm itum eſt cubitum; noctem intempeſtam, cùm nullum agendi tempus eſt, quod & ſilentium noctis vocabatur; Romani, teſte *Varrone*, diem à media nocte auſpicabantur; Athenienſes ab occaſu Solis, ad Solem iterùm occidentem unum diem dixerunt; Babylonii ab ortu Solis, ad ejus ortum; Umbri à Meridie ad Meridiem, & hic erat dies civilis, teſte *Macrobio*. Naturalis autem dies vocabatur tempus ab oriente Sole, ad ejuſdem occaſum, cujus contrarium erat Nox; Totum verò hoc Solis ſpatium ab ortu ad occaſum toto anni tempore in 12. partes erat diviſum, quæ dictæ ſunt horæ diei, & iſtæ erant inæquales, longiores diurnæ æſtivæ, breviores verò hyemales; & hinc inventa puto Horologia Solaria, in quibus Gnomon Soli oppoſitus, umbra in lineas incidente, horas oſtendebat; cùm autem Sol ſub nubibus lateret, Scipio Naſſica Clepſydras aqua plenas invenit, quibus horas dierum, & noctium menſurabat; Diem verò naturalem antiqui Romani ſalutationibus inchoabant, & commeſſationibus claudebant, teſte *Hildebrando*; de horis diei *ego* ſuprà dixi *in lib.* 3. Erant inſuper dies Feſti, qui Diis dicati erant; Profeſti, qui hominibus ad ſua negotia concedebantur; Interciſi, qui erant communes Diis, & hominibus, vulgò *mezze Feſte*.

Erant pariter Dies faſti, & nefaſti: primi, quibus Prætori fari licebat tria verba ſolemnia *Do. Dico. Addico.* In Nefaſtis autem id non licebat; erant etiam nefaſti, quibus horis matutinis jus dicere non licebat; pomeridianis verò licitum erat; Comitiales dies erant illi, quibus licebat cùm Populo agere; Comperendi-

ni, quibus vadimonium juberi licebat; Stati erant conſtituti ad controverſias cum peregrinis finiendas; Præliares, quibus fas erat res repetere, & hoſtem laceſſere; Juſti debitoribus erant dati, pecuniæ conquirendæ cauſa; Atri erant dies infauſti, ac infelices, de quibus ſuprà, &c. Innominati pariter erant illi dies ante quartum Kalendas, Nonas, Idus. Notandum verò Juſtos, innominatos, & atros non præliares dictos eſſe; De die autem natali, ejuſque ſuperſtitioſo ritu ſacro, & profano ſcripſit *Cenſorinus*, & eruditè poſt eum *P. Mart. de Roa Soc. Jeſu Sacerdos eruditiſſimus.*

CAPUT V.

De Chamæleonte.

CHamæleon albus Dioſcoridis dicitur Carlina, Planta ſcilicet à Carolo Magno primo hujus nominis Imperatore ſic nuncupata, quia ejus Exercitus, unius Angeli monitu, uſu radicis hujus à peſte liberatus fuit; ſic in peſte ejus maſticatio laudatur à Botanicis.

Nos autem in præſenti capite, non de Planta, ſed de Animali ſub Chamæleontis nomine intelligimus; quod ad genus Lacertarum reduxit *Ariſtoteles*; Ejus differentias, & deſcriptiones exhibet *Aldrovandus*; *Plinius* tradit Chamæleontes in Africa naſci; In Aſia plurimos verſari, ait *Solinus*; In India *Hollerius*; & *Bellonus* in Cairo; Nonnulli in noſtra Italia Chamæleontes nutriunt; & *Illuſtriſſ. D. Antonius Valliſnerius Profeſſor primarius in Univerſitate Patavina, Patronus meus perpetuò colendus, omni eruditionum genere ornatus*, multos Chamæleontes vivos annis elapſis alebat, inter alia plura naturæ curioſa, quæ ad Philoſophiam naturalem ſpectant, quibus maximè Vir ille inſignis delectatur.

Licet autem hoc Animal quoſcumque reddat colores, quos proximè attigerit, ſi *Aldrovando* credamus, attamen rubrum, & candidum colorem non admittit; Quærunt Doctores quomodo nutriatur.

Chamæleontem ſolo aëre vivere aſſerit *Plinius*; & confirmant *Solinus*, *Agricola*, & *Ovidius in Metam.*

Id

Id quoque quod ventis animal nutritur, & aura
Protinus, aſſimilat, tetigit quoſcumque Colores.

cùm quo facit etiam *Alciatus in Emblem.*

Semper hiat, ſemper tenuem, qua veſcitur, auram.

Kircherus ait, Chamæleontem ſolo odore ſuſtentari; *Geſnerus de Quadrup.* rore nutriri putavit; Sunt, & alii, citante *Jonſtono*, qui radios Solis dicunt eſſe alimentum iſtius animalis. Ego diù quidem famem tolerare Chamæleontem puto, non tamen in totum cibo abſtinere, ore enim hiante, linguaque muco ſemper obſita, captare muſcas, formicas, aliaque parva inſecta, docent *Scaliger*, *Bellonius, Woſſius, Voighthius*, & *Redi in Epiſt. Italic. Edit. Venetiis* 1712.

Dixi ſupra Chamæleontem nec candidum, nec rubrum colorem referre; verùm legitur apud *Voſſium*, virum fuiſſe, cui donatum fuit tale animal, quod involvit ſudario, atque ubi domum veniſſet, aperto ſudario, dùm oculis non ſatis attentis inſpicit, errore deceptus, effugiſſe animal putavit, nimirum quia candidum ſudarii colorem referret; Id ſi eſt, falſi ſunt Veteres, qui candidum aſſumere colorem negaverunt, Par autem rubri coloris ratio eſt, quippe ſi ſudarium rubrum fuiſſet, rubrum retuliſſet colorem.

CAPUT VI.

De conſecratione Imperatoris apud Veteres Romanos.

IMperatoris conſecratio, ſi Autoribus antiquis fides eſt habenda ſequenti modo peragebatur. Mortuo quippè Imperatore, qui ſuperſtitem reliquiſſet ſucceſſorem; Corpus ritu conſueto, & funere ſplendido, ac ſumptuoſo ſepeliebatur, ceream indè imaginem defuncto ſimilem ſuprà lectum veſtibus ornatum aureis locabant; lectum à læva, Senatus atra veſte amictus, à dextra Matronæ cingebant, & hoc per ſeptem dies faciebant, Medicis quotidie ad lectum accedentibus, quaſi ægrum inviſentibus; Demum lectum humeris attollebant Senatorii, & Equeſtris ordinis juvenes, atque in forum deferebant, ubi Magiſtratus deponere imperium conſuevit; in Foro alius erat conſimilis lectus, in quo ſtatuam ceream mortui Principis ex palatio allatam collocabant, à qua, teſte *Hildebrando*, puellus egregiæ formæ, ut ſi Imperator dormiret, pavonis pennis muſ-

cas abigebat. Hinc roſtra aſcendebantur, & denatum Imperatorem laudabant, indè imago in Campum martium deportabatur; & præferebantur illuſtrium Romanorum Statuæ; Provinciarum item, & nationum, quæ erant ſubjectæ Imperio Romano ſimulacra ænea; inde ſequèbantur armati Equites, ac Pedites. In campo martio autem rogus quadrangulus in formam tabernaculi extructus erat, exornatus variis ſignis aureis, in cujus ſummitate currus inauratus defuncti Imperatoris collocabatur, hinc aromata, herbas, & ſuccos odoratos effundebant; Imperator ſuperſtes, & ejus propinqui ſtatuam prædictam oſculabantur, tunc univerſo Senatu ſpectante circa ædificium illud adequitabant omnes equeſtris ordinis certa lege, curſu, & recurſu; quibus celebratis, facem Imperii ſucceſſor tabernaculo admovebat, & omnes Magiſtratus undique ignem ſubjiciebant; hinc è Summo tabernaculo Aquila dimittebatur, quæ in Cœlum Principis denati animam deferre credebatur; & eadem ratione Imperatoris Uxores conſecrabantur.

CAPUT VII.

De Portentis Naturæ.

NAtura aliquandò errat in generatione, & quandoque abortitur, aut partus producit membris ſuperfluis, vel monſtruoſis, vel in aliam ſpeciem degenerantes. Sic portentoſa meteora ſunt, cùm pluit ſanguinem, ſulphur, lapides, ranas, aliaque inſolita, ut referunt hiſtorici; In animantium genere portentum eſt, cùm animal oritur biceps, aut triceps, bicorpor, vel tricorpor, item bigener, qualia ſunt animalia vulgo *Muli* prognata ex Equa, & Aſino, Leopardique ex pardo, & leæna, nec non hybridæ ex fero, & domeſtico ſue; Ex hominibus verò pro monſtris habentur primò Hermaphroditi ambiguo ſexu nati, deinde membro aliquo deficientes, aut ſuperefficientes, & excedentes, aut deformati, quibus addere liceat Pumiliones, & Gigantes.

Narrationes de Phœnice, Ave ſcilicet ſe ipſam exurente, & è propriis cineribus reviviſcente, item de pelicano pullos ſuos ſanguine proprio vivificante, de hydra ſepticipite, de Gryphe volucri quadrupede, & de Arpiis obſcœnis avibus, de Centauro ſemi homine;

mine, & ſemiequo; de quibus omnibus pleni ſunt Poetarum libri, fabuloſæ ſunt. Pariter dicendum eſt de Faunis, Satyris, Sirenibus, Tritonibus, quæ animalia, vel fuere credulitatis humanæ commenta, vel ludentis Naturæ extraordinaria miracula, aut ſi figmenta non fuere, Dæmones ad fallendos homines fuiſſe veriſimile eſſe, ait *Comenius in Janua eruditionis cap.* 31.

CAPUT VIII.

De Inventoribus nonnullarum rerum.

MUlta de rerum inventoribus erudite ſcripſerunt *Polid. Virgilius*, *Alex. Sardi Ferrar. noſter*, & *Theod. Janſſonius*; aliqua tamen nos derelicta ab eis hic ſubjicere non incongruum putamus, ad majorem eruditionis meſſem. Sic Academias litterarias poeticas invenit *Jo: Jovian. Pontanus*, juxta *Minturnum in præfat. ad Poetic.*; Ova in Mulieribus primò notaverunt Warthon., Steno, & *Graaf.*, ut ait *Clariſſ. Nigriſolius de Gener. vivent.*

Alphabetum italicum novis litteris adauctum dedit Ptolomeus Senenſis, alii ajunt Triſſinum illud inveniſſe; Ita *Azzolin. in pomp. Senenſ.*, Lenticulæ paluſtris ſemen primò obſervavit Clariſſ. Valliſnerius, ſicut ſemen Algæ marinæ *Ceſtonius.*

Armillæ inventæ, & primò fabricatæ à Vulcano *Caſp. Bartolin. de inaur. veter.*, Zonas ſonoras in aure primus obſervavit Clariſſ. Valſalva.

Aucupium cùm Accipitre, aut Falcone invenit Frid. Barbaroſſa (*Guid. Panzirol. rer. deperd. & invent.*) Aſtianaſſam Helenæ famulam varios modos concubitus inveniſſe tradit *Nicol. Leonic. Thomæus Var. hiſt. lib.* 3. Artem expurgandi, & perficiendi Saccharum invenere Veneti. *Guid. Pancirol.* Artem contrà Dæmones inveniſſe Salomonem ad hominum utilitatem, ait *Jo. Franciſ. Picus de rer. pœn. lib.* 7. Æquinoctium primus obſervavit Anaximander. *Suidas.* Aſylorum uſum invenit Cadmus, *ex Baldaſ. Bonifac.* Harmoniam reperit Diocles Athenienſis, dùm teſtacea vaſa ligno pulſabantur; *ex eodem Autore.* Bombarda inventa eſt à Bertholdo Svvardo Monaco Friburgenſi, *ex eodem.* Bombyces, & eorum Semina è regione Cinæ primò Conſtantinopolim regnante Juſtiniano, an. 150., attuliſſe

liſſe quoſdam Monacos, ait *Procopius*. Colorem ultramarinum ex lapide lazuli præparatum primus reperit Nicol. Nicolutius dictus *il Pigna*, aromatarius, & Pater Jo: Baptiſtæ Hiſtorici, ac Poetæ famigeratiſſ., *vid. Barthol. Riccius epiſt.* 4., & *Baruffald. Bibl. Script. Ferrar. MS.* Ductus adipoſos Omenti primus obſervavit Malpighius. Ductus Salivales invenere Ant. Nuck., Nic. Steno, Warthon., Bartholinus, & Rivinus; ut ego innui in tract. de Saliva. Faſti Kalendares Romani, ſeu dies feſti, & ludi Romanorum fuere primò inſtituti à Numa Pompilio, & Cn. Flavius Scriba Pontifex publicavit; deindè C. Jul. Cæſar. Anno ad Solis Curſum redacto in Foro adfixit; (*ità Andr. Schot. elect. antiq. rom.*) Stemmata primus invenit Heliogabalus. (*Salmaſius ſup. Ælium Lamprid.*) Valvulas in vaſis lymphaticis Fridericus Ruyſchius primus obſervavit. Mercurialem unctionem Jacobus Carpus invenit; (*Fallop.*, & *Ramazin. de Mor. Artific.*) Novus Orbis repertus eſt à Chriſtophoro Columbo. (*Pancirol. rer. invent.*) Jambica Carmina primùm excogitavit Jambe Panos Filia. (*Tiraquell. de leg. connub.*) Maria Soror Moſis prima omnium carmina heroica modulata fuit; (*cit. Tiraquel.*) Sido Ponti filia primò hymnos compoſuit, teſte *cit. Tiraquel.* Theatrum primus omnium Thepſis aperuit (*Scaliger. Poet.*) Rythmos italicos vulgò Ottave invenit Boccacius. (*Creſcimben. Hiſt. Poeſ.*) Verſus canere in tertia rima primus invenit *Dantes Aligherius*; ità ſuadente eodem *Creſcimbenio*. Jacobus Riccius Veronenſis invenit Muſcipulas (*Carol. Ridolf. de Pict. part.* 2.) Novum Syſtema circa vermes humani corporis dedit Clariſſ. Valliſnerius. Notas Muſicales invenit Jacob: Muri Pariſinus. (*P. Bacchin. in diar. liter. mutin. Ann.* 1696.) Libationes inventæ ſunt à Libero patre (*Caſal. de ritib. roman. veter.*) Lucimetrum invenere Galli (*ità Dominic. Cecchi.*) Typographiam invenit Anno 1440. Joan. Fauſtus Civis Moguntinus, ut ſcribit *Salmutus in not. ad Pancirol.* Sacchari lactis inventio debetur D. Lud. Teſti. Nivem Martis nupèr pharmaciæ Italicæ dedit peritiſſ. Jo: Hieron. Zannichellus. De Chartæ, qua nunc utimur inventione multa eruditè ſcripſit in ſua epiſt. de Charta, *inſignis noſter Franc. Maria Nigriſolus.* Vaſa lymphatica à dura per piam meningem cerebri producta primus obſervavit oculatiſſ. Pacchionus.

CAPUT IX.

Sequuntur alii rerum inventores.

MOLAM aquariam ad triticum frangendum primus invenit Beliſſarius Juſtiniani Dux famatiſſimus (*Pancirol.*) Torneamenta, ſivè belli ſimulacra reperit Emanuel Comnenus Imperator Conſtantinopolitanus (*Nicetas.*)

Loqui per hyerogliphica invenere Ægyptii (*Pier. Valerian.*) Zifferæ, ſeu furtivæ litterarum notæ inventæ ſunt à Libertis Ciceronis, & Mecenatis. (*Pancirol. rer. invent.*) Togam Trebenum quendam Arcadem inveniſſe, refert *Boſſius de toga rom.* Inaures primus paravit Vulcanus. (*Caſp. Bartholinus de inaurib. Veter.*) Equuleum invenere Græci. (*Magius de equul.*) Tintinnabuli ſacri inventum debetur D. Paulino Epiſcopo Nolano (*Maggius de tintinnab.*) Fabulam paſtoralem italicis carminibus exaratam primus dedit Auguſtinus Beccari Ferrar., ut notat *Guarin. in compend. Poeſ. tragicom.* Choros autem in iſtis Fabulis primus invenit, & eis addidit Torq. Taſſus. Numiſmata ſacra invenere populi Belgii ſub Pio V. (*Fam. Strada S. I. de bel. belgico.* Societates *Battutorum* Laicæ inventæ ſunt à Senenſibus, ità *Marcus de Uliſipon.* Minarum bellicarum inventor fuit Petrus Navarus. (*Guicciardin. hiſtor.*) Pendula Horologiis primus adaptavit Galilæus (*Redi in epiſt.*) Orationes judiciarias etruſco idiomate primus invenit Alexander Guilielminus Senenſis (*Claud. Ptolomæus in Epiſt.*) Epigrammata italica Aloyſius Alamanni primò compoſuit (*Creſcimben. Hiſt. ital. Poeſ.*) Vitalianus inventor fuit Organorum muſicalium in Templis, ità *G. Horn. hiſt. Eccleſ. Caſal. part.* 3. Veſtales primus inſtituit Numa Pompilius (*Caſal. de prof. rit. rom.*) Stercorandi agros primus inventor fuit Pilumnus, undè Pylades Poeta antiquus cecinit

De Jove Pilumnus qui ſtercora ferre per agros
Edocuit populos . . . .

Intercalandi menſes modum in anno ſolari primus dedit Cæſar Dictator (*Marcel Donat. ſup. Tit. Livium*) Feralia invenit Æneas, teſte Ovidio lib. 2. Faſtor., Parentalia primus inſtituit Numa (*Kirchman. de Funer.*) Primus Homicida fuit Cain. (*Geneſ. cap. 4.* (Venas ſecare primò docuit Hippopotamus, Autore *Plinio*. Purpuræ inventio debetur Herculi (*Bonifac. hiſt. lud.*) Syrophænices invenere ſyderum cognitionem, navigandi induſtriam, & militarem diſciplinam (*idem Bonifacius*) Ocularia invenit Fr. Alexander Spina (*Redi de ocular.*) Spheræ inventio Nauſiacæ Alcinoi filiæ debetur, ità *Suidas.* Primus Hoſpitalarius Zoticus fuit (*Jo. Bap. Pacichel. de hoſp.*) Ponderare aquam in aqua, reperit Rob. Boyleus, ità ait *Oldembourg. Act. philoſ. ann. 1669.* Novam Inſtitutionum medicarum Ideam, dedit celeberrimus Morgagnus Profeſſ. Patavin. Tetrametrum invenit Ariſtophanes (*Suidas hiſtor.*) Rorem pericardii deſtillari à poris membranæ cordis primò notavit Cl. Fantonus (*Illuſt. Valliſner. anat. Strut.*) Obeliſcus inventus eſt ab Ægyptiis, primuſque erexit Mytres (*Bonifac. hiſt. ludric.*) Glandulas urethræ novas invenit Clar. Terraneus Medic. Taurinen doctiſſimus.

CAPUT X.

De Roſa.

ROSA apud omnes Gentes, & Nationes Flos eſt ſpectatiſſimus, ſuaviſſimique odoris, quo Cor, cerebrumque mirificè recreantur; hæc eſt Veneri ſacra, undè *Poëta* cecinit

Syderis, & floris eſt Domina una Venus.

& *Anacreon* dixit

Roſam amoribus dicatam:

quoniam, ut brevi tempore durat roſa, & ociſſimè marceſcit, ſic forma, ac voluptas venerea citò pereunt.

Conviviorum pariter amica fuit Roſa, ac familiaris, & Silentii quoquè ſymbolum referente *Stuchio in Antiq. conviv. lib. 3.* ſic

ſic Poetæ finxerunt, Cupidinem Veneris filium Roſam Harpocrati Silentii Deo conſecraviſſe, eoque munere eum decoraſſe, ut Roſa loquacibus exhiberetur, velut ſymbolum Silentii; hinc à multis in cœnaculis Roſa affigebatur, ut quiſquis eſſet ſecreti tenax, & omnia tacenda eſſe recordaretur, quem morem carmina ſequentia depingunt,

Eſt roſa flos Veneris, cujus quo facta laterent
Harpocrati Matris dona dicavit Amor;
Inde roſam menſis hoſpes ſuſpendit Amicis
Conviva, ut ſub ea dicta cavenda ſciat.

Ex hoc proverbium ſurrexit apud Germanos, *hæc ſint ſub Roſa dicta*, quo ſignificatur, ea, quæ ſunt liberis dicta, fida taciturnitate eſſe tegenda, nec aliis communicanda.

Roſas pariter Sceptrorum cacumini impoſitas à Babyloniis fuiſſe narrat *Clariſſ. Jo. Argolus in not. ad Panvin. de lud. Circ.*, idemque, inciſas in obeliſcorum ſummitatibus eaſdem roſas ab antiquis notavit; Germanos olim Roſis uſos eſſe ad reprimendos vini vapores Poſſidonii teſtimonio comprobat *Appianus lib.* 2. & de hoc fusè egi *ego in meo de Coronis libro. Plutarc. in Sympoſ.* roſaceas, & violaceas coronas leniter frigidas, adſtringendi, eaque quibus caput gravatur odore ſuo reprimendi vim obtinere docet, & idem confirmat *Clem. Alexandr. in Pædag.* undè *Anacreon.*

Sed implicare curo.
Meos roſis capillos.

& rurſus in alio loco cecinit

Roſam amoribus dicatam
Sociemus ad lyæum &c.

quæ carmina Anacreontis, ità in italicum ſermonem concinnè convertit *Illuſtriſſ. D. Ab. Anton. Mar. Salvin. in Acad. Florent. Græcar. Literar. Lector. Sapientiſſimus*

„ *E le tempia inghirlandiamo*
„ *Dell' amoroſa*
„ *Vermiglia roſa*

,, *E ogn' un con riſo chiaro , e grato*
,, *Rida , e beva incoronato.*
,, *Roſa vaga , e luſinghiera*
,, *Roſa onor di primavera &c.*

De hoc etiam Flore cecinit celeberrimus Vates italicus noſtrorum dierum *D. Franc. de Lemene*

Deh mirate , ò Verginelle ,
Come pura ne innamora
Freſca Roſa in sù l' Aurora ,
E imparate ad eſſer belle ;

Significari enim in Sacris paginis per Roſam Virginitatem , & Martyrium , *ait P. Mart. del Rio in adag. ſacr. ;* primam ob Roſam candidam , alterum ob rubicundam ; ſic *D. Ambroſius de Virgin.* inquit *Virgines copioſum Gratiæ influxum exigunt , & roſæ imbre fœcundantur* , & *P. Cornel. à Lapide com. in ſapient. cap.* 2. pudoris , ac virginitatis ſymbolum Roſam eſſe ſcripſit , unde ſuavis noſtri incomparabilis *Areoſti* Muſa *in cant.* 1. *ſui Orland. Fur.* cecinit

La Verginella è ſimile à la Roſa.

& *Taſſus celebris italicus Vates Cant.* 16. *Hier. liberat.*

Deh mira , egli cantò , ſpuntar la Roſa
Dal verde ſuo modeſta , e verginella
Che mezo aperta ancora , e mezo aſcoſa
Quanto ſi moſtra men , tanto è più bella.

Olim etiam Gratiis ſacram fuiſſe Roſam ob inſignem floris elegantiam , dicit *Pauſanias lib.* 6. cùm ejus venuſtas , & foliorum decor , vivam pulchritudinis imaginem exprimat. Aurora quoque , quæ aureo vultu ſplendentem Solis faciem reducit , ab antiquis *Dea roſea* appellabatur , & ab Anacreonte roſeis digitis decora Aurora dicitur , undè *ſuaviſſ. Redi* cecinit

. . . . con le roſee dita
A i viaggi del Cielo il Sole invita.

Pierius Valerianus , Roſam pro hieroglyphico humanæ imbecillitatis agnoſcit ; hinc elegans Poeta roſam ſic celebravit , vel potius deploravit ,

Mira-

Mirabar celerem fugitiva ætate rapinam,
Et dum naſcuntur conſenuiſſe roſas.

Hinc *Sanct. Ambroſius in Hexam.* philoſophatur, roſam ſpinis armatam eſſe, tanquàm humanæ vitæ ſpectaculum; triſtitia enim adjunctam ſemper habet hilaritatem, & è contrà; Roſas autem primitùs ſpinis caruiſſe, ait *S, Baſilius*, poſtea verò floris pulchritudini additos eſſe aculeos, ut quod ex voluptate oblectamentum perceperimus, propinquo indè dolore exulcerati, quem èx delicti recordatione emergere, ſcribit *Cornel. à Lapide Com. in Eccleſiaſtic. cap.* 24. ſtatim amittamus; Medicè autem loquendo, integram Pharmacopœiam ex ſola Roſa efformari poſſe, jàm docuit *Jo. Car. Roſembergius in ſua Rhodologia*, *ſivè Philoſophico-Medica roſæ deſcriptione*, ubi increpat eos, qui inſuper habitis domeſticis, & vernaculis, medicamina indica, exotica, ac peregrina petere ſolent.

Licet porrò tantæ venuſtatis, & jucunditatis Roſa exiſtat, attamen nonnullos ab hoc Flore abhorruiſſe, ait *Illuſtriſſ. Ramazzinus de Morb. Artificum*, & Medicorum teſtantur hiſtoriæ; Hinc *P. Caſp. Scotus in lib. 3. Phyſic.* de Cardinali Caraffa ſcribit, qui quotannis roſarum tempore, Romam linquere cogebatur, ſeque intra ſuos hortos claudere, cuſtoditis oſtiis, ne quis amicorum ingredientium roſam inferret.

Petrus Melinus, teſte *Pierio*, roſarum odore plurimum lædebatur; *Petrus Servius in ſuo de odoribus libro*, ſe noviſſe ait pediſſequum, qui roſarum odorem adeo fugiebat, ut eo percepto, animo confeſtim deficeret; *Dygbæus in tract.* 1. *de natur. corpor.* ſcripſit de nobili Angla, quæ ſummoperè à roſarum odore abhorrebat, & cùm quidam clam dormientis ejuſdem genu roſam impoſuiſſet, experturus, num tanta illi eſſet cum roſa antipathia, quanta dicebatur? hinc ortæ fuere puſtulæ variæ in ipſo genu.

Grunbergenſem, notavit *Clariſſ. Samuel Ledelius Academicus noſter Curioſus in Miſcel. Acad. Leopoldinæ*, cui odor roſarum inflammavit oculos, & de Matrona nobili, retulit *in Ann. x. dec.* 2. *Miſcel. Cur.*, quæ albarum roſarum odorem non tantùm admitte-

mittebat , ſed , & capiti eaſdem Roſas albas imponebat, libentiſſimeque naribus admovebat , rubras autem omnes adverſabatur , & ni removerentur , deliquia animi patiebatur ; undè autem ratio ſit eruenda , non tam liquidum videtur ; ait verò *citatus Ledelius* , videri , quod ſubtiliores , & penetrantiores particulæ inſint rubris roſis , & ea propter nervoſum genus penetrantius feriant , quàm albæ , utpotè quæ non ità ſunt excoctæ, & aquoſiores continent partes præ rubris , id quod color ſaturatior in his innuit ; immò legitur *in tom. 5. dec. 2. Miſc. Ac. Cur.* Roſarum cauſa dolores capitis ortos fuiſſe , & de Cive noſtro recordor, qui ex odore roſarum , gravedine afficiebatur. Tandem notandum Gentiles in ſuis teſtamentis juſſiſſe ad eorum ſepulcra roſas deferri , ut ex Lapidibus ſepulcr. patet , in quibus legitur : *ut quot annis roſas ad ejus monumentum deferant* , & alibi , *Roſâ quotannis ornandum.*

JOSEPHI LANZONI, ADVERSARIORUM

LIBER QUINTUS.

CAPUT I.

De Bacchanalibus.

BACCHANALIA erant Bacchi feſta, quæ & Dyoniſia dicebantur, in quibus Viri per noctem fœminis, & teneræ ætati turpiter miſcebantur per dolum; & talem Bacchanaliorum deſcriptionem ex *Cicerone de legib.* dat nobis *Robertus Stephanus in Theſ. ling. lat.* erant autem antiquitus nocturna Sacra in honorem Bacchi inſtituta, omnis laſciviæ, & libidinis ſeminaria. Hæc porro

porro Orgia dicebantur à furore, quia mulieres furore veluti correptæ eadem peragebant. Etiam Trieterica dicta ſunt, quia tertio quoque anno majori ſolemnitate celebrarentur. Liberalia quoque appellata ſunt à Libero, id eſt Baccho, & hæc feſta præcipue XVII. Martii à vetulis Hedera coronatis domi apud foculum peracta eſſe tradit *Kippingius*. Dicebantur etiam Bromalia, nam Bromius, & Bacchus idem ſonat. Porro Liberalia teſte *Laurentio in Polymat. Lib.* 4. celebrabantur Romæ 16. Kalend. Aprilis cum Annæ Perennæ Sacrum quoque fiebat: Hæc peragebant per agros ſubdio, vel tentoriis cum largioribus poculis, cantiunculis, ac choreis impudicis. Noſter *Gyraldus* uno quoque menſe Bacchanalia celebrata fuiſſe ait. Romulus inſtituit Bacchanalia, ac tribus ordine diebus, Senatum totum convivio magnifico excepit teſte *Cæl. Rhodigino*; menſe Novembri celebrata Bacchanalia vult *Dempſterus*, & menſe Octobris *Kippingius*, cujus tribus diebus ultimis viri fœminis, Virginibus juvenes permixti, nudi pampinis coronati, & penes femoralia alligati manibus thyrſos gerebant: Sic *Propertius*

Hæc hederas legit in Thyrſos.

Nec talia ſine ſtupris & adulteriis tranſibant, unde prudenter Bacchanaliorum feſtum Romæ, & per totam Italiam Senatus Conſulto prohibitum fuit: de qua re apud Livium graviſſima extat oratio, quæ fœdiſſimos Bacchanalium ritus funditus extirpare conatur. In illis Bacchanalibus agebantur comœdiæ, tragœdiæque, uti etiam hodie fit in hac noſtra civitate, unde comici, & Tragici Poetæ in Liberi Patris clientelam, & fidem fuere teſte *Turnebo*. Hîc autem notare mihi liceat ad majorem eruditionem, caſta etiam fuiſſe ſacra Bacchi, unde apud *Tiraquellum de leg. connub.* legitur, viris cum uxoribus vetitam mixtionem, quando cum mane Baccho eſſent ſacrificaturi, quoniam id per caſtas manus fieri ſolebat. Orpheum enim Orgia, id eſt ſacrificia Bacchi inſtituiſſe, & à menſtruoſis ſolum mulieribus celebrari ait citatus *Tiraquellus*; quoniam ab illarum

illarum commixtione viri tunc abhorrebant: huic mori alludere videtur *Ovidius lib.* 2. *Faſt.* canendo

Sic epulis functi, ſic dant ſua corpora ſomno,
Et poſitis juxta ſecubuere thoris
Cauſa repertori vitis pia ſacra parabant,
Quæ facerent pure cùm foret orta dies.

Super quem locum notat *Kippingius*, in caſtis fuiſſe illo qui mane ſe rei ſacræ immixturi erant, & hic receptiſſimuss erat ritus apud Veteres. De hac re legi meretur *Salmaſius Plinian. Exercit.*, & poſt eum *Lubinus ad Juvenal. ſatyr.* 6. Porro ab Athenienſibus originem habuiſſe Bacchanalia ait *Alex. ab Alexandro Gen. dier. lib.* 6. quæ celebrari ſolita erant menſe Novembri tanta libertate, ac licentia, ut nympharum, & heroum habitu Bacchantes prodirent in forum ad tibiæ ſonum cum laſciva geſticulatione, quos populus coronatus ſpectavit. Miniſtri harum feſtarum erant Satyri, Sileni, Bacchæ, Mænades, Lenæ Snimalonides, Naiades, Nymphæ, & Tytiri: in illis etiam comeſſationes, thyrſi, tibiæ, & cantus erant, quæ ſacra proceſſu temporis nocturna facta promiſcuis ingenuorum, & fœminarum ſtupris cum ſtrepine, ululatu conſpurcabantur; & hæc Nyctileia ſunt dicta, unde Nyctileus Pater Bacchus dicitur ab *Ovidio lib.* 1. *de art. amand.* his carminibus

Nyctileumque patrem, nocturnaque ſacra precare,
Ne jubeant capiti vina nocere tuo.

& Doctiſſ. *Cœlius Calcagninus* noſter Ferrarienſis *de reb Ægyptiacis*, de Bacchanalibus ſcribendo ait Nebridas ſibi injicientes, arripienteſque thyrſos in Dioniſii Orgiis, & ulutatibus, & excurſibus, quaſi Deo afflatas incedere: unde *Roſinus* talia niſi ab amentibus fieri potuiſſe ſcribit. De turpitudine Bacchanaliorum plura cupienti dabunt *D. Auguſtinus lib.* 7. *de Civit. Dei*, *Beyerlinck in Theat. Vitæ humanæ.*

CAPUT II.

Caput Cœnæ quid?

ALIQUI fuere, qui Caput Cœnæ pro ipſa eadem Cœna ſumpſerunt, unde *Martial. lib. X. Epig.* 31. cecinit.

Nec bene cœnaſti, nullus tibi quatuor emptus
Librarum Cœnæ pompa; caputque fuit.

Super quæ carmina ait *Raderius*, antiquos in tres partes cœnam dividiſſe, *in proemium, ſeu ante Cœnam; Cœnæ Caput*, & *ſecundas menſas*: & poſtea addit illud Alexidis apud Athenæum, κεφαλὴν δεῖπνον idem eſſe, ac *pompam*, & *caput Cœnæ* Martialis, unde videtur pro *pompa*, & *Capite Cœnæ* venire illud, quod inter proemium menſæ, & ſecundas menſas intercedit: adeòque ut benè *Martialis* locus intelligatur neceſſaria erit gloſſa interpretis, nam alter alteri auxiliatur; & ego ſanè opinor Caput Cœnæ nihil aliud eſſe, quam ferculum nobilius convivii; & *Turnebus in Adverſar. Lib.* 2. apertè confirmat idem his verbis: *Caput Cœnæ eſt præcipuus miſſus, præcipuumque ferculum cœnæ*: idem, & clarius ait *Lipſius in Antiq. lect. lib.* 3. *ſecundi miſſi præcipuum ferculum Caput Cœnæ dictum fuit*, & *Fulvius Orſinus* ſcripſit: quod in Cœna præcipuum dabatur ferculum, quod caput Cœnæ dicebatur. Igitur juxtà ſenſum horum Auctorum Caput Cœnæ nihil aliud eſt, quam dignius ferculum: ideòqne irridens *Martialis* Cœliodorum, qui ut bene cœnaret vendidit ſervum, cujus pretio emit piſcem multum ponderis quatuor librarum. Concludendum igitur cum *Joſepho Laurentio Lib.* 1. *Polymat.*, Cœnæ caput eſſe primum, quodque, & præcipuum ferculum, de quo *Cicero* 5. *Tuſcul.* ait *Jus nigrum quod erat Caput Cœnæ.*

C A-

CAPUT III

De Hermathenis.

CICERO ad Atticum : *Hermathenæ tuæ valde me delectant, & poſitæ ita bene, ut totum Gymnaſium Eliu anathema eſſe videat,* id eſt ut exponit, *Paulus Manutius tanquam ſol illuſtrare videatur,* qui *Manutius* addit illas res, quæ ad ornanda templa inſtruebantur *Aratemata* appellabantur, ideòque *Cicero* dixit, Hermathenas tam bene in Academia comparere, uti ſol ipſe, qui omnia colluſtrat. *Turneb. lib.* 8. *Adverſar.* dixit Julium reſpexiſſe Rhodiano Coloſſo Phœbo conſecrato. Quid autem eſſet *Hermathena* idem *Cicero* declarat in alia epiſtola ad Atticum : hæc ſunt ipſius verba : *Quod ad me circa Hermathena ſcribis per mihi gratum eſt, & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt ejus gymnaſiis.* Hinc *Laurent.* in *Polymat.* dixit, *in gymnaſio ſuo, id eſt; Academiæ Villæ Tuſculanæ Cicero Hermathenam, id eſt Mercurii, & Minervæ ſtatuam locavit.* Erat ergo Hermathena Mercurius, & Minerva in uno ſimul ſtylobate conjuncti, unde *Hildebrandus in ſuo comp.* hæc verba *Hermathena Mercurii, & Minervæ ſtatua in una baſi conjuncta;* aſt *Paulus Manutius* neſciens quomodo Hermathena fieret, ait *Paulum Orſinum* oſtendiſſe ei antiquum numiſma, in cujus parte effigies erat Adriani Imperatoris, in alia parte erat figura mulieris galeatæ cum framea, & ſcuto; inferius verò erat effigies Mercurii : ergo Hermathena componebatur ex Mercurio, & Minerva, ideo citatus *Laurent. in ſua Amalt.* ſcripſit, *Hermathena Mercurii, & Minervæ ſtatua conjuncta in gymnaſiis culta,* & *Pitiſcus* rationem reddit, dicens *Hermathena erat ſtatua Hermam, & Athena repræſentans, id eſt Mercurium, & Minervam, eo quod ille eloquentiæ præeſſet, hæc doctrinæ; eloquentia enim, niſi comitem doctrinam habeat quid eſt, niſi nudus, inaniſque ſonus : doctrina verò abſque eloquentia obſcurus, & inutilis theſaurus :* Quapropter concludit *Thomaſinus in*

lib. de donar. cap. 23. Hermathena ergo erat ſtatua compacta ex Mercurio, & Minerva, hæc enim, & Mercurius ingenii præſides, unde apud *Gruterum* in *Propylæo* Templi *Hazakienſis* habetur hæc inſcriptio.

MERCURIO, ET MINERVÆ
DIIS TUTELAR. S.

& *Dempſterus* in ſuis *notis ad Roſinum lib.* 2. *cap.* 9. loquendo de hac voce *Hermathena* ait *Mercurio*, *& Minervæ erigebatur ara communis, imò & utrumque Numen in eadem ſtatua, quæ ob id Hermathena eſt dicta, ac ſi dicas Mercurio-Minervam.* Addo tandem auctoritatem *Figrellii de ſtat. Rom. cap.* 24. quæ talis eſt: *Hermathenæ ſtatuæ, ſcilicet ex Mercurio, & Minerva junctim conjunctæ ad Gymnaſiorum, Academiarumque ornamenta deſtinabantur*, cui auctoritati adjungo illam *Patris Nicol. Mortier* in ſuis *Etymolog.*, quæ talis eſt: *Hermathena eſt ſimulacrum ex Mercurii, & Minervæ ſtatuis compoſitum, nam Hermes Mercurius, & Athena Minerva à Græcis appellata.*

CAPUT IV.

De Silanis. *

SILANI apud Antiquos quædam fuere figuræ ſomnum, ut inquit *Celſus*, conciliantes; *Confert etiam aliquid ad ſomnum Silanus juxta cadens*: & ideò *Feſtus*, Silanum ſtatuam dixit, quæ ad inſtar fontis leviter aquam verſaret: hæc ſunt ejus verba, *Tullii alii dixerunt eſſe Silanos, alii rivos*: & in hoc ſenſu teſte *Cæſario in Celſum* accepta fuit vox Silani à *Georgio Valla* dicente, Silanum pro rivo: & circa hoc notabile eſt illud, quod de Domitiano ſcribit *Xiphilinus*, id eſt eum in ſuis ſpectaculis ſæpe convivium feciſſe eis in eodem loco ſedentibus, & præbuiſſe ſæpenumero vinum fluens nocturno tempore. Hinc *Ca-*

ſaubo-

* *Vide Morgagni Epiſt. in Celſum pag.* 15.

ſaubonus ſuper *Suetonium* affirmat illud vinum per Silanos manauiſſe, unde poſtea eruditus *Pitiſcus* ſcripſit in ſuo *lexico*, Silanus vocatur aquarum tubus, ſive fiſtula, id eſt rivulus ſuſurrans decidentium leviter aquarum: ita *in 6. Lib. Lucretius* cecinit.

Corpora Silanos ad aquarum ſtrata jacebant.

Noſter celebris *Gyraldus in Dialogis* 18. circa hanc vocem Silanus ſcripſit hæc verba, *quid verò ſibi velit hæc inaudita vox Silanos, cui reſpondi, antiquam eſſe vocem latinam, & tubos aquarum ſignificare, & fiſtulas id, quod innuit ſext. Pompeius.* In hac pariter ſignificatione ſumpſit Silanos *Laurent. Pignoria* in ſuo *lib. de Servis Cap.* 23. dicens *expreſſiones aquarum Silani vocabantur. Joſeph Laurentius in Amalth.* ita ſcribit: *Silani ſunt aquarum tubuli, è quibus aquæ erumpunt*; ideòque *Joh. Calvinus* in ſuo *Lexic. Jurid.* ait, *alii dixerunt eſſe Silanos è quorum roſtris aqua fluere ſolet, alii Silvanus dici volunt, ſed illud magis probatur*: & ſi non ſufficerent iſtæ auctoritates addere poſſem illam *Hygini in fab.* 169. *tres Silani ſunt ſecuti*, ſuper quæ verba ita ſcribit *Muncherus* in *Mythograph. lat. com.* 1. *pag.* 241. *Silani ſunt fiſtulæ aquæ, fiſtulas aquarias* vocat *Capitolinus in Macrino*, & *canales* interpretatur *Barthius Adverſ. Lib. X.*

CAPUT V.

De Veterum Chriſtianorum Jejuniis.

REQUISITUS, quid intelligat *Minucius Felix in ſuo Octavio* ſub nomine ſolemnium Jejuniorum reſpondi: Chriſtianorum jejunia quædam ſtata, ac ſolemnia fuiſſe; quædam indictiva exigente neceſſitate, undè *Tertullianus* de his dixit ad Uxorem, ut ſi ſtatio facienda, jejunia obſervanda ſunt, & maritus eadem die convivium exerceat. Hinc furente perſecutione jejunia crebrius frequentata fuiſſe notat *Heraldus*, & nunc in

magnis fidelium infortuniis jejunia pariter indicuntur, ac ſumma pietate, ac devotione exercentur. Præter autem hæc accidentalia jejunia, etiam alia erant antiquo tempore, ut ex verbis ſupradictis *Minucii* colligitur, quæ dicebantur ſtata, & ſolemnia, ut quæ ante Paſcha, id eſt die Paſſionis, ut rectè monet *Pamellius*, & dicebantur ſtationum dies: audi quæſo *Tertullianum Lib. de Orat.*, qui ſic ait, ſic & die Paſchæ, quo communis, & quaſi publica jejunii religio eſt, meritò deponimus oſculum, nihil curantes de occultando quod cum omnibus facimus &c. Habetur ergo hîc teſtimonium de ſolemni, & publico Paſchæ jejunio, ac ſtationum die feria quarta, & ſexta: his quippe diebus in Eccleſia celebrantur ſtationes, in quibus Chriſti milites veluti in excubiis ſtabant, undè *Lactantius lib.* 7. ſcripſit, & dum ſpiritus hos regit artus infatigatibilem militiam Deo militemus ſtationes, vigiliaſque celebremus: ſuper quæ verba ſic habet *Anton. Tyſius* à militia deductus modus iſte dicendi, militibus enim ad excubias agendas ſtationes aſſignabantur, quas deſerere capitale erat. Excubiæ autem diurnæ, vigiliæ verò nocturnæ: hora autem nona ſolvebantur ſtationes, unde *Prudentius* canit

Jejunamus ait, recuſo potum
Nondum nona diem reſignat hora.

Juxta diei diviſionem enim, oriente, ſole ad ſolis occaſum, nona igitur hora, id eſt, tertia poſt meridiem ætate *Prudentii* jejunantes cibum ſumpſiſſe ait *Steph. Chamillard. Soc. Jeſu in not. ad ſuum Prudent. ad uſum Delphini.* Sed ut ad Tertulliani citatum mox textum redeam, dico cum *Rigaltio* probari ex illo, in Africa ævo Tertulliani, integrum, ſive ſolidum jejunium commune, ac publicum non fuiſſe, niſi Dominicæ Paſſionis die, eoque die, ac jejunio, omiſſas fuiſſe ſacrificiorum orationes omiſſa pacis oſcula, ſed uſitatiſſima certis per reliquum annum diebus, ſpontanea, ſeu privata, & propria cuique pro ſua religione jejunia ſolida quidem, & in veſperam uſque producta, quibus tamen ad ſacrificiorum orationes, & pacis oſcula

conve-

convenirent : præterea ſtatos fuiſſe dies, quibus ad martyrum ſepulchra conventus indicerentur, atque ibi ſtatim ab exortu ſolis, orationibus, Sacris Lectionibus vacantes, & jejunii, ſed non ultrà nonam præſtarent, ſed poſt horam nonam, poſt Euchariſtiam, & oſcula jejunia ſolverent. Notat autem *Macrius*, Tertullianum ipſum, ſemi jejunium appellare illud, quod uſque ad nonam fiebat, & commendare aliud jejunium, in quo unica erat comeſtio veſpertina, & notat *Salmaſius* quoque Gentiles antiquitus ſuperſtitioſis religionis cauſis jejunaſſe, & abſtinuiſſe à carnibus, oleribus leguminibuſque contentos.

CAPUT VI.

De variis Fundæ ſignificationibus.

FUNDA apud Auctores plures habet ſignificatus. Primò enim Funda dicitur notum inſtrumentum è funiculis ad lapides ejiciendos, vulgò *Fionda*, eſt enim quidam funiculus, qui duobus capitibus manu capitur, altero cum anſula, ne exeat, altero fine, ut dimitti poſſit; atque in medio latior, ut ibi lapis contineatur, quem circumacto validè funiculo, & ab uno capite dimiſſo vehementer projiciunt, ut longinquius, & majore impetu lapidem mittant. Sic Davidem ad proſternandum Gigantem Goliam funda uſum fuiſſe ſacra refert Pagina. Hoc inſtrumenti genus apud Balearium Inſularum populos adeo exercebatur, ut matres filios aliis avibus veſci non paterentur, niſi quas Funda ſibi ipſis comparaſſent, ut ſcribit *Pitiſcus*, quod ſi apud nos hodie fieret patet, nullas aves noſtros pueros comedere poſſe, cùm admodum difficile ſit, aviculas ſaxo Funda projecto occidere. Ex lino autem vel ex ſetis Fundæ conſtruebantur, quarum inventum Phoenicibus deberi ait *Stevechius ad Veget. Lib.* 1. *cap.* 16., qui etiam funditorem ære inciſum depingit. Alii verò exiſtimant cum *Strabone* inventores Fundæ Ætholios fuiſſe, & Baleares : rotabant autem Fundam circa caput,

put, & ita majores dabant vires ſaxis projiciendis adversùs hoſtes. Præterea Funda ſtupea, aut ferrea pendebat ex uncis ferreis ſcorpionis bellici, ut teſtatur *Ammianus Marcellin.*, & ideo baliſtas nonnulli dixerunt Fundas, quemadmodum obſervat *Pitiſcus in Lexico*; ſic etiam *Joſ. Laurentius in Polymat.* Fundam dicit, quæ in baliſta ſine ſcorpione ponebatur ſtupea, aut ferrea, & receptaculum lapidis fuit, & in qua firmaretur, ſic dicta quòd lapides ex ea fundarentur. Iſti librales igitur lapides ejaculabantur, ſacculos pelliceos ſecum plenos geſtantes; aliquando pro lapidibus glandes plumbeas uſurpabant, quibus inſcribi interdum ſolitum, ut hoſtibus ſuam mentem indicarent. A Funda dictus eſt Fundus, qui Fundæ ictum æquat, ſcilicet 600. pedum exagerat impetum Fundæ emittentis plumbeas glandes *Lucretius* canendo *in lib.* 6.

> . . . . . . *plumbea vero*
> *Glans etiam longo curſu volvenda liqueſcit.*

Funda porrò dicitur etiam crumena, undè *Macrobius* ait, *demiſſam in pauperem Fundam manu paucos denarios protulit*, & *S. Bonaventura in vita S. Franciſci* ſcribit, in via crumena magna pecuniis intumeſcens, quam fundam appellant. Propriè verò inquit *Carol. Du Freſne in Gloſſar.* Fundam appellarunt recentiores locum publicum, in quem conveniunt Mercatores de rebus ſuis, & commerciis invicem acturi, quòd in eo deponebatur communis eorum pecunia, & hujuſmodi ſunt Burſæ Antwerpienſis, Amſtelodamenſis, & ſimiles: ſic charta Amalrici Regis apud *Ughellum* ait, *Molendinum*, & *balnea juxtà fundam mercatorum*; ita fundam legendum in Diplomate Conradi Imperat. anno 1147. Sic Funda, ſeu loculus crumena pauperum dicitur, Zonam verò opulentiorum eſſe inquit *Pitiſcus.* Funda quoque pro retis genere ſumitur ſuadente *Turnebo Adverſ. lib.* 18. Item annulum ex auro cum gemmis vocat Fundam *Joſ. Laurentius in Polymat. lib.* 3. quæ propriè eſt pars annuli, cui gemma inſeritur, quem tamen locum annuli Paleam dixere alii, licèt *Plinius* hæc verba ſcripſerit, præſtantiores funda clauduntur: ita pariter *Cæl. Rhodiginus lib.* 6. *cap.* 11. Paleam dixit Fundam.

C A-

CAPUT VII.

De Lomento.

PEtis quid intelligat *Martialis in lib.* 3. *Epigr.* 42. ſub nomine Lomenti. Lomentum plures habet ſignificationes. Primò idem eſt ac farina fabarum præſertim Ægyptiarum, ut vult *Foreſtus.* Ulterius pulverem ſignificat tritum, & lævigatum, vel pigmentum, quo pictores utuntur ad depingendum: pariter teſte *Plinio* Lomentum tritum ex cæruleo dicitur, & Lomentum auri legitur: item Lomentum juxta *Laurent. in Amalt.* eſt creta, qua fullones in pannis albis purgandis utuntur; verùm à nonnullis panis ex faba Lomentum vocatur. In noſtro autem caſu interpretari debet pro linimento, quo rugæ ventris occultantur, ſic etiam *Martialis lib.* 14. *Epig.* 60. dixit de linimento, ſeu Lomento ad emendandas rugas apto, quo mulieres ſuo tempore utebantur, ne in balneis ſpectatæ ludibrio eſſent, & hoc modo occultare conabantur ventris rugas à partu: ſic igitur in illo *Martial. Epigr.* Polla turpis fœmina leniebat ſibi ventrem, ut alios deciperet, & dicit Poeta *non mihi Labra Linis*, id eſt non me decipis, quod ex phraſi Plautina deſumptum eſſe ait *Farnabius*, & aptiſſimè notat id, de quo *in Epigr.* agitur. Quoad me igitur hoc nomen Lomenti venit à linimento, licèt *Zarot.* à voce græca provenire velit, quæ ſignificat tritum, ac læve: ſic *Calderinus* Lomentum accipit pro pingui faba, ut ego etiam ſupra innui. De hac re légere poteris *Stuckium Antiq. Conviv.* & *Samuel. Pitiſcum in Lexico.*

CAPUT VIII.

De Gentilium ſuperſtitionibus ad petendam Pluviam.

PETEBAS, an verum ſit, Gentiles antiquis temporibus pluviam in longis ſiccitatibus Diis ſuis petiiſſe. Ad quod reſpondeo cum Eminentiſſimo, ac Eruditiſſ. *Corradino in tom.* 2. *Latii* ſui, apud Martis Templum olim fuiſſe Lapidem Manalem, quem in urbem ſolemni pompa ſacrorum deferre ſolebant Sacerdotes ad aquam, pluviam petendam teſtimonio *Feſti*, qui ait Manalem etiam lapidem vocabant petram quandam, quæ erat extra portam Capenam juxtà Ædem Martis, quam cum propter nimiam ſiccitatem in urbem protraherent inſequebatur pluvia ſtatim, cùmque quod aquas manaret Manalem Lapidem dixere. Ita apud *Fulgentium* legitur, Manalem lapidem appellari in Pontificalibus Sacris, qui tunc movebatur, cùm pluviæ exoptabantur. Sic ad oſtendendam hanc ſuperſtitionem Gentilium ſcripſit *Tiraquellus ſuper Alexand.* Manalem lapidem fuiſſe extra Portam Capenam penes Martis Templum, quo delato pluvia petebatur, ipſumque in urbem protractum fuiſſe propter nimiam ſiccitatem monet *Lomeierus de Luſtrat. cap.* 37. & de ſolemni hac ſuperſtitionis Gentilis pompa loquens *Pitiſcus* ait, „ Lapis Manalis dicebatur (ſunt ejus verba) quiſnimia, conti-„ nuaque Cœli ſiccitate ſolemni religionis pompa per urbem „ deferri ſolebat, ut ita ab Jove pluvia impetraretur, nec deerat „ unquam, uti obſervatum Gentiles jactitant, bonus optatuſque eventus; unde *Roſinus* ait, poſt talem vanam proceſſionem ſtatim pluviam ſequutam fuiſſe, immo lapidem iſtum Manalem protractum etiam per agrorum limites fuiſſe ad impetrandam pluviam ſcripſit *Joſ. Laurentius in Polymat. lib.* 6.; & hic Manalis lapis Iridi ſacer erat, ſi *Barthio* fides habenda *in Adverſ.*

CA-

CAPUT IX.

De Uſu apud Antiquos oſculandi terram.

POSTULASTI, an Antiqui ob reverentiam oſcularentur terram, ut hodie apud nos fit? Ad quod dico, Veteres tum Græcos, tum Latinos multas ob cauſas terram oſculatos fuiſſe: Sic fecit Medea Colcho abſcedens, unde *Apollonius Rhodius* canit,

Oſcula figit humi.

Sic *Homerus* in *Odyſſea*,

Centum patriæ dedit oſcula terræ.

& *Virgilius in Æneid.*

Amplexæque tenent poſtes, atque oſcula figunt.

Ob ſummam reverentiam oſculati fuere tellurem apud *Taſſum* Gothofredi milites antequam ad arma venirent cum paganis

„ *S'inginochiaro i Franchi, eriverito*
„ *Da lor fù il Ciel, indi bacciar la terra*

Et *Ovidius in metam.* cecinit

Cadmus agit grates, peregrinaque oſcula terræ
Figit, & ignotos, montes, agroſque ſalutat.

Memoriæ produnt Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptores Conſtantinum Magnum, Urbis Romæ tellurem cruore Martyrum imbutam labris contigiſſe ob ſummam reverentiam, ac devotionem. Pariter amantes parietes, ac portas & poſtes amatarum mulierum oſculis implebant, & floribus, ad oſtendendum ſummum erga ipſas amorem, unde *Propertius* ad Cynthiæ ſuæ januam pervigilium agebat, *oſculaque impreſſis nexa dabat gradibus.* Aſt redeamus ad terram deoſculatam in ſummi honoris, ac reverentiæ tributum. Hinc *Silius Italicus* cecinit,

Oſcula qua ſteteras bis terque infixit arena.

Porro ſternere ſe in Templo adorantes, & pavimentum reverenter deoſculari vetuſtiſſimi moris fuit, qui hodie etiam apud nos perdurat. Sic *Ovidius in Metamorph.* ait,

Ut Templi tetigere gradus procumbit uterque.
Pronus humi, gelidoque pavens dedit oſcula ſaxo.

Brutus terram oſculatus libertatem Reipublicæ Romanæ juxta Oraculi reſponſum auſpicatus eſt, & primus Conſul fuit.

CAPUT X.

De Ira: an mortalis?

PETIS quid ſentiam de eo, quod ait *Galenus lib.* 2. *de Caſu. Symptom.* nempe ex ira nullum hominem mori, & quæris an ira poſſit confeſtim aliquem interimere. Dico, iram eſſe fervorem ſanguinis in corde, qui fervor poteſt taliter creſcere, ut ſpiritus, & vitalis flamma ſuffocetur: Hinc puto falſam opinionem ipſius *Galeni*, cum contrarium multi Auctores teſtantur, ut *Valleriola*, *Cardanus*, *Plinius*, *Sennertus*, *Donatus*, & *à Reies*, immo ipſe patientiſſimus *Job. cap.* 5. ait *virum ſtultum interficit iracundia.* Sic authore *Sext. Aurel Victore* Nerva Imperator ira denatus eſt. *Dubravius* ſcribit Venceslaum Bohemiæ Regem ira fuiſſe ſublatum. Matthias Corvinus Rex Hungariæ referente *Beyerlinck Theat. Vit. hum.* ipſo palmarum die in ſecunda menſa ficus recentes ex Italia allatas cum poſceret, easque ab Aulicis conſumptas audiret præ iracundia Apoplecticus corruit; & mox expiravit: Unde liquet ex ira poſſe homines ſubito caſu emori.

JOSE-

JOSEPHI LANZONI, ADVERSARIORUM LIBER SEXTUS.

CAPUT I.

De Paraſitis.

DE Paraſitis meminiſſe invenio in *lib. 6. Athenæum* his verbis : *Paraſiti quidem appellatio fuit olim ſancta, & venerabilis :* verùm apud eundem lego etiam *nomen id nunc ſordidum, & infame :* & *Crates in lib. 2. Atticæ loquutionis* vocat Paraſitum, rem ſane fœdam, & inhoneſtam : Mos enim erat illorum juxta *Plautum in Perſa Act. I.*, quaſi mures ſemper edere alienum cibum :

bum: quod idem eſt, ac ſi diceret ipſos intervenire aliorum conviviis velut Aſymbolos, id eſt ſine aliqua contributione, hoc eſt, ut clarius loquar vivere ære alieno: Sic *Timocles* de his Paraſitis loquens ait, *at dicis cœnarum immunes voluptate gaudent*: immunes dicit *Dalecampius*, quia ipſi nihil inſumunt His Paraſitis varia nomina data ſunt juxta *Laurentium in ſua Polymathia lib.* 4. nempe *Colaces*, *Autoleciti*, *Plagipatidæ*, *Scurræ*, *Sycophantæ*; *Agyrtæ*: eoſque paucis verbis deſcribit *Robert. Stephanus in* ſuo *Theſauro Latinæ Linguæ* ſic: *Paraſitus eſt ille, qui aliorum menſas, & cibaria ſequitur, quique ad voluntatem ejus, in cujus contubernio ſit, omnia loquitur, & facit nihil repugnans cibi, & ventris gratia.* Ad rem facit Alagabali jocus in Paraſitos ſuos, quem narrat *Lampridius*, & retuli *ego ipſe in quadam mea Epiſtola de Arte Vitraria, italicè ſcripta, & in Tomo ſecundo: della Galleria de Minerva* edita. Denique, me legiſſe memini de quibuſdam Paraſitis ab Apolline dictis, de quibus ita ſcripſit *Hildebrandus*: *Populus coronatus ſpectabat, & ſtipem, quantum commodum eſſet, conferrebat: Matronæ ſupplicabant, & vulgus apertis januis in propatulo epulabatur, Paraſiti Apollinis ſic dicti, quod ridiculi eſſent, frequenter acclamabant, ſalva res eſt cùm ſaltat ſenex.* Tandem nomen Paraſiti ab aliquibus impoſitum fuit cuidam marino piſci, ut teſtatur *Sim. Maiolus in Canicul. colloq.* 9. his verbis *humanos mores piſces imitati nomen ſunt ſortiti, velut ſunt Paraſiti, otioſum atque inutile piſcium genus ex alieno victitans.*

CAPUT II.

De Cibo vel ſemel, vel pluries in die ſumpto.

POSTULASTI an ſalubrius ſit ſæpius, quam ſemel in die comedere, & an ſaluti magis conducat frequentius, quam ſemel tantum in die cibum ſumere. Antiquis enim temporibus de hac re variatio fuit, undè *Hippocrates de Vict. rat* aliquos ſemel, aliquos bis ſolitos manducare, prandere nempe, & cœnare, dicit: & ſanè ego puto utilius, & ſalubrius eſſe bis in die, quam ſemel tantum,

tantum ſemel enim tantum in die veſci paucis convenire ait *Ludovicus Nonnius Lib.* 1. *cap.* 4.; ſic *Celſus* ipſe ſuaſit bis die potius, quàm ſemel cibum capere. Græci quadrifariam manducationem dividèbant, in Jentaculum, Prandium, Merendam, ac Cœnam: intemperantes addebant comeſſationem pro quinta vice. Hodie Græcorum uſus obſervatur in noſtris pueris, qui quater in die cibum capiunt, nempè mane, in meridie, poſt prandium; & ante ſomnum nocturnum; ſic *Iſidorus Orig.* ait Jentaculum eſſe primum cibum, quo jejunium ſolvitur; dabatur autem olim potiſſimum pueris, undè *Martialis* canit.

Surgite jam pueri: vendit jentacula piſtor.

Sic etiam jentaculo vires firmandæ ſunt illis, qui laborioſo operi operam navant.

De Prandio non eſt, quod loquar, de hoc enim apud omnes authores mentio eſt, immò plerique conſuevere olim liberalius prandere, ut nunc moris eſt, maximè apud opifices, qui non poſſunt abſque copioſiore cibo ſubſiſtere, aſſiduo enim labore diſſipantur ſpiritus, qui cibo copioſiore ſunt reſtaurandi.

Poſt prandium gulæ dediti, quibus moleſtum eſt horam cœnæ expectare, merendam inſtituere, quæ dicitur cibus, qui poſt meridiem datur. Et hæc dabatur agricolis, & opificibus, qui in continuo labore vitam agunt. Cœna eſt Veſpertina comeſtio, quæ juxta *Schol. Salernit.* brevis eſſe debet.

Ut ſis nocte levis, ſit tibi Cœna brevis.

CAPUT III.

De Tempore Studendi.

QUæſitum fuit quandonam ſtudiis indulgere debeamus: Circa quod dico, Philoſtratum dixiſſe diſcipulis ſuis, oportere eum qui ſtudet, ac philoſophatur veniente aurora cum Diis

Diis verſari, procedente autem die de Diis loqui, reliquum verò tempus humanis rebus, & ſermonibus impendere. Matutinis igitur horis aptiſſimè ſtudia tractantur, nam illæ ſunt ſacræ muſis, & divina noſtræ mentis aura, ſpiritusque animales ab omni fœdo vaporum incurſu liberat, nullo madore polluuntur. Commode pariter ſunt ad Studium horæ ante Cœnam, & iſtæ ſemper fuere meorum ſtudiorum tempora, ſiquidem praxis medica omnes alias horas diei præter iſtas occupare ſolita ſit: ſoluto enim ab officio Stomacho, promptiores inſurgunt ſpiritus ad ſenſus exercendos. Hinc ſumma cautio adſit, ne ſtudium ineatur, dum in ciborum concoctione ſtomachus fatigatur, expirat enim ita in mentem vapor, ut ait *Joh. Rodolph. Camerarius*, qui illam caligine obnubilat, quem ſæpe bibens mens humana hebetata priſtinum ſplendorem exuit, indeque ingenia tandem in ſtuporem flacceſcunt. Anni verò tempus ad ſtudendum aptius exiſtimo hyemale, vernale, mox autumnale, æſtivum verò minus idoneum puto. Ego enim canicularibus diebus, & Syrio Latrante à ſtudiorum labore lædi me ſenſibiliter fateor: ſic etiam *Martial.* Lib. X. cecinit Epig. 62.

Ceſſent, & idus dormiant in Octobris
Æſtate pueri ſi valent ſatis diſcunt.

CAPUT IV.

Quid ſit Menſa gliſcens.

QUid ſibi velit Menſa gliſcens, quæ verba paſſim leguntur apud Authores linguæ latinæ: dico cum *Pompeio Feſto* verbum gliſcere creſcere, ſignificare, ideoque glires dicuntur juxta *Iſidorum* quia pingues eos efficit ſomnus, & hoc verbum gliſcere, indicare creſcere deſumitur à *Pacuvio*, qui referente *Nonnio* hæc habet, *ſed neſcio quidnam eſt, animus horreſcit, gliſcit gaudium*, & *Plautus*

Gliſcit rabies, cave tibi

Titus

Titus Livius ait *item in Ætolia ſeditionem gliſcere in dies* : *Tacitus* inquit *gliſcit authoritas*, *certamen gliſcit*, *flagitia gliſcunt*; *libido pugnandi gliſcebat* &c.

Ita *Valerius Flaccus in Argonautic lib.*

Flatu gliſcit anhelo

Claud. 2. *in Eutrop.*

Poticulum gliſcit,

Et *Virgil. in lib.* 12. *Æneid.* canit

Accenſo gliſcit violentia Turno.

Sed inter omnes notabile eſt teſtimonium *Gellii* ſequens *eadem* autem *ipſa*, quæ creſcente luna *deficiunt.* Concludendum igitur, Menſam gliſcentem ſignificare illam menſam, quæ ſemper creſcendo ferculis novis onerabatur in ſolemni convivio, unde *Feſtus* ſcribit *Menſæ gliſcentes*, *id eſt creſcentes per inſtructionem epularum.*

CAPUT V.

De Palla.

PAlla ſpecies veſtis apud antiquos fuit, & dicebatur Palla, quod palam ſit, eratque propria mulierum. Ita oblonga fuit, ut ad talos uſque dimitteretur, & aliquando fuit conculcata, ut notat *Laurentius*, & poſt eum *Clariſſ. Hieron. Baruffaldus* omni eruditionum genere inſtructus, Amicus meus ſingularis in ſua de *Præficis* Diſſertatione. De Palla Gallica meminit *Laz. Bayſius de re Veſt.* : & de Gallis *Strabo in* 5. ait *tunicarum vice pallas manicatas geſtant* : Hæc Gallica Palla manicata erat, & ad nates, & uſque ad verenda pertingebat, unde *Martial.*

Dimidiaſque nates Gallica Palla tegit

Pallam autem ſuper ſtolis adhibebant Veteres advertente *Kippingio Antiq. rom. lib.* 4. *cap.* 5. quæ etiam ad Citharœdas,

Tragœdos, & ſaltatores translata eſt; ſic *Ovid. in Faſt.* cecinit de Arione

Induerat Tyrio diſtinctum murice pallam.

Hanc veſtem depingit *Ferrarius de re Veſt. lib. 3. tab. 13. &* 13. *pag.* mihi 235. Pars hujus Veſtis in ſiniſtrum humerum rejiciebatur, & pariter brachio pars altera ſubducebatur, & in rugas contrahebatur, & fuit valde diverſa ab Amiculo, ut notavit inſignis *Pitiſcus* in *ſuo Lexico.*

CAPUT VI.

De Veſalio celebri Anatomico.

DEteſtatur *Riolanus* ferinam Veſalii crudelitatem, qui vivos homines diſſecavit: hoc autem negat *Crato*, dicit enim voti ſolvendi, non ſceleris expiandi cauſa Jeſu Chriſti Sepulchrum Veſalium petiiſſe. *Thuanus* verò Hiſtoricus ſui temporis celeberrimus refert, famam fuiſſe Veſalium eſſe mortuum, & procul dubio eum profectum eſſe Hieroſolymam cujus itineris cauſam, ſequentem fuiſſe ait: Commiſſus fuit ejus curæ Vir nobilis in Hiſpania, quem cùm obiiſſe putaret, nec ſatis percepiſſe mortis cauſam, & morbi, petiit à propinquis defuncti, ut liceret ſibi diſſecare cadaver, quod ei conceſſum, cùmque pectus aperuiſſet, reperit cor adhuc palpitans. Cognati defuncti non contenti quod eum factæ cædis accuſaverint, poſtularunt etiam impietatis apud Inquiſitionis Tribunal, putantes ſe ibi ſeveriorem ultionem aſſequuturos, cùm conſtaret de cæde, nec facilè excuſaretur error tam periti Doctoris Medici: voluit omninò Inquiſitio de eo ſumere ſupplicium, vixque potuit Rex ſua authoritate eum à tanto periculo eripere, tandem conceſſus eſt Regi, ea tamen conditione, ut ad expiandum tantum, ac tale ſcelus, proficiſceretur Hieroſolymam, & ad Montem Sinai. Hæc ſunt, quæ olim me legiſſe recordor circa *Veſalii* delictum, de quo tamen fides ſit penes Authores.

CAPUT VII.

Locus Propertii explicatus.

DUbium eſt, utrum in *Propertio lib.* 2. *eleg.* 12. legi debeat nigros, vel potius pigros in ſequenti diſticho.

Terra prius falſo partu deludet arantes
Et citius nigros ſol agitabit equos.

Dubium hoc etiam *Rob. Titium* vexavit, ut putaverit legendum pigros, non nigros, ut omnes pene *Propertii* editiones volunt, & præſertim ultima *Broeckuſii Amſtelodamenſis* in 4to anni 1702. verùm ſi ritè penſitemus, nigros, non pigros legendum eſſe credemus, quia Poetæ hic ſenſus eſt, nempe alludendo ad defectum ſolis: omnia enim ait Poëta citius fient, quæ nullo modo poſſunt fieri, quam ego deſinam amare Cynthiam, unde ipſe ſol, cujus proprium eſt lucere, prius lucere deſinet, & tenebris involvet hunc noſtrum orbem prius quam ego linquam amorem meæ Cynthiæ. *Robertus Titius Burgenſis lib.* 8. *loc. controverſ. cap.* 11. oppoſitum tenuit: *quid enim*, ait ille, *color niger, aut quivis etiam alius ſolis equis adjunctus opis, & auxilii afferre poteſt eo in loco ad mentem Poetæ nobis extendendam, aut rem, de qua illic agitur efficacius exprimendum, in quem uſum epitheta adhiberi ſolent: igitur pigros pro nigros intelligit reſpectu celerrimi motus proprii illorum equorum ſolis, qui quavis die totum perluſtrat Cœlum, totumque orbem aureo lumine vivificant.* Nulla tamen ſupra allata explicatio mihi verior videtur.

CAPUT VIII.

Verſus Catulli explicatus.

CAtullus ait in Epithal. Pellei &c.

Non illam nutrix orienti luce reviſens.
Heſterno collum poterit circumdare filo.

E quibus carminibus nonnulli ſignum amiſſæ virginitatis arguunt. Circa quod ego dico cum *Jo. Bened. Sinibaldo*, Ethnicos olim defloratæ virginitatis argumentum à collo deſumpſiſſe, dum enim prima nocte virgo jam nupta erat, cum conjuge concubitura antequam thalamum ingrederetur colli ejus circumferentiam ducto filo metiebantur; mane autem ſi latius collum, quam ut eodem filo comprehendi poſſet inveniebant, defloratam jam inde concipiebant, & ſic intelligit citatus *Sinibaldus* duo carmina ſupra ſcripta *Catulli*: & ratio phyſica fortaſſis eſſe poterit, quia in Veneris palæſtra, ob amoris in præcordia flammam, & æſtuantem præ libidine ſanguinem, totumque ſpiritum ad oſcula repentem collum turget ſpiritibus ad arterias Carotides externas & internas convocatis. Hinc *Ariſtoteles* ipſe *hiſt. anim. cap.* 1. ait ex coitu vocem mutari in aſperiorem, ac minus acutam, quia partes ad vocem facientes ob Veneris uſum, quæ in collo exiſtunt; dilatantur, & per conſequens collum augetur, de qua re plura tibi dabit *Mercurialis variar Lection.* Majore tamen honeſtate carmina prædicta *Catulli* explicat noſter *Alex. Guarinus* modo ſequenti: Puella nocte prima, qua vitiabatur ex conſuetudine antiqua nutrix non obligabit amplius laneam zonam pudicitiæ ſignum, & ſic mane ſequenti, quia non virgini non poterat circumdare illam heſterno filo, quia hac nocte diſſoluta fuerat zona ipſa.

CAPUT IX.

De Vino antiquis Mulieribus interdicto.

LOcrenſibus, Maſſilienſibus, & Mileſiis Fœminis vetitum fuiſſe vinum ſcripſit *Ælianus Var Hiſt. l.* 2. *c.* 38. Romanis mulieribus ignotum fuiſſe, teſtatur *Valerius Maximus l.* 2. & legibus antiquis ex *Baldovino* ſancitum erat: *Si mulier vinum biberit domi, ut adulteram puniunto*, unde *Aul. Gellius* dicit non minori pœna affici conſueviſſe mulieres, quæ vinum bibiſſe deprehenderentur, quamſi adulterium commiſiſſent, pœna au-

tem erat capitalis, & Metellus quia uxorem vinum bibiſſe cognovit, eam interemit: Simile quoddam narratur à *Tertulliano in apol. cap. 6.* & *Arnobio lib. 2.* Ut autem cognoſcerent, an mulieres vinum bibiſſent, mos ille fluxit, ut propinqui mulieribus darent oſcula, quibus facilius noſcerent, an olerent temetum, tunc enim tale nomen vino dabatur, referente *Petr. Cantel.* in not. ad ſuum *Valer. Max. in uſum Delph.* Ideòque nec claves cellæ vinariæ mulieribus concedebant: Et nota eſt hiſtoria matronæ, quæ clavem vinariæ cellæ in loculis habuit, ideòque à ſuis inædia fuit mori coacta: Sic quidam fuit à Romulo uxoricidii abſolutus, quia uxorem occidit, quæ vinum biberat. Igitur potabant fœminæ loream, paſſam, murinam, vel aquam puram. Si cauſam cupis conſule *Sarrinum Otia Pal. c. 22.*

CAPUT X.

De Piſcibus, an Ægrotis conveniant.

SCire optas, an piſces in Ægrotantium diæta conveniant? Et ſanè abundè demonſtravit *Lud. Nonnius*, ſalubrem fuiſſe piſcium eſum, & ſanis bonum ſuppeditare alimentum. Sic *Plutarcus* narrat, Zenonem conſueviſſe ægrotos, tanquam cibo levi, piſcibus enutrire: *Hipp. lib. de affect.* dicit, piſces eſſe leve alimentum, & elixos, & aſſatos; quapropter Ægros piſcibus alebat: Sic *Galenus* ipſe in *curat. ad Glauconem* loquendo de Tertiana piſces Saxatiles exhibet, & in *Meth.* piſces recenſet in Ephemera, & aliis morbis. *Alexander Trallianus* in omnibus penè morbis ægros piſcibus variis nutriebat, undè poſtea *Hieron. Mercurialis lib. 1. variar lect.* piſces idcirco decumbentibus olim oblatos fuiſſe, non quia ipſorum naturæ conveniant, ſed quia infrequentes ſunt. *Lud. Nonnius* docet, hoc fieri non per conſuetudinem ſolum, ſed quia piſces natura ſunt ſalubres. Poterit igitur ægris exhiberi pro cibo piſcis dummodo tamen ille ſaluber ſit, & de eo genere, quod nocere nequeat.

INDEX
LIBRORUM
ET CAPITUM.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.	*De Barba.*	Pag. 159
CAP. II.	*De Cincinnis &c.*	162
CAP. III.	*De Ocularibus.*	165
CAP. IV.	*De Jejunio Veterum.*	166
CAP. V.	*De ridiculis Amoribus.*	168
CAP. VI.	*De his, qui ſemel in die cibum ſumunt.*	169
CAP. VII.	*De Rabulis forenſibus.*	171
CAP. VIII.	*De Sobrietate , & Gula.*	173
CAP. IX.	*De Serapide.*	175
CAP. X.	*De Carne Suilla.*	176

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.	*De Menſibus.*	Pag. 179
CAP. II.	*De Poculis antiquorum.*	183
CAP. III.	*De Albo , & Nigro.*	185
CAP. IV.	*De termino convivii , & menſis cedrinis.*	189
CAP. V.	*De Tragœdia.*	190
CAP. VI.	*De Genio , & Laribus.*	196
CAP. VII.	*De Strenis.*	198
CAP. VIII.	*De Lucernis ad Feneſtras.*	199
CAP. IX.	*De Fibulis.*	201
CAP. X.	*De Analectis , & Lictoribus.*	202

LIBER

LIBER TERTIUS.

CAP. I. *De Juramentis.* Pag. 204
CAP. II. *De Tabaco.* 208
CAP. III. *De Eſu Locuſtarum.* 211
CAP. IV. *De Horis.* 212
CAP. V. *De Lacte in Viris.* 215
CAP. VI. *De Vinculis diverſis.* 216
CAP. VII. *De Militum pœnis.* 217
CAP. VIII. *De tondendi ritu apud veteres.* 219
CAP. IX. *De Nudipedalibus, & Furca.* 220
CAP. X. *De Uſu Salis.* 221

LIBER QUARTUS.

CAP. I. *De Academiis* Pag. 223
CAP. II. *De Pudicitia.* 225
CAP. III. *De Verbena.* 226
CAP. IV. *De Diebus.* 228
CAP. V. *De Chamæleonte.* 229
CAP. VI. *De Conſecratione Imperatoris.* 231
CAP. VII. *De Naturæ Portentis.* 232
CAP. VIII. *De Inventoribus Rerum.* 233
CAP. IX. *De Iiſdem.* 235
CAP. X. *De Roſa.* 236

LIBER QUINTUS.

CAP. I. *De Bacchanalibus.* Pag. 241
CAP. II. *Caput Cœnæ quid?* 244
CAP. III. *De Hermathenis.* 245
CAP. IV. *De Silanis.* 246
CAP. V. *De Veterum Chriſtianorum Jejuniis.* 247
CAP. VI. *De variis Fundæ ſignificationibus.* 249

CAP. VII. *De Lomento.* Pag. 251
CAP. VIII. *De Gentilium ſuperſtitionibus ad petendam Pluviam* 252
CAP. IX. *De Uſu apud Antiquos oſculandi terram.* 253
CAP. X. *De Ira : an mortalis ?* 254

LIBER SEXTUS.

CAP. I. *De Paraſitis.* Pag. 255
CAP. II. *De Cibo vel ſemel, vel pluries in die ſumpto.* 256
CAP. III. *De Tempore Studendi.* 257
CAP. IV. *Quid ſit Menſa gliſcens.* 258
CAP. V. *De Palla.* 259
CAP. VI. *De Veſalio celebri Anatomico.* 260
CAP. VII. *Locus Propertii explicatus.* 261
CAP. VIII. *Verſus Catulli explicatus.* ibid.
CAP. IX. *De Vino antiquis Mulieribus interdicto.* 262
CAP. X. *De Piſcibus, an Ægrotis conveniant.* 263

JOSEPHI LANZONI,

MEDICI FERRARIENSIS.

DE

JATRO-PHYSICIS

FERRARIENSIBUS,

QUI MEDICINAM SCRIPTIS

Suis exornaverunt.

DISSERTATIO

Emendata , & aucta.

FErrariam Celeberrimam Urbem Patriam meam dilectiſſimam, ad Eridani Ripas poſitam , amœniſſimam , Doctorum Matrem , Generoſorum Equitum Genitricem quis non veneratur ! Huic non deſunt ea , quæ humanis uſibus , & commodis neceſſaria ſunt , nec non Clariſſ. Familiæ, quæ opibus, potentiaque valent , ut verbis utar Leandri & P. Bertelli in

Theat. Urb. Quamvis enim non fumoſis, aut carioſis Trojanorum, Græcorumque, aut Romanorum imaginibus ſuperbiat (vix enim mille ſunt anni, quod primum cingi muro ceperit, uti Blondus, & Volaterranus aſſerunt) tantis tamen in hunc uſque diem incrementis, tantiſque ornamentis expolita eſt, ut inter principes Italiæ Civitates (*Heins Itinerar. delic. Ital. pag.* 81.) meritò non poſtremum locum obtineat. Celebris item eſt Gymnaſio Literario publico diſciplinarum omnium a Friderico I I. Imperatore inſtituto anno 1248. In hoc enim floruerunt, & nunc florent inſignes omnium diſciplinarum cultores. Hinc Logicam illuſtrarunt Braſavola, Baroccius, aliique; Philoſophiam Calcagninus, Landrinus, Bruſantinus, ac Gianninus; Aſtrologiam Peregrinus Priſcianus; Hiſtoriam Sardius, Pigna, Panetius, Falettus, & Philippus Rodi; Poëſim Boyardus, Areoſtus, Giraldus, Guarinus, & Beccarius; Humanitatem Lancilotus, Roſinius, Blanchinus, & Carbonus. Juriſprudentiam Canalius, Nigrius, Riminaldus, Superbes, Bertazzolus, Contrius, & Paſſarellus, Theologiam, Veratus, Righinus, Viſdominus, Martinus, Iſnardus, Savonarola, & Braccaldus; Sed præcæteris ſemper effulſere, ut & nunc maxime effulgent Medicæ Artis Profeſſores, ita ut audeam dicere primum inter omnes Artes Ferrariæ locum habuiſſe Medicinam ex antiquo Sepulchrali cippo P. Puppii Medici qui in Sacra æde Majori extat.

P. PUPPIUS. P.L MENTOL. MEDICUS IIIIII. VIR.

Ut autem hoc gratis non videatur aſſertum, & ne aliquis forte putet figmentum eſſe quod dixi, liceat mihi per breve temporis ſpatium Patriæ meæ aperire Sepulchra, antiquas evolvere paginas, & ſepultum cum corpore nomen Medicorum noſtrorum ad auras revocare, ut lecta, & tacta veritate, confundantur invidi detractores, & convincantur increduli, qui, & voce, & calamo pluries, me audiente, & legente, famam illuſtrium meorum concivium Jatro-phyſicorum obtenebrare conati ſunt; at ne tempus, & paginam in vanum diſperdere videar,

videar, exſurgat primus è tumulo *Antonius Muſa Braſavola*; Hic ortus civis è Nobili Braſavolorum familia, de qua videatur *Superbus*, *Mareſta*, & *Libanor.* Jatro-phyſicus illuſtris fuit, vixitque annos 55. multoſque libros conſcripſit, qu: ſunt. *Examen ſimplicium Medicamentorum. Commentaria in Aphoriſm. Hippocratis. Dialogus, quod Mors nemini placeat. Muricis Encomium. De Cœna, ac Prandio. De Ordine Librorum Logicæ. De Utilitate, & Neceſſitate Logicæ. Commentaria in Paulum Venetum. Commentaria in Prædicamenta Ariſtotelis. Commentaria in librum de Interpretatione. In Poſteriora Analytica. In Boëtii libellum de diviſionibus. In librum Averois de ſubſtantia Orbis. In libros Phyſicorum Ariſtotelis. In libros de Anima. Commentaria in Prognoſtica. In libros de ratione victus in acutis. In libros Epidemiorum. De ſimplicibus Medicamentis. De Syrupis. De Pilulis. De Medicamentis Catharticis. De Electuariis non ſolventibus. De Pulveribus. De Oleis De Unguentis. De Emplaſtris. De Aquis. De Infuſionibus. De Decoctionibus. Index in Galeni Opera. Examen omnium Electuariorum, pilularum, pulverum, & confectionum catharticorum. Examen omnium Trochiſcorum, Unguentorum, emplaſtorum, collyriorum &c. Examen omnium Looch, Oleorum Aquarum*, & alia. Scripſit etiam hic Author Italico ſermone *Vitam Jeſu Chriſti* in qua paraphraſticè quatuor Evangeliſtas interpretatur. Hunc ſequuntur *Antonius*, ac *duo Hieronymi* ejuſdem familiæ, primus vixit annos 57. ſcripſitque librum, cui titulus. *De immenſis Dei erga genus humanum beneficiis.* Hieronymus primus filius fuit Antonii, qui ſcripſit libros *de Officiis Medici*, & *Commentaria in primum Aphoriſmorum.* Alter verò Hieronymus Braſavola, Praxim Medicam Romæ feliciter exercuit, multas ſcripſit Academicas Medicas Diſſertationes, ac Problemata, eaque typis dedit, inter quæ præcipuè eminet Problema, *an Clyſteres nutriant*, affirmativè reſolutum, & mihi jam per litteras humaniſſimè communicatum. Obiit Romæ anno 1705. ætatis ſuæ 77. De illuſtribus Familiæ Braſavolæ Viris Commentarium Italicè ſcriptum edidit Hieronymus Baruffaldus. Qui plura cupit ipſum adeat. Poſt Braſavolas, *Andreas*, ac *Hippolytus Boſchi* veniunt. Primus ſcripſit opus italicum cui

titulus eſt. *Prattica utile di Medicina.* Alter *de Vulneribus capitis. De Sclopetorum vulneribus. Obſervationes de facultate Anatomica*, & italicè typis dedit *Diarum de Peſte.* Boſchis, ſuccedit *Michael Savonarola.* Hic origine fuit Patavinus; primuſque, qui Ferrariam tranſtulit Familiam, quæ adhuc viget. Nepotem habuit Fr. Hieronymum Dominicanum, & vitâ, & morte celebrem. Sequentia publicavit ſcripta. *Introductio in Medicinam practicam. De Balneis Italiæ. De arte conficiendi Aquam vitæ. De viribus aquæ ardentis. Catalogus continens tam ſimplicium, quam compoſitorum medicaminum nomenclaturas, & uſum. Practica Medica. Canonica de Febribus. Summa de Pulſibus. De Urinis. De Egeſtionibus. De Vermibus* &c. Hinc duo *Canani* Medici Ferrarienſes, qui ſua ſcripta reliquere, fuerunt. Primus eſt *Antonius Maria*, qui publici juris fecit *Commentaria in lib. Artis Medicæ Galeni*, & *Commentaria in Aphoriſmos Hippocratis.* Secundus eſt *Johannes Baptiſta*, cujus elogium confecit Amatus, dum ſcripſit: *Joh. Bapt. Cananus in diſſecandis corporibus fuit alter Veſalius.* Hic typis dedit. *Diſſectionem picturatam Muſculorum corporis humani. Ferrariæ* 1572. *Joh. Baptiſta Minadous Ferrarienſis*, ut notat Libanor. ſcripſit *de Abuſu miſſionis Sanguinis in maligna febri, etiam apparentibus peticulis.* Multa ſcripſit *Antonius Maria Parolarius*, alias *Parolinus*, unum verò tantum opus vulgatum eſt, *Tractatus de Peſte* italicè conſcriptum. Obiit immaturè anno 1588. In magna conſideratione fuit apud Franciſcum Patritium, doctiſſimus enim vir iſte verſionem, quam explevit, Elementorum Procli, tanquam Medico eximio, atque Amico ſingulari eidem dicavit. *Antonius Piciolus* typis dedit librum, *De Manus Inſpectione. Archangelus Piccolominus* ſcripſit *Anatomiam. Bonus Lombardus* publicavit *Introductionem in Artem Chymicam*, & librum *de Lapide Philoſophorum. Hercules Bonacoſſius Comes* ſequentia publicavit opera Medica. *De humoribus, & ſignis eorum. De Catharro. De Dyſenteria. De Theriaca* &c. *Galeatius Landrinus* multa edidit opera, ſcilicet *Diſputationes Philoſophicas*: Italico verò ſermone publicavit *tractatus de Nobilitate*: *De Cœleſtibus influentiis*: *ac de opinione. Joh. Baſcarinus* tria typis tradidit opera *Diſputationum Medicina-*

lium

lium Canones duodecim ; *Piæ ſtirpis Procerum Elogia Hiſtorica* ; ac Italicè *diſcurſum de Cometa barbata* &c. *Joh. Baptiſtæ Panciæ* extant apud Medicos *Tractatus contra Detractores*, & *Liber de Peſtilentia*. *Hieronymi Bovii* jam ab omnibus leguntur *Orationes Variæ*, iſteque fuit vir ille, qui diligenter collegit, ac typis dedit Commentaria Antonii Montecatini in 3. de Anima. *Julius Recalchus* ſcripſit ſequentes libros videlicet. *De ſimilarium corporum Natura*, quem Intrepidorum noſtræ Academiæ dedicavit: publicavit, & *lib. de Febre*: *de Lue Sarmatica*, nonnullaſque quoque edidit Apologias, & Hiſtorias. *Hippolitus Obizzius* reliquit libros ſequentes *Statica Medicinæ demolitio* ; & *Dialogus de Medici Nobilitate*. *Ludovicus Bonacciolus* ad publicum uſum publicavit librum ſæpius impreſſum *de effectibus variis circa gravidas fœminas* ; de conceptu ſcilicet, uteri geſtatione, Abortu, Puerperio, & Nutricum, ac infantium cura: inſuper ſcripſit *Annotationes in lib. Galeni de medendi Methodo. Et Æneam muliebrem*. *Ludovicus Anguillara* typis dedit *Tractatum de ſimplicibus medicamentis*, immò ait Abb. Libanor. in ſua *Ferrara d'oro*, hunc virum alia confeciſſe opera, quæ tamen ad manus noſtras non pervenerunt. *Magrus Magri* edidit librum ſuum botanicum *de Plantis*. *Horatius de Zirondis* præſtitit ſequentia ſua opera. *Conſiderationes. Medicinales*, & *Commentaria ſuper Averroem*. Ex *Bonorum* Familia duo floruere Medici, primus eſt *Petrus Antonius*, qui ſcripſit *Rationes pro Alchymia*, *&* *contra* ; & apud hunc Doctorem opus Regis Evax extabat *de virtutibus Gemmarum*. Alter eſt *Jacobus Antonius*, qui ſcripſit *Tractatum de Terræ motu*. *Joh. Manardus* millies impreſſas edidit ſuas *Epiſtolas Medicinales*, *Cenſuras*, *& annotationes in Medicamenta ſimplicia & compoſita Meſve*, *& Commentaria in Artis parvæ Galeni librum primum*. Hujus illuſtris Viri Elogium meritò ſcripſit Sardus, cum Superbo, Libanorio, Jovio, & aliis. Obiit anno 1536. ætatis ſuæ 74. *Thomas Gianninus* natus anno 1556. ſequentia ſcripſit, ac publici juris fecit opera, nempe *de Providentia ad ſententiam Platonis liber unus. De Mentis humanæ ſtatu poſt hominis obitum. Diſputatio Ariſtotelica de lumine, & ſpeciebus ſpiritualibus. De mente effec-*

trice, *& ſpeciebus intelligibilibus. De Dæmonibus*, *& mentibus a materia ſeparatis. Diſputationes Ariſtotelicæ de ſubſtantia Cœli*, *& Stellarum efficientia. Commentariorum*, *& Diſputationum Ariſtotelicarum de his*, *quæ primum in Scientia de Natura conſiderantur lib.* 7. *De Ideis*, *de fortuna*, *contingentia*, *Fato*, *Æternitate*, *ac Ævo tom.* 1. De hoc Auctore plura, apud *Linden. Renovat.*; & *Pinacothecam Vir. Illuſtr. Jani Nici Erithrei*, qui Auctor Vitam integram Clariſſ. iſtius noſtri Giannini eruditè depingit ad pag. 182. deceſſit in ſumma Senectute annor. 82. *Mauritius Calanius* Ferrarienſis Phyſicus ſcripſit, ac publicavit aureum librum *de Proprietatibus individualibus.* Duo reperiuntur in noſtris hiſtoriis e *Nigriſoliorum* Familia Medici, unus, qui *Sigiſmundus*, poſt ſe reliquit libros ſequentes ſcilicet. *Deciſiones Medicæ. De Curanda Cranii Fractura. De Concoctione humorum. De ſomno in principio acceſſionum. De Morbi Comitialis cauſa. An fructus Febricitantibus ſint exhibendi ? De Venæ ſectione in Febribus ardentiſſimis. De Phrenitide* &c. Alter, qui *Hieronymus*, evulgavit illuſtria ſua *Progymnaſmata Medica. Æneas Caprilius* typis dedit Librum æſtimatiſſimum *de Febribus putridis in genere*, *& in ſpecie. Alphonſus Baroccius* ſcripſit *Commentaria in libros Berihermeniarum. Libros quinque de Febribus. De Sanitate tuenda. Commentaria in Aphoriſm. Hippocratis. Reſponſa Medica. Tabulas Aſtronomicas. Commentaria in primum*, *& ſecundum librum Phyſicorum. De Morbis Mulierum*, *Artis ſpargyricæ Encomium*, *& Utilitates. Raymundus Joh. Fortis*, qui licet origine Veronenſis ſit, tanti tamen habuit Ferrarienſe nomen, ut exoptaverit inſigniri noſtræ Civitatis honore, quocircà ipſe poſteà ad calcem epiſtolæ dedicatoriæ ſui primi tomi Conſultationum, ſe civem Ferrarienſem vocat. Hic *duos Libros Conſultationum* ſcripſit, & *de Morbis Mulierum*, *ac de Febribus. Hulgolinus Montecatinus* typis dedit laudatum Opus cui titulus. *De Balneorum Italiæ proprietatibus ac viribus. Vander. Linden de ſcript. Med. l.* 1. *p.* 288. *Jo. Libiolus* collegit, ac edidit *Lectiones de Febribus Alphonſis Baroccii*, quibus addidit Epiſtolam dedicatoriam ad Illuſtriſſimos Almi Ferrarienſis Gymnaſii Moderatores, nec non Præfationem ad Medicinæ Studioſos. Non

præter-

prætereundum duco Joh. Baptiſtam Giraldum Cynthium, qui & artem Medicam profeſſus eſt, & egregiè ſcripſit de *Uſu partium*, ſive *de partibus corporis humani* fragmenta quædam carmine heroico, quæ ad rem Medicam attinent: enim verò multum utilitatis rei Medicæ, & ornamenti Poeticæ accederet ſi opus tam præclarum perficeretur. Habetur ex editione Baſileenſi Roberti Winter ann. 1544. 4to. Obiit Giraldus Anno 1573. Recentiores Phyſici remanent, quorum omnium ſatis apertè recordamur. Primus ſe offert *Octavius Cappellus*, cujus Obſervationem Medicam, *de guſtu depravato a ſalivæ vitio* habemus in exercitatione mea *de ſaliva humana.* Obiit anno 1711. ſequitur *Aloyſius à Fabra*, cujus opera habemus in unum collecta, & inſcripta: *Diſſertationes Phyſico-Medicæ. Deceſſit anno* 1723. *Franciſcus Maria Nigriſolius* inſuper Univerſitatis noſtræ Lector Primarius. Publici Juris fecit *de Monſtrorum Generatione. Conſilia Medica. De Onocrotalo. De Charta. Obſervationes ad Weber. Febris China-Chinæ expugnata. Pharmacopœa Ferrarienſis*, & alia hujuſmodi. E vivis ſublatus fuit anno 1727. Vivunt adhuc hoc anno 1729. Joh Dominicus Benetti, qui evulgavit opus inſcriptum *Opus Medico-Morale T. 2. Mantuæ* 1718. Ægidius a Fabra Aloyſii filius qui huc uſque *Diſſertationem de Aëre.* Typis evulgavit anno 1727. Inter iſta verò Ferrarienſis Medicinæ Lumina, infimum tenet locum *Joſeph Lanzonus*, qui non ut doceret, ſed ut diſceret, ſequentia ſcripſit opuſcula, nempe *Additionem ad Olaum Borrichium, Diſſertationem de Lapidum generatione in Macro-, & Microcoſmo. Animadverſiones varias ad Medicinam, Anatomiam, & Chirurgiam maximè facientes. Scholia ad Obſervationes Medico-Chirurgicas Henrici à Moinichen: Zoologiam parvam, ſive Tractatum de Animalibus ad Medicinam facientibus: & Citrologiam curioſam: de Saliva: de Balſamatione Cadaverum* &c. Et hæc ſunt, Lector Benevole, quæ currenti calamo, ad Amicorum meorum inſtantiam, brevi trium dierum ſpatio de Ferrariæ Medicis Scriptoribus colligere potui ad præſentem Diſſertatiunculam conſtruendam, quam hilari fronte accipias velim, ac ſi quid inter ſcribendum, aut excudendum errati irrepſerit,

benignè

benignè corrigas ; & noli exagitare, ſi inveneris quædam minus perfecta, minuſque exculta, nam non omnia poſſumus omnes; ſed inſtar Apum meliora elige; ſi enim in iſta aliquid gratum, & acceptum tibi fuiſſe videro, animum meum ad plura elaboranda excitabis, & ſi percepero, nullam te ex hac ſenſiſſe nauſeam; aut faſtidium, alia fortaſſis afferam palato tuo non ingrata, dabiturque forſan in dies occaſio, ut meliora meditando, utiliora edere valeam. Interim hac brevi Diſſertatione fauſto ſidere fruere, atque ubi erravi excuſa, meque in tui beneficium omnia deſiderantem ama.

AD
PHILOSOPHIAM NATURALEM

PROLUSIO

HABITA

A

JOSEPHO LANZONO

PHILOSOPHO, & MEDICO FERRARIENSI,

Et S. R. I. Acad. Leopoldino-Carolinæ Naturæ Curioſorum Socio, &c.

In ſui promotione ad primariam ſedem

IN ALMO FERRARIÆ GYMNASIO

Die IV. *Menſis Martii M D C C X X V I I I.*

PHiloſophiam, quam veteres Sapientiam dixerunt, eſſe Catechiſmum ad fidem, *Sanctus* innuit olim *Cyrillus*: (1) in Philoſophis enim ſemper ineſt venerabilis imago virtutis, & ſine Philoſophia impoſſibile eſt eſſe pium. Quapropter Philoſophos omnes divinos appellandos eſſe voluit *Plato*, (2) qui hanc Scientiam ad tria principia reduxit, ad Deum nempè, ad materiam, & ad rerum formas, quas dixit Ideas, & cùm primum beatum, beatificum, optimo - æternum intelligere ſupra hominem eſſe certum ſit, ità ad nos elevandos ad Deum, veluti per ſcalam rerum creatarum, cauſarum naturalium inquiſitione indigemus; & veræ Philoſophiæ veſtigia ſignantes, ſi non Creatorem attingere, ſaltem Creaturas conſiderare poſſimus: undè præclarè *Gaſſendus* (3) Phyſicam, dixit, animi diſpoſitionem ad rectè ſentiendum de rebus naturalibus: & tunc animus noſter ad benè ſentiendum de rebus diſponitur, cùm vulgi erroribus derelictis ad veritatem rerum clarè, & diſtinctè intelligendam defertur: ex quo liquet diſcrimen inter veram, & falſam Philoſophiam; vera enim, ac genuina Sapientia eſt, quæ ſolam veritatem cor-

[1] Contr. Julian. lib. 5. [2] In Pymandr. [3] Syntag. Philoſ.

porum naturalium ſibi proponit; falſa porrò, & larvata, quæ tota in ingenio oſtentando ſita, ſolas contentiones verboſas, & pugnaces ſubtilitates ſibi decernit, (1) quæ in vocibus potiùs, quam in rebus verſatur; & in verborum luxu conſiſtens, in ingenioſis quibuſdam litigiis, & cavillis ſuperiorem eſſe in ſcholaſticis concertationibus ſtudet; cujus res affinis eſt Sceptica, quæ de ſingulis dubitat. Phantaſticis ergò relictis ratiociniis, & falſis, atque chimericis hypotheſibus ablegatis; dogmaticam Philoſophiam, jubentibus *Illuſtriſſ. Moderatoribus*, qui me ad hanc Cathedram evocarunt, explicandam ſuſpicio, & detracto naturæ velo, cauſas naturales, quantùm in me erit, inſpiciam, ut ex hoc ad veram Sapientiam, *Juvenes Ornatiſſimi*, pervenire poſſitis: quandoquidem Philoſophia Naturalis Mundum viſibilem, atque effectuum, quos videt, occultas cauſas inquirit, & ex operationibus creationis, earumque ſpecie, pulchritudine, & varietate, Deum Naturæ Auctorem ſuſpicit, ac veneratur: Sicque hanc publicè profiteri, & privatim proſequi decerno, ut Deo libenter paream, & Fortunæ contumaciter reſiſtam. Hoc pacto ego ipſe quoque Naturæ, cum *Seneca*, gratias ago, cùm enim ejus ſecretiora conſiderare propono, Deum ipſum, tanquam illius Auctorem venerabundus adoro.

Quoties enim, ſic me Deus amet, opera mirabilia Naturæ, ac divinæ Bonitatis miracula, alto ſupercilio contemplatus admiror, toties omnipotentis Dei providentiam collaudare, benedicere & prædicare non deſino: etenim quis unquam niſi Philoſophus enarrabit opera Domini? (2) Cœli produnt gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat Firmamentum. Quis igitur præter Philoſophos Siderum motus, materiam, & magnitudinem rite cognovit? quis ventorum cauſam, ætheris vortices, & immenſa lucis volumina in Sole, ejuſque curſum celerrimum menſuravit? In ipſo poſuit tabernaculum Dominus, (3) & ſemper noſtra in admirationem rapiuntur lumina Solis, cujus rapidiſſimus motus, atmoſphæram indeſinenter agitando, uniuſcujuſque motus cauſam eſſe putatur: hic eſt Jovis oculus, lucis parens, quo nihil pulchrius, vel ad res gignen-

[1] Fardel. in Philoſ. [2] Pſalm. 18. [3] Pſalm. 18.

gignendas fœcundius, ſivè ad humanos uſus efficacius: hic ſtellarum ignes colluſtrat, viſcera terræ pervadit, metalla, & gemmas efformat, meſſes inaurat, colorat prata, vireta pingit; unico verbo dicam, cum *Tertulliano*, (1) Sol unicus mundum hunc temperat.

Aëris ingreſſi miracula; vapores è globo terraqueo ſurſum elati, modo denſantur in nubes, huc in imbres deſcendunt, implenturque foſſæ, & cava flumina creſcunt, illuc aërem impellendo in ventos erumpunt, accenduntur in fulgura, & ſplendent *mutantes regna cometæ* (2): Tonitrua in nubibus ex colliſione perſonant, & vel ab æthere, vel ab inferis Jupiter iratus crudelia fulmina vibrat; quorum cauſas juſtè rimari, non omnibus datur, ſed Philoſophis tantum tribuitur, *quibus è meliore luto finxit præcordia Titan.* (3) Si oculum ad globum noſtrum terraqueum vertamus, tot res offendimus, quot myſteria: ſic terra inter tot motus perpetuò immobilis ducentum ſexaginta decies centena millia in circuitu menſurat (4), & tamen ponderibus librata ſuis, velut mundi centrum, ſtabilis, & immota conſiſtit: Dimidiam terræ ſuperficiem inundat pater rerum Oceanus; ubique animalia, ubique plantæ, metalla, gemmæ, & ubique foſſilia; unde ille Philoſophorum Princeps *Seneca* meritò increpat. (5) „ Non dat Deus beneficia? unde ergò iſta, quæ poſſidemus? non enim neceſſitatibus tantummodò noſtris proviſum eſt, ſed uſque in delicias amamur: tot „ arbuſta non uno modo frugifera, tot herbæ ſalutares, tot varietates ciborum per totum annum digeſtæ, ut inerti quoque fortuita terræ alimenta præberent. Quid de Montibus dicam quos tangit Deus, & fumigant? (6) A nonnullis Philoſophis terræ deformitates vocantur, quos ego potius alta naturæ repagula dicerem, patres fontium, ac fluminum, & ſemper iniqui Maris aggeres cujus Maris æſtus cauſam in Luna ponunt nonnulli, alii in telluris inclinatione, vel aëris preſſione, vel in immenſis voraginibus terræ, ſive à fermentatione ſalium in æquore permeantium: quidquid autem ſit, veritas certè hujus æſtuoſi

 my-

[1] Adv. Marcion. l. 2. [2] Lucan. l. 1. [3] Juvenal. Sat. 14. [4] Derham. l. 2. c. 2. [5] De benefic. [6] Pſalm. 103.

myſterii adhuc in occulto manet. Hinc mira fontium ſcaturigo torquet Philoſophantium ingenia; & an ab aquis marinis & ſubterraneis per telluris venas emergat, vel ab imbre, ac nive ſoluta derivet, adhuc ſub Judice indeciſum pendet, & longam facit in Sapientum Lyceis talis diſcordia litem. Mox in collibus, ac locis concameratis à Philoſophis tantum rectè percipitur aëris, & linguæ filia (1) reſonabilis Echo; quæ cùm ſit incognita quædam vocis, ſonive repercuſſio, illorum mentem effugit, quibus nox ante veſperam venit. Altas telluris voragines quis, niſi Sophus, mente cognoſcit? Quis ingenio menſurat, dum *rapidus vorat æquora vortex?* (2) Quis ignivomos montes intelligit, & e cavis fornacibus ignes, & quas tam vaſta volvant incendia cauſas? Sic, velut à pulvere pyrio, mineræ nitro-ſulphureæ in cryptis ſubterraneis accenſæ, ad inſtar cuniculi, terram quatiunt, unde turres tremunt, & ædificia corruunt; cujus telluris tremitus cauſam Thales, & Democritus ad aquam retulerunt; Peripatetici verò ad caloris, & frigoris pugnam: ſic aër colliſus in internis terræ concavitatibus reboat, hinc ipſorum gemitus montium, & eliſorum litorum fragor cum ſonitu ruinarum immenſo. Hinc, ſcena mutata, *Tellus odoriferis aſpergit floribus aras* (3) in quibus pinxit natura colores: ſic terra floribus undequaque conſperſa, cum Cœlo Sideribus exornato contendit.

Tam Lunæ, quam Solis Eclypſis curioſa Phyſicorum lumina trahit; dumque interpoſitione opaci corporis cœleſte lumen obtenebratur, ac deficit, ob difficilem hujus obſcuritatis intelligentiam, deliquium patiuntur Philoſophantium ingenia; hinc variæ Lunæ Phaſes, inæqualitates in ejus ſuperficie, ſcabrities, figura, motus, Sapientum torquent intuitus, & teleſcopia fatigant. Ex oppoſita Nube nuncia Junonis vario decorata colore à Sole pingitur Iris, quæ Thaumantia à Græcis, hoc eſt admirationis filia, vocatur, undè poſuit arcum ſuum in nubibus Dominus (4) & Philoſophis obſtupentibus, tunc

Iris croceis per Cœlum roſcida pennis
Mille trahit varios adverſos Sole colores.

Hic

(1) Auſon. Epig. 11. (2) Virgil. Æneid. lib. 1. (3) Sil. Ital. lib. 16. (4) Geneſ. c. 9.

(1) Hic ſurgunt Halones ſuum circa ſidera fulgorem mirabiliter præ ſe ferentes; hùc Parhelia ex reflexione radiorum ſolarium in nube rorida Solis imaginem referentia; hic Galaxia; hùc Coluri: omnia, omnia ſunt plena Deo, cujus curam de cunctis eſſe *Salvianus* jam conclamavit. (2) Ad majorem verò admirationem animantia nos Philoſophos trahunt, quæ in tres claſſes diſtincta, trinum Naturæ miraculum faciunt: differunt ratione loci, ſexus, & motus. Diligenter à Sophis obſervanda ſunt multa inter illa communia, nonnulla peculiaria, ſenſus in illis, & eorum organa, reſpirationem, victum, ac geneſim; ita ut ad Gloriam Divinæ Omnipotentiæ animalium ordinem ſcenam dicerem mirabilium. Reſpice, ait *David*, animalia puſilla (3) cum magnis, ab exiguis ad grandia, à parvis ad eximia, infinita Dei providentia poſuit prodigia ſuper terram: hinc apes attonitus obſervavit Virgilius (4), & cecinit.

Venturæque hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt:
Namque aliæ victu invigilant, & fœdere pacto
Exercentur agris: pars intrà ſepta domorum.
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina, deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendnnt nectare cellas.

Vade ad Formicam, inquit *Salomon* (5), & diſce ſapientiam; ipſa enim *haud eſt ignara, ac non incauta futuri*: (6) In hac majus onus, quam corpus; & celebri velut luctu amanter corpora ſociarum defuncta deportat; ac ſi videat ſororem ſub onere confidentem, ſuppoſitis humeris miſericorditer adjuvat. Inſectorum ſemina, Phyſici microſcopio tantum viſibilia, vel deponuntur in putri, vel in carnibus, vel in aquis; ſcatent ſeminibus fructus, & folia, & obſervantibus diligentiſſimis, atque mihi amiciſſimis,

(1) Virgil. l. 4. Æneid. (2) De Guber. Dei lib. 2. [3] Pſalm. 103. [4] Lib. 4. Georgic. [5] Prov. cap. 6. [6] Sanſr. 1.

ciſſimis, *Redio*, & *Vallisnerio*, vivunt minima inſecta in plantis, in piſcibus, in volatilibus, in brutis, ac in hominibus; & non tantùm cadavera, verùm etiam viventium perfecta corpora, locum, & nutrimentum vermibus præſtant; ſicque interna ſolent infeſti rodere vermes. Hinc miram aranearum ſolertiam Naturæ indagatores attentè proſpiciunt, odio naturali debacchantem in muſcas, ità ut venatoris ad inſtar; tenuem texens telam; ad illas fraudolenter capiendas, vix nata inſidioſa retia tendat.

Ingreſſi aquarum mirabilia, ubi cavum vaſtas in mare ſervat aquas, magna admiratione ſunt digna, ut *Plinii* verbis utar, (1) vaſtiſſimæ molis animantia, nec non alia minutiſſima, & penè inviſibilia, quæ in aquea regione convivunt, nutriuntur, reſpirant, & cauda, velut clavo, fluctus natando ſecant, & pelagum decurrunt apertum: hic firmæ jam teſtæ murices, & cætera concharum genera, in quibus magna ludentis naturæ varietas; tot colorum differentiæ, tot figuræ, planæ, concavæ, in dorſum elatæ, rugatæ, leves, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emiſſo, partim virgulata, criſpa, crinita, vel pectinatim, vel imbricatim undata, in obliquum, & in rectum expanſa, vel toto connexa latere, vel ad buccinam mirabiliter recurva.

Obſcura nemora ingreſſi, huc nobilis Leonum ira, illuc feræ Tygres nunquam furorem poſuere.

Hic furens Aper, Damæque fugaces
Urſa per incultos huc errat ſqualida montes (2).

aliaque multa, quæ licet ſylveſtria ſint animantia, attamen ſui modum vivendi tenent, quod ſibi noxium, quod ſibi utile noſcunt, & Natura docente partus edunt, alunt, atque mirabili quadam providentia, defendunt. Nihil ſagacius, & fidelius Cane, cujus, propriam ſalutem homines, cuſtodia vallant; *hinc leviſomna Canum fido cum pectore corda* (3) dormientes defenſant heros. Tacitæ pietatis ſtudio flagrans eſt Agnus; & eximiæ dilectionis in ſocios ſunt Boves; vivacitas, & induſtria in Equis multa (4). Quid dicam de Homine? magno ſcilicet Naturæ miraculo,

[1] Hiſt. nat. lib. 9. [2] Ovid. Faſt. lib. 2. (3) Lucret. lib. 5. (4) Ugo de S. Vict. de beſt. lib. 3.

raculo, animalium omnium Moderatore, qui Deo jubente dominatur piſcibus Maris, volatilibus Cœli, & beſtiis terræ (1): *cui igneus eſt vigor, & cœleſtis origo* (2), cujus anima immortalis nobiliſſima eſt ſoboles æternæ virtutis, Divinitatis imago, non cum Brutis, ſed cum Diis cœleſtibus comparanda. Divina prudentia munitus Homo antequam erroribus ſit implicitus, poteſt malitiæ fraudes, dolos, & vitia, vitare; imò quod majus eſt, ſuadente Apoſtolo, homines in Domino exiſtunt, moventur, & vivunt (3). Quis, niſi ſapientiæ cultor, intelligit memoriam ejus? quis cogitationes, & voluntatem? Mirabilis eſt in homine geniorum varietas, & inventio; quotidiè enim ſemper nova cogitando, tùm in ſcientiis, cùm in artibus, recentia mirabilia producit. Erectum Natura conſtituit hominem, ut Dei cognitionem, Cœlum intuens, ſuſpicere poſſet; ſunt enim è terra homines; (4) non ut incolæ, atque habitatores, ſed quaſi ſpectatores cœleſtium, quorum ſpectaculum ad nullum aliud genus animalium pertinet; nam homo debet animæ pennas addere (5), mundo eam eripere, ipſique Deo dare, divinamque imaginem, aut manentem conſervare, aut periclitantem fulcire, aut dilapſam in priſtinum ſtatum revocare; optimè ergo Deus.

Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus (6).

Mirabilis eſt in homine, ut accuratè notant Philoſophi, partium harmonia, humorum, ac ſpirituum motus, à quo vita dependet, concinna vaſorum diſpoſitio, oſſium neceſſaria connexio, apta nervorum protenſio, recta muſculorum diſtributio, glandularum mira ſecretio; ac diligentiſſima viſcerum ſituatio: Tactum implent nerveæ cutis Papillæ: Viſum radii viſibiles in humore cryſtallino, & vitreo collecti, in retinam reflexi, undè fronte lucentes oculi corruſcant: Auditum implet aër tympanum auris pulſans,

(1) Geneſ. cap. 1. (2) Virgil. Æneid. lib. 6. (3) Act. Apoſt. cap. 17. (4) Ciceron. lib. 2. de Nat. Deor. [5] S. Greg. Nazianz. Orat. 1. [6] Ovid. Methamor. lib. 1.

pulſans, ſicque penetrat cavas vox omnis ad aures. Quid dicam de ſanguinis perenni circuitu,

Quam rapido exundans torrente feratur,
Quid venam repleat, cur tenſa arteria pulſu
Perpetuo micet alternis reſidenſque, tumenſque,
Quidque intermiſſo præcordia verberet ictu? [1]

De geneſi quid in Homine mirabilius? ſiquidem ex ovo ſibi ſimilem generando, opus illud mirabile, quod jam Deus in principio creavit, ipſe conſervat; adorabilis primus in creando, glorioſus alter in conſervando. In homine demum vis magna mentis, *blandus atque animi calor, amor ineſt*, [2] cujus duo momenta ſunt ponderum, ſive deorsùm gravitate, ſivè sursùm levitate nitatur; & quia *vivunt in eo odia improba, vivunt*, [3] & ſemper in ejus corde miſcentur triſtia lætis; ſic ergò eſt Diis proximus ille, quem ratio, non ira, movet. Quid plura? homo inquit *S. Jo. Chriſoſtomus* [4] inter viſibilia omnia dignitate præcellit: & cùm homo non ſit, [5] qui ſit expers Philoſophiæ; & cum omnium ſupradictarum rerum cognitio ad Philoſophum ſpectet, nos enim, (ſunt ſacri Codicis verba) docemur ſuper jumenta terræ, & ſuper volucres Cœli erudimur [6]: Ideò benè, ac ſapienter Majores noſtri in publicis Lyceis Philoſophiam edoceri mandarunt; ſiquidem iſta veritatem quærit, Theologia invenit, Religio poſſidet. [7] Sic igitur in hoc noſtro almo Ferrarienſi Lyceo elapſis ſæculis Philoſophiam illuſtrarunt feliciter *Franciſcus Patricius*, *Antonius Montecatinus*, *Galeatius Landrinus*, *Joannes Emilianus*, *Thomas Gianninus*, *Hieronymus Nigriſolius*, & nuperrimè Clariſſ. Prædeceſſor meus *Franciſcus Maria Nigriſolius*, acerbiſſimo non ſine noſtri hujus Lycei dolore denatus, ad cujus funus hæc Schola nuper manavit in lacrymas. Verum quid eſt, Auditores, quod nova luce perfundor? hunc locum jam totum recens fulgor illuſtrat. En adſtat *Nigriſolius* ipſe propriæ virtutis nitido ſplendore corruſcans, qui diù, noctuque vivens, in hoc Gymnaſio verſatus, nec mortuus ipſe quidem ab hoc ſibi dilecto loco recedit. En ut inceſſu gra-

vis,

[1] Rob. Grov. Carm. [2] Senec. in Octav. [3] Statius lib. 12. Thebaid. [4] Super Geneſ. [5] Jo. Picus in Epiſt. [6] Job. cap. 35. [7] Jo. Picus in Epiſt.

vis, corpore quadrato, canitie venerandus; facie hilaris, corde ſincerus, diſertus in cathedris, fide inſignis, in Templo pius, miſericors ergà pauperes, ergà divites humilis, temperans in gynæceis, in dignitatibus ſine faſtu: Ergà omnes comis, cunctis officioſus, ſociis amabilis, reliquis urbanus, nulli oneroſus, ægrotantibus placidus, facilis, blandus, ſuavis, & in omnibus ſemper prudens.

[1] . . . *Hic ſuccos, atque auxiliantia morbis*
Gramina, quò nimius ſtaret medicamine ſanguis,
Quid faciat ſomnos, quid hiantia vulnera claudat,
Quæ ferro cohibenda lues, quæ cederet herbis
Edocuit.

Perge modo Anima felix: Patria tua Cœlum eſt; noſtrumque in nomen abi; in æternam pacem nos omnes expectaturus quieſce. Te noſtra non tangunt; ſiquidem ad denatos non pertinet, niſi quod ſibi ipſis vivi fecerunt; opera enim tantummodò eorum ſequuntur illos. [2] Vade igitur triumphalis Anima, & fulgidam Cœli ſedem, tuæ virtuti debitam, imple, ac decora: ſuper me dulcem ſapientiæ tuæ radium immitte, qui totas penetret, roboretque medullas, ut te auxiliante facto in me duplici ſpiritu, occulta arcana Sophiæ, & recondita naturæ Myſteria ſtudioſis Adoleſcentibus aperire valeam. Plura de *Franciſco Maria Nigriſolio* ſciens prætereo, nè fortaſſis de tenui proluſione librum conficiam.

Nunc verò demùm ad vos ſermonem meum converto, *Illuſtriſſimi Moderatores*; quorum authoritate honeſtatus, Primariam Sedem in hoc almo Gymnaſio ſum conſequutus: Amorem erga me veſtrum agnovi; ut enim aurum igne, [3] ità benevolentia collatis ſanè probatur officiis: quamobrem incomparabilis Humanitas veſtra me vobis ità devinxit, ut omne ſtudium mihi erit vobis ſemper vices rependere; ita tamen, ut minima ſaltem ex parte ſatis unquam facere poſſim: & cùm gratiam referre non valeam, beneficii collati memoria ſemper in me revireſcet, & nulla, nulla temporis, aut fortunæ viciſſitudine intermorietur. Dies profectò, atque oratio ipſa deficeret, ſi Liberali-

[1] Achilleid. lib. 2. [2] Apocal. cap. 14. [3] Gaſp. Surd. in Epiſt.

beralitatem veſtram, Prudentiam; Nobilitatem, Moderationem in privatis rebus, Splendorem in publicis connumerare, ac proſequi vellem, vos enim propria tantùm

. . . . . . *gaudetis virtute excellere, quorum*
Gloria nullius creſcere laude poteſt. [1]

Faxit igitur Divina Clementia, ut diù feliciter veſtræ Gloriæ, ac Gymnaſio noſtro vivatis. Quod verò ad juſtam gratiarum actionem ſpectat, quo verborum officio, ut ſuprà dixi, præſtabo? tali enim, ac tanto munere à vobis, & à *Sapientibus Illuſtriſſimi Magiſtratus* cohoneſtatus ſum, ut merita in me veſtra non agenda modò, ſed nec [2] cogitanda quidem gratia, ulla ex parte, aſſequi poſſim, & tantum vobis omnibus debeo, quantum nec referre, nec ſolvere queo. Quæ igitur verbis minimè complecti valeo, animo, quoad vivam, intuebor, & mihi ſemper erunt imis infixa medullis. Operam ergo dabo, pro eo, quod in me erit, ſtudii, induſtriæ, & laboris; ut me maximi hujus veſtri beneficii memorem, *Viri Ampliſſimi*, jugiter habeatis. Dixi.

[1] Tit. Stroz. Carm. [2] Ponteder. Antholog.

JOSE

JOSEPHI LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS.

Nec non S. R. I. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

DISSERTATIONES VARIÆ XIII.

Hactenùs ineditæ.

LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.

MDCCXXXVIII.

DISSERTATIO.

PRIMA.

De Capillis.

QUÆRIS à me, Illuſtriſſime Domine, meam de Capillis audire ſententiam, curioſam enim dicis eſſe materiam, eruditione plenam, atque Medicis, & Anatomicis neceſſariam; quocirca, ut tibi ſatisfaciam, breviter de Capillis diſſerere mihi liceat, & quid circa eos collegerim à ſcriptoribus adnotare.

Capillus, quaſi capitis pilus, dicitur, quamvis, & pro omni pilo ponatur, immò, & pro Barba, unde *Cicero* 1. *de offic.* Sic habet, *qui cultros metuens tonſorios, candente carbone ſibi adurebat capillum.* Porrò pili in omnibus ferè animalibus intra ſe generantibus reperiuntur teſte Ariſtotele, ſed horum vices in piſcibus ſquammæ implent, in erinaceis aculei, & in avibus pennæ. Pilorum autem nomen eſt generale; atque competit omnibus corporis pilis in quacumque parte prodeuntibus; verum in Capite ſpecialem obtinuere nomenclaturam, & crines, ſive Capilli appellati ſunt; Cæſariem dixe-

re nonnulli à frequenti cæſione, & Comam alii præſertim in fœminis, quæ tum viris, tum mulieribus data fuit, ut ornamentum, & decus capiti afferret; cecinit enim *Poeta*

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Quare nihil mirum ſi in fœminis tanto ſtudio Capilli ſervantur, coluntur, atque in cincinnos arte diſtribuuntur, tali enim ornatu formoſiores apparent, cùm verò cadunt fictam comam apponunt, de qua re nonnulla ſcripſi *in Adverſar. lib.* 1. *cap.* 2.

Ex cutis poris erumpunt pili, non verò in quacumque corporis parte, ut in vola manus, in planta pedum, atque in cicatrice cum enim è ſuis bulbulis enaſcantur, hinc eſt quod in partibus, ubi iſti non reperiuntur, Capilli non enaſcantur. Dividuntur à *Diemerbroeckio* pili in congenitos, & poſt genitos; primi ſunt cum quibus orimur, quales ſunt Capitis pili, ſuperciliorum, palpebrarum &c. Secundi verò, qui poſt ortum certo quodam tempore in aliquibus determinatis partibus effloreſcunt, ut ſunt pili pubis, faciei, pectoris, axillarum, naſi, aurium, ani, tibiarum, &c. Porrò Capillus humanus ſpecillo ſuppoſitus orbiculatam, & alveatam refert Zonulam, immò evulſo pilo ſpectantur pori, & cutis meatus, ſunt verba Clariſſ. *Boneti in Med. Septent. tom. I. lib.* 1. *Sect. I. cap.* 1., per quos ſudor, & pili erumpunt, immò craſſus, & terreſtris humor, & viſcoſa Capilli radix; Capilli enim concavi, & ut canales pertuſi, ac perforati adeo ut pennas avium repræſentent, atque in iis varii colores, & quaſi Irides *Borell. obſ.* 23. Eandem cavitatem pilorum aſſerit *Panarolus* cum *Bartholino.* Rotundos, & verſus extrema craſſiores eſſe, quam circa radicem, & ab uno extremo ad alterum eſſe excavatos perinde, ac aliquod cornu ait *Hockius* in *tom. II. Ephem. Gall.* Dicuntur autem Capilli corpora prolixa, & tenuia, frigida, ac ſicca, licet nonnulli cum *Bartholino* nomine partium corporis humani non eſſe dignos Capillos putent, quia vitam cum toto communem non habent, & ab eo reſcindi poſſunt abſque ullo damno, & volunt eſſe excremen-

excrementa ex ſanguinis partibus fulginoſis efformata, quæ verſus corporis ſuperficiem propulſa condenſantur, dum cutis poros trajiciunt. Diſcrimen autem inter Capillorum, & pilorum genus, nihil aliud eſſe videtur, quam longitudinis diſcrimen, quapropter, ut ſupra dixi, pili, & capilli ſub eodem genere comprehenduntur. Tria verò in iſtis obſervanda ſunt, nempe materia, color, & locus; materia, ſi *Dionis* credamus, ſunt vapores fuliginoſi, craſſiores, & viſcoſi, qui calorem moderatum poſcunt, qui ſi nimius fuerit, & violentus non ſolùm materiam, ex qua exſiccabit, verùm etiam bulbulos, ſeu radices aduret, unde Capillorum defluvium orietur, & ſi pariter calor nimis debilis fuerit, materia non ſufficienter diſponetur ad efformandos pilos, unde eorum privatio ſuccedat. Tandem requiritur locus, qui conveniens ſit, ut eſt cutis, præter palmam manus, & pedum in quibus partibus, & bulbuli non ſunt, & pori nimis ſunt arcti, & conſtricti. In nonnullis Capilli ſunt valde prolixi; in aliis ſunt breves, quod pendere videtur a materia non tantum efformante, quam enutriente, quæ in primis abundat, in aliis deficit. Sunt qui rectos, & qui criſpos habent crines, & hoc evenire puto ratione materiæ, ex qua formantur; licet *Dionis* placeat aſſerere hoc accidere ratione figuræ pororum, è quibus emergunt; quod ſi pori ſint recti, rectos Capillos dabunt; ſi curvi, & obliqui, tunc criſpos, vel cirratos crines præſtabunt. Licet autem figura Capillorum nobis rotunda videatur; attamen ope Microſcopii mihi videre datum eſt alios fuiſſe triangulares; alios quadratos, & teretes; alioſque alterius figuræ. Capilli poſſunt dividi in duas, treſve partes, ut de facto ex ſe in extremitatibus hanc diviſionem patiuntur, & vitium morboſum Capillorum dicitur, quod frequenter obſervatur. Colore differunt Capilli, alii enim ſunt ruffi, alii nigri, alii albicantes, alii cani, vel medii cujuſdam coloris ad caſtaneum tendentis: Procedit autem diverſitas ab humorum diverſitate, qui de facili admiſcentur ſucco alibili Capillorum, ſi enim lymphaticus fuerit humor, tunc albicabunt, ſi ſulphureus ruffum colorem dabit, & ſi tartareus nigrum, &

ſi heterogeneus mixtum colorem caſtaneum excitabit. Porro colores Capillorum pro diverſitate regionum, & ætatum variantur; ut qui climata calida habitant, ut mauri nigros, & cirratos crines habent; qui temperatas regiones incolunt, variorum colorum Capillos gerunt, qui frigidas plagas, ut Dani, flavos. Notandum verò temperamenta colores Capillorum immutare, donec tandem ſenectus omnes illos varios colores in unicum convertit, in canum ſcilicet, & hoc ob paucitatem humoris Capillos enutrientis. Cutis igitur, in qua pili enaſcuntur eſſe debet moderatè ſicca, laxa, & rara, ut penetrare pilus poſſit; immò in internis membranis aliquando pili enaſcuntur, ſic in corde pilos obſervavit *Bartholinus*, in Ventriculo invenit *Heers*, in utero, & viis urinæ *Schenckius*, & pilos cum lotio redditos fuiſſe teſtantur *Tulpius*, *Zacutus*, & alii. Ut plurimum pili poſt geniti oriuntur in pube, ſub alis, intra nares, & aures, & ultimo in mento virili, ac pectoris medietate. Rarum quippe eſt barbam in mulieribus enatam, in his enim menſtrua materiam, ex qua pili fiunt, abſumunt, attamen aliquando fœminas barbatas obſervaverunt Doctores, ſic *Samuel Ledelius in Miſcell. Acad. Nat. Curioſ. Dec.* 2. *ann.* 5. *obſ.* 48. de nobili fœmina refert, quæ juxtam aluit barbam. Aliqui Medici *Galenum* ſequendo ex colore, & forma pilorum corporis temperiem deſumunt; ita color albicans lymphaticam, & ut dicunt pituitoſam temperiem indicat; color ruffus bilioſam, & ſic de cæteris; imò nonnunquam morbi quoque, & animi mores a Capillis divinantur; ita afflictio, & ſanatio lepræ, quæ deſcribitur in Veteri Teſtamento potiſſimum ex colore pilorum dignoſcebatur. Pili longi, & recti animum mitem ſpondent teſte *Diemerbroeckio*; Criſpi verò animum inconſtantem, iracundum, & in rebus agendis alacrem; duri vero, & præſertim nigri animi fortitudinem indicant, unde Poeta cecinit

duræ per brachia ſetæ
promittunt atrocem animum.

Cùm talia autem ſigna fallacia prorſus ſint hîc amplius non immo-

immorabor. Uſus pilorum, & Capillorum eſt primò partium quarundam tegumentum, ſecundò ornamentum, tertiò demum expurgationem; ornant enim Capilli caput, & faciem, & cerebrum humanum tegunt ab externis injuriis, a frigore, & calore, & quia cerebrum in homine eſt maximum, ita Capillus in eo copioſus eſt; ideò in convaleſcentibus incidendi non ſunt capilli, ne recidivam patiatur Æger, de qua re legatur *Tract.* 13. *Joh. Bapt. Sitoni Mediolanenſis Medici.* Ornant ulterius Capilli, calvi enim deformes ſunt, & præcipue mulieres. Expurgant etiam humores, & ſpiritus, totumque corpus a ſuperfluis fuliginibus; unde frequens crinium decurtatio acuendo viſui confert, & *Celſus* in diuturno curſu lymphæ, ſeu ut dicunt pituitæ tondere præcipit; & Cælius *Aurelianus* in Phrenitide Capillos detrahit, quod Ego ſummæ efficaciæ eſſe non ſemel notavi. Formam pilorum non eſſe animam docuit *Bartholinus*, ideoque pilos, & Capillos communi vita non gaudere putandum, & ratio in promptu eſt, quia in mortuis, & tabidis creſcunt; unde puto generari pilos ex ſuis bulbulis, ut muſcus in arboribus, adeoque *Senguerdius* non vivere Capillos anima cum toto corpore communi, ſed quemlibet eorum ſibi propriam habere animam docuit. Notandum aliquando dari homines, qui ex ingenti metu, aut terrore de repente cani evadunt, ut teſtantur *Suetonius*, *Scaliger*, *Marcellus Donatus*, aliique plures, & ego juſtè fateri, poſſum, me anno 1707. obſervaſſe Ruſticum annorum 22. ad carceres ductum ob furti imputationem, qui una tantum nocte canus evaſit; imo paucis elapſis diebus, Capilli omnino ceciderunt, & calvus factus eſt. Multi hoc fieri volunt ob ſubitam putredinem; alii ob ſiccitatem evenire; aliique demum cum *Diemerbroeckio* volunt provenire ex deficiente in cute ſanguine, eo quia ad cor in copia præcipitat ob metum, & terrorem, unde partes externæ frigent, rigentque. Notabile eſt quod refert *Fromannus de Faſcinat.* de pilorum abſciſſorum cum vivente conſenſu, ait enim, ex vulnere capitis facto cutis capitis piloſa viro fuit detruncata; at curato vulnere piloſam illam cutem aſſervavit Æger, & vergente

gente ætate cum capite ſano caneſcente, illa etiam pilos canos oſtendit. De Calvo poſt triginta annorum decurſum comato ope lotionis Aquæ Reginæ Hungariæ hiſtoriam ſane curioſam narrat *Clariſſ. D. Martin. Schurigius in Miſcell. Cur. Dec.* 3. *ann.* 7. *obſ.* 120. ſuper qua eruditiſſimum ſcholium, & lectu dignum habet *Sapientiſſimus L. Chriſtian. Frid. Garmannus* omni eruditionum genere ornatus. Hic autem notandum cum *Petro Crinito de hon. diſcipl. lib.* 20. „ In libro C. Plinii ad Veſpaſianum „ Auguſtum talia verba eſſe. Antiquior lothos eſt, quæ capil- „ lata dicitur quoniam Virginum Veſtalium ad eam capillus „ defertur, quo loco dubitari video a Doctoribus, quid Pli- „ nius deſignet de Veſtalium crinibus, nos vero morem Virgi- „ num putamus inſinuari, quo tenerentur omnes capillum de- „ tonderi, qui deinde ad arborem Lotho in felices receptam „ devectus humo obrueretur. Hinc qui in peregrinationem longinquam, aut expeditionem proficiſcebantur capillum Deo alicui devovebant, cui domum reduces detonſum conſecrabant teſte *Dempſtero ad Roſinum lib. X.* Fortitudini quoque comam, & barbam voviſſe Veteres apud *Tacitum* video, imo tantæ venerationis fuiſſe apud antiquos comas, ut pro reſtitutione facta ſibi Capillorum votum factum conſtet ex hac inſcriptione deſumpta ex autographis *Pighii* - *Minervæ. memori. Tulli. A Superiana. reſtitutione. facta. ſibi Capillorum.* Plura de votis capillitiis legi poſſunt apud *Jac. Phil. Thomaſinum de Donariis cap.* 11., certum autem etiam hodie eſt apud nos, uſos eſſe Chriſtianos aliquando inter votivas tabellas Capillos appendere, ut in noſtris obſervatur Eccleſiis. Coſmetica Medicamenta capillis venuſtandis excogitavit Medicorum ſedulitas, qualia ab *Archigene* compoſita fuiſſe ſcribit *Cælius Rhodiginus*, quibus docet flavos, & criſpos capillos fieri ſalis ſpuma, intermixta myrrha. *Galenus* etiam coſmetica recenſet, quibus nigricet capillus, & capillare *Martialis* accipit pro unguento ad capillos excogitato, referente *Cæl. Rhodigino lib.* 18. *antiq. lect.* Raram hiſtoriam de puellis capillivoris refert Clariſſ. *Wurfbainus in Miſc. Cur. Dec.* 3. *ann.* 5. & 6. *obſ.* 301., & de cuticulæ univerſi corporis, unguium,

&

& capillorum bina intra ſemeſtre ſpatium depoſitione aliam curioſam obſervationem habet *in ann. 3. Dec. 3. M. A. N. C. Excell. D. Joh. Petr. Albrecht.* Capillamenti autem dignitas, teſte *Apuleio in Methancor.* tanta eſt, ut quamvis auro, veſte, & gemmis, omnique alio exornata mulier incedat, ſi capillum deſpexerit dici non poteſt ornata. Curioſum quid de capillis narrat *Ariſtoteles de hiſt Anim.* nimirum pilos canos primum aliquibus dum ægrotarent factos eſſe, quibus in bonam valetudinem reſtitutis nigri facti ſunt noviter nati, canis defluxis. Scribit *Ambroſius in Hexamer.* comam eſſe reverendam in ſenibus, venerandam in Sacerdotibus, terribilem in bellatoribus, decoram in adoleſcentibus, comptam in mulieribus, & dulcem in pueris. De Abſalone Regis Davidis filio narrant hiſtoriæ tantam illius comæ magnitudinem fuiſſe, ut ducentis Siclis appenderetur, qui quinas, ut ſcribit *Sabellicus* conficiunt libras. Morem fuiſſe apud aliquos in funereis luctibus capillos tondere, innui Ego in meis Adverſariis *de luctu Mortuali Veterum* mox Ferrariæ impreſſis poſt *Diſſertationem de Præficis D. Hier. Baruffaldi* Amici mei ſuaviſſimi, & Eruditiſſimi. Sic Achilles Patrocli mortem lugens, indignum tanto heroe, veſtes conſpurcat, genas lacerat, & capillos evellit, ſi fides eſt habenda *Homero.* Plura ſi lector eruditus poſcat de capillis legere poterit apud *Hadrianum Junium Hornanum Medicum. de Coma.* Hæc interim de pilis, & Capillis ſint ſatis. Diu autem valeas, Vir Illuſtriſſime, & me ut ſoles amare perge.

DISSERTATIO II.

De Peponibus, Italicè Meloni.

ADeo anguſtam eſſe Peponum hiſtoriam ſcribit *Hieronymus Rubeus*, ut minime mirum ſit, ſi Recentiores in explicando, quid apud Veteres eſſent, diù multumque laboraverint: *Cardanus* certe Galenum redarguit, quia de Pepone ambiguè ſenſum ſuum expoſuit, ita ut *Joh. Coſtæus in Epiſt. ad Latinum* putave-

rit ex Galeno ipſo veteres Pepones noſtras angurias eſſe : Illud idem dubitavit Matthiolus , ſed poſtea faſſus eſt ſe neſcire , quid eſſent. Melones vero quorum Italia, & præcipue Ferrarienſis ager, Fertiliſſima eſt, Peponum ſpecies ſunt, atque à nonnullis Melopepones vocantur : Immo monente *Plinio* Peponis nomen acquirunt; quum magnitudine excedunt. Juxta alios ſub Cucumerorum genere comprehenduntur, ita ut ab aliquibus Cucumerarii Pepones dicuntur. Ut ut ſit, certe fructus hi ſunt palato gratiſſimi, optimoque jure inter delicatiſſimos recenſiti à *Quercetano* in ſuo diætetico. Variæ Melonum ſunt differentiæ ratione coloris tum externi, cum interni : multi enim extrinſecus virides, multi flavi, alii albi, alii pallidi, alii cinerei ; intrinſecus verò albeſcentes, flavi, virides, ſubruffi : Differunt etiam ratione figuræ, omnes enim à vertice ad pediculum extuberantibus zonis ſtriati, ſed nonnulli lævigati, nonnulli rugati : aliquando oblongi, ſæpius rotundi. Serpunt, humique jacent ; humani capitis magnitudinem ſæpe æquant, quandoque ſuperant ; nunquam tamen apud nos in tantam amplitudinem inaugentur, ut ſinguli homines unico ſe ſentiant nimis onuſtos, vixque humeris unicum ferant; ſicuti de Hiſpaniola, novi orbis Inſula ſcripſit *Ovet. ſumm. Ind. c.* 81. *apud Majol. Dier. Canic. coll.* 20. *Tom. I.* Veteribus incognitos fuiſſe melones noſtros voluere *Joſeph Scaliger*, & *Caſaubonus in not. ad Jul. Capitol.* : ſed falluntur iſti docti Viri, ut ſcribit *Ludovicus Nonnius lib. de re cib.*; ſub enim Cucumeri voce innotuere Veteribus, & teſtes ſunt *Plinius*, & *Columella* : quibus addi poſſunt & *Julius Capitolinus*, qui Albinum Cæſarem decem Melones Oſtienſes una cœna comediſſe tradit, & *Flavius Vopiſcus in Carin*, & *Trebel. Pollio in Galien.* Immo ex Pollionis verbis habemus, Galieni temporibus artem in uſu fuiſſe conſervandi melones uſque ad ſummam hyemem, olim enim ; ut ait *Caſpar Hoffmannus*, ut per hyemem haberi poſſent, ſiccabantur, quemadmodum Pyra, vel Poma, vel ſub terram, ſubſtrato fœno, ſepeliebantur, vel aliis modis ſervari ſolebant, ut apud Mizaldum *in hort. Secret.* Non prætermitto iſtorum fructuum maturitate probari, illoſque credi meliores, ac cæteris præſtantes,

qui

qui craſſioris pediculi ſunt, & pondere graviores, ac jucundiores odore; quique manu icti, & pulſati reſonant, minus humiditatis habere videntur. Frigidos eos eſſe in qualitate ait *Cardanus*; nos autem temperatos eſſe putamus, nec in Ventriculo de facili corrumpi, ut aliqui credunt; ſi tamen tum odore, tum ſapore optimi ſint, eos habere vim abſterſivam, ait *Vincent Alſar. Crucius*, ideoque ſtomachum à ſordibus purgant; quia verò abſtergunt facile per alvum ſecedunt. *Alexander Trallianus* in tertiana Febri melones manducandos exhibet, quia refrigerant, & alvum movent. Non defuit tamen, ut apud *Rubeum*, qui dubitavit, an comeſi per ſe noceant: Ideo ut cautius agant aliqui, ſale modice conditos Pepones volunt, vel eos cum caſeo veteri comedunt, quod ego non improbo. Salinæ enim particulæ eos à celeri nimis corruptione præſervant, maxime ſi in menſa prima cum aliis cibis ſumantur: Chymice autem loquendo, melones noſtros habere opinor multum phlegmatis, & olei, ac ſalis eſſentialis, & volatilis, unde ad ſanguinis, & viſcerum ardorem temperandum, cor lætum faciendum, alvum laxandum, urinæque- vias refrigerandum optime valet. Quædam tamen in uſu Melonum ſunt attendenda: Fructus iſti eo tempore ſalubres ſunt, cùm ſumma æſtate Ventriculus æſtuat; reliquò tempore non poſſunt non valde lædere, & revera paulo poſt inſipidi fiunt, & ad veſcendum non grati: Nec illis oportet veſci ad ſacietatem, & ventre pleno; non cum aliis cibis, multoque minus poſt alios cibos. Notat autem *Simon Paulli in Quadrip. Botan.* pleroſque prudentiores à Pepone prandium auſpicari, ut exinde probiores cibos comedendo, adventu melioris eſcæ malitiam Peponis (ſi quæ ſit) obtundatur, faciliuſque in humorem commutetur, quem in Ventriculo reperiunt. Quæri ſolet melone an manducato bibendum ſit ſtatim. *Avicennas*, & *Alexander Petronius* inutilem potionem aſſerunt: Mihi potio non diſplicet, dummodo non copioſa. Quid vero bibendum, vinum, an aqua Doctores diſputant? Qui pro aqua militant, ratione hac ſe tuentur, ne pravus melonis ſuccus facilius, ac citius à vino deferatur in

Pp 2 Venas

Venas, ut *Cardanus* teſtatur *de ſanit. tuen. lib.* 2. : Verùm cùm Peponis ſubſtantia nullo modo prava ſit, immo boni ſucci, ideo timor iſte evaneſcit. Vinum ergo poſt melonum eſum convenire cenſeo ; vinum enim Peponibus amicum dicendum eſt, ſi Pepones vini guſtum ſuaviorem reddunt, & tamen poſt dulces cibos vinum eſſe ſolet ingratum. Quia vero vinum generoſum concoctionem adjuvat, ac fermentationem ſtomachi promptius promovet, ideo melius ſibi conſulere ait *Ludovicus Nonnius de re cib. lib.* 1. modo tamen magna in copia non ſit. Immò *Simon Sethi* vinum omninò ſuperbibendum ſuadet, hac tamen diſtinctione adhibita : ſenibus, & Pituitoſis, ac ſtomachum frigidiorem habentibus vinum vetuſtum, & generoſum conſulit, Juvenibus verò fervidis, biliroſis, ac quibus viſcera valde calent, tenue. Sed tum ſenibus, tum Juvenibus à nimio Melonum eſu abſtinendum ; ex intemperata enim iſtorum fructuum ingluvie quatuor Cæſares periiſſe notavit *Joh. Cuſpinianus in Vita Friderici III.* & *Platina* Paulum II. Pontificem circa horam noctis ſecundam apoplexia correptum, & mortuum tradit, cùm tamen die præcedenti bene ſe geſſiſſet, & veſpere in cœna duos prægrandes Melones comediſſet integros. Melonum ſemina ex numero ſunt quatuor ſeminum frigidorum majorum, unde emulſiones ex ipſis conveniunt febricitantibus, tuſſientibus, tabidis, ſiticuloſis, & maraſmo affectis : contra etiam urinæ ardorem, ſuppreſſionemque, & Gonnorrhœas valde prodeſſe docet *Raius*.

DISSERTATIO III.

De Sturione.

TUas humaniſſimas literas, quas Tabellarius nudius tertius attulit, hilari fronte accepi, & ex iis intellexi, te meum ſenſum optare circa Piſcem, *Sturionem* dictum, qui nobilitat Eridanum noſtrum, & an ſit Accipenſer, vel Silurus : circa quod

brevi

brevi meum animum aperiam. Licet ergo *Jovius* & cum eo *Matthiolus*, & *Salvianus* dixerint, Silurum antiquorum eſſe Sturionem noſtrum, ego tamen contrarium ſentio, & ſum cum eis, qui aiunt Sturionem eſſe Accipenſerem. Me quidem non latet, apud *Athenæum*, *Archiſtratum* voluiſſe Gallium Rhodianum idem fuiſſe ac Accipenſerem Romanorum, qui piſcis *cum tibiis, & coronis circumferebatur in cœnis, coronatis etiam illis, qui portabant, quaſi quadam, non deliciarum, ſed numinis pompâ;* ut ait *Macrobius in ſuis Saturnalibus lib.* 3. *cap.* 16. *Appio Grammaticus, apud Athenæum*, vult, Elopem Græcorum fuiſſe Accipenſerem, qui tantâ pompâ, & ſolemnitate ferebatur ad menſas. *Platina* tamen *lib.* X. *de Conſerv. Sanit.* diſtinxit Sturionem à Siluro, & Accipenſere; omnium enim iſtorum ſeorſim condituram edocuit; ſed *Raderius* ſuper *Martialem* apertè docet, Accipenſerem vulgo dici Sturionem, uti etiam *Henric. Mundt*; & *Scaliger in ſuis Exercitat.* idem ſenſit, dicens -- *itaque veterem ſententiam probamus, quæ Sturionem putabat Accipenſerem; Plinius cap.* 17. *lib.* 9. ſcripſit *apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus eſt Accipenſer*; ita ut donatus fuerit Scipioni tanquam res nobiliſſima, ut fatetur *Aulus Gellius*: Hoc idem ſenſit *Ovidius* in *Halieutica*, canendo

Tuque peregrinis Accipenſer nobilis undis.

Undè Piſcis iſte propter ſuam excellentiam, nobilitatem, ac ſaporem fuit putatus obſonium Principum, & dignus, ut locum haberet in menſâ Deorum, ſic *Martialis lib.* 13. dixit

Ad palatinas accipenſerem mittito menſas,
Ambroſias ornent munera rara dapes.

Jovius, ut in principio dixi, voluit Sturionem fuiſſe Silurum, cùm non reperiatur, ut ipſe ait, quod *Ariſtoteles*, *Plinius*, & *Athenæus* deſcripſerint Piſcem, qui magis aſſimiletur Sturioni, quàm Silurus; & *Auſonius in Moſella* accipit Sturionem pro Si-

 luro,

luro, uti piſcis magnus, nobilis, fluviatilis, ac Marinus; & hujus ſententiæ fuit pariter *Amatus Luſitanus ſuper Dioſcoridem* dicendo *revera Silurus Sturio eſt*: imò dixerunt alii non eſſe piſcem magis ſimilem Delphino, quam Sturio, & maxime in roſtro. Verùm *Jovius* non obſervavit, uti fecit diligenter noſter inſignis *Manardus lib. 9. Epiſt. 3.* Silurum habere fortiſſimos dentes, Sturionem verò omninò orbatum dentibus eſſe, ita ut *Ariſtoteles in Animal. hiſt. lib. 9.* vocaverit Silurum *Hamifragam*, quia morſu dentis ſui fortiſſimi rumpit hamum; imò addo ego Silurum eſſe ferociſſimum animal, unde *Plinius lib. 9.* ait *graſſatur ubicunque eſt, omne animal aggrediens*, audacter etiam ipſos equos, ut teſtatur *Wottonus lib. 8. de differ. animal.* his verbis *Silurus omne animal appetens, equos innatantes ſæpe demergens*: E contra verò Sturio eſt manſuetus, mitis, ac timidus; hinc concludendum, Silurum *Ariſtotelis*, *&* *Plinii* non eſſe noſtrum Sturionem, ſed ſi fides danda eſt *Joſ. Scaligero*, dici debet, Silurum *Auſonii* diverſum eſſe ab illo *Plinii*, & *Ariſtotelis*, atque idem eſſe ac Sturionem noſtrum; inquit enim ipſe in *Lectionibus Auſonianis Lib. 1. cap. 3. non alius poteſt eſſe Silurus Auſonii, quam Sturio noſter*, cùm non inveniatur piſcis ullus, cui magis aptetur deſcriptio Siluri facta ab *Auſonio*. *Voſſius lib. 4. cap. 17. Idololatriæ* etiam ipſe confirmat Silurum Auſonii eſſe noſtrum Sturionem, & ita pariter aſſerit *Freherus in not. ad Auſonium* relatis a *Jacobo Tollio* in operibus prædicti Poëtæ cum notis Variorum impreſſis ultimo in Batavia. Aliqui crediderunt noſtrum Sturionem fuiſſe Elopem; alii Gallium Rhodianum; *Hermolaus Barbarus*, *Geſnerus*, *Nonnius*, aliique dixere, piſcem Hiccam Sturionem fuiſſe; multi Turſionem Plinii, cum quibus ſtat *Longolius*; alii crediderunt Sturionem, piſcem Lupum eſſe. *Philelphus* cum *Poggio*, & *Volaterrano* dixerunt eum Atilum Padi eſſe: *Carolus Figulus* juxta *Aldrovandum* opinatus eſt Sturionem fuiſſe Delphinum. Ego autem, dico, Atilum, Antiquorum magnum illum piſcem eſſe, capitur in noſtro Eridano, dictus vulgo *Ladano*, de quo tam bene ſcribit *Rondeletius*, cum *Aldrovando*, & noſtro *Calcagnino*; Gallium
vero

vero Rhodianum eſſe Coſpum, qui a plebe noſtrâ dicitur *Copes*, qui Sturioni aſſimilatur, & propterea a noſtris Mercatoribus pro Sturione venditur, ob ejus ſimilitudinem. Propterea *Charletonus* ſcripſit *in ſuo Onomaſtico: Gallius Rhodius, qui frequens reperitur in Pado, pro Sturione venditur, nec ab eo diſtinguitur, niſi ab exquiſiti guſtatus hominibus.* Statuendum igitur, Sturionem eſſe Accipenſerem Veterum, qui coronatus ſolemniter ferebatur in cœnis, ut refert *Cœlius Rhodiginus*; & hujus ſententiæ ante me fuerunt *Charletonus*, *Stuchius*, *Rondeletius*, *Aldrovandus*, & *Scotus*, qui narrat, captum Sturionem, & ex aqua ad humum delatum, tam fortiter tellurem cauda percutere, ut e Saxis ignem eliciat; en ſua verba præciſa, *in terram extractus cauda lapides ferit tanta vi, ut ignis exiliat, attritu nimirum oſſiculorum, quibus toto corpore Mucronatus horret.* Nunc mihi placet addere aliquid de Sturione ad Medicinam faciens; ſic in mea *Zoologiâ* ſcripſi adverſus dolores articulares plurimum valere pulverem oſſium Sturionis, uti etiam docet *Schröderus* contra colicos dolores. Caro ejuſdem manducata vocem clarificat juxta *Dioſcoridem*, ad alvum ſolvendam eam laudat *Lemeri* in ſuo *Diction. Pharmac.* Adeps Sturionis ſuadente *Aldrovando* valet ad Perniones. Et hæc de Sturione ſufficiant. Interim te valere jubeo, & me amare perge.

DISSERTATIO IV.

De Acetariis.

Vix credas, Illuſtriſſime Domine, quam oportune redditæ mihi fuerint tuæ literæ, in quibus petis quid ego ſentiam de Acetariis, quorum tu es amantiſſimus & præſertim de eorum antiquitate, ac uſu apud Veteres; ut ergo tibi ſatisfaciam breviter ſic reſpondeo.

Acetaria, quæ hodie nobilitant omnes menſas, ornant omnia convivia, ac condunt cœnas omnes, apud Veteres in uſu fuiſſe

fuiſſe certum eſt. Hæc autem ex herbis virentibus domeſticis parabantur, ut etiam fit hodie, ſuperinſperſo ſale, aceto, ac oleo; & horum uſum eſſe antiquiſſimum demonſtrat Plinius *in lib.* 9. ſcribens, Culturam hortorum præcipue ſpectaſſe mulieribus, ex quorum majori cultura deducebatur majus Matrisfamilias ingenium. Ab Hortis igitur promptè, ac expeditè antiqui ſumebant epulas ſuas multo in pretio habitas, *quia non egebant igne; & acetaria appellabantur*; ita *Plinius*: & *lib.* 20. *ſuæ Hiſtor.* dicit, Portulacam in Acetariis poſitam corroborare ſtomachum: & *Galenus de Alim. facult.*, ait, priuſquam edantur alia cibaria, oportere comedere Cappares, (qui, ſuadente *Julio Alexandrino*, oleo, & aceto condiebantur) & alibi ſcripſit, Lactucam comedi a pluribus crudam cum oleo, & aceto. A quibus omnibus deducendum eſt, antiquitus Acetaria in uſum fuiſſe, & juxta *Plinium*, quamcumque herbam nobilem, ac teneram in Acetariis poni in uſum fuiſſe, & ſingillatim Lactucam, dum hæc, ſuggerente *Scaligero in Theoph.* eſt princeps olerum, unde *Muſa* Medicus Lactucis Auguſtum in vivis conſervaſſe fertur; & tunc in tantam venit hæc herba æſtimationem, ut pro quovis menſe eam conſervaverint: Hinc *Galenus* ipſe de ſe ait, in ſua juventute, ut arceret à Ventriculo bilem, lactucâ, qua refrigeraretur, uſum fuiſſe: Athenæus ipſe teſtatur Lactucam ſtomacho utilem eſſe, & ad ſomnum provocandum. Quare videtur Lactucam inter cibos delicatiores locum habuiſſe; ita in Moreto *Virgilii* legitur

Grataque nobilium requies lactuca ciborum

Hæc tanquam herbarum Regina modo menſas incepit, modo terminavit antiquorum, juxta *Martialem lib.* 13.

Claudere quæ cœnas lactuca ſolebat avorum,
Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes.

& *in lib.* 11. invitans Julium Cerealem ad cœnam ſpondet prima fercula fore Lactucas

Prima

Prima tibi dabitur ventri Lactuca movendo
Utilis. . . . . .

Antiquioribus autem annis videtur frigida hæc cibaria non incepiſſe convivia, uti teſtatur *Athenæus lib.* 3. his verbis „ *Veterum quidem nemo ante cœnam aut lactucam aut aliquid ejuſmo-* „ *di, ut nunc fit, appoſuit, nunc*, id eſt tempore Marci Antonini, ſub cujus imperio floruit Athenæus. Iſta tamen Lactucæ tranſportatio a fine cœnæ ad exordium non ſero adeo contigit; temporibus enim Martialis, qui ſub Domitiano vixit, acciderat: Et Plutarchus, qui regnante Trajano ſcribebat, ubi quærit an per mutationem ciborum, novi morbi pariter ſint introducti, dixit: *credo etiam ciborum mutationem non leve diſcrimen intuliſſe quas enim frigidas menſas, ante oſtrea, crudam lactucam, ut concoctu facilem, exhibebant, nunc à Platone à cauda ad caput traductæ, prima pro ultimis apponunt*: A quo *Plutarchi* loco putat *Mercurialis in Var. lib.* 4. poſſe colligi, ſupradictam mutationem ipſius Plutarchi diebus fuiſſe introductam: Et hic obiter obſervandum, poſſe explicari verba illa *frigidas menſas* pro primo apparatu menſæ, à *Macrobio*, *Antecœna* dicto; à *Petronio*, *Guſtatio*; à *Martiale*, *Guſtus*; & ab *Athenæo Proemium* nec novum videatur, edulia vocari menſas, dum advertit *Urſinus in append. Ciaccon.* ſæpe cibos ipſos vocari menſas; & ideo *Plutarchus* eleganter per frigidas menſas intellexit frigidos cibos; forma loquendi ad dies noſtros etiam derivata, cum multi hodie primas eſcas *Freddi* dicant. *Raderus*, Lactucæ uſum in principio cœnæ, tempore Domitiani cepiſſe voluit: *Ramirez* verò *ſuper Martialem* putat hunc uſum transferendi à fine ad principium cœnarum obſonia, invaluiſſe etiam temporibus *Senecæ*, ut ex ejus verbis in *Epiſtol.* 114. colligitur: *deinde ad cœnas lautitia transfertur, & illic commendatio ex novitate, & ſoliti ordinis commutatione captatur, ut ea, quæ claudere cœnam ſolent, prima ponantur, & quæ advenientibus dabantur, exeuntibus dentur*: quæ *Senecæ* verba conſonare videntur cum illis *Plutarchi*; imò *Horatius in Satyra de Epicureorum documentis*, ſuadet eos, qui largè

biberunt, ad comedendum potius ſquillas, & cochleas, quam Lactucas; hæc ſunt verba *Sat.* 4. *Lib.* 2.

Toſtis marcentem ſquillis recreabis, & Afra
Potorem cochlea; nam Lactuca innatat acri
Poſt vinum ſtomacho. . . . . . .

A quibus carminibus cum *Porphirione* concludendum, apud Veteres ultimis menſis lactucam dari ſolitam fuiſſe: ſed inde pariter conjectare cum Lambino poſſumus, introductum fortaſſe ob talem noxam fuiſſe uſum lactucas in primâ menſâ apponendi; eaſque comedendi ante alios cibos, ſive crudas ſive coctas: quod etiam confirmavit *Lipſius in lect. antiq.* ſequentibus verbis: *Horatii ætate lactucas in principium cœnæ diſcimus, fuiſſe ex convivio Naſcidieni, in quo ſtatim ponunt acria circum rapula, Lactucæ radices &c.* Conjicere ergo ex hactenus dictis poſſumus, non ſolùm tempore Trajani, ac Domitiani, ſed etiam Auguſti acetaria ex lactucis dediſſe cœnis exordium. Sed ut aliquid addam de lactuca, quatenus corporibus noſtris proficua, & medicinalis eſt, advertendum puto, hanc herbam multum refrigerantis habere, & ſomnum provocare, & vini fumoſitates retundere, adeoque *Dioniſius Uticenſis* ait, *Lactucam eſſe edulium ſitim extinguens, & ſomnificum*, & *Dioſcorides* - *refrigerare, ſomnum conciliare, alvum emollire*, & *Antonius Mizaldus in Hort. Medic.* hæc carmina regiſtrat.

Hortorum lactuca decus, quia friget, & humet.
Sæpe leves ſomnos conciliare ſolet.

Et eſt adeo efficax in hac virtute ſoporifica, ut *Conſtantinus in Agricultura*, docuerit, aliqua folia Lactucæ poſita ſub pulvinari ægrotantis eum quieti donare: imò citatus *Mizaldus* tradit Lactucas adverſus ebrietatem eſſe, ideoque *Ruffus Epheſius* eas vocavit ἀκραιπάλας, quòd crapulas arceant, & omnem capitis noxam à vino contractam excutiant; & hac de cauſa ea etiam antiqui utebantur in fine cœnarum: poſſet quoque dici,

lactu-

lactucam calorem venereum extinguere juxta authoritatem citati *Conſtantini*, qui dixit *coitum lactuca advertit*, *unde Pythagorici ipſam Eunuchum appellant*, quod quoque confirmant *Plinius*, *Athenæus*, *&* *Poeta* apud *Mizaldum*.

Semen Lactucæ Veneris ludribia tollit.

Idem confirmat *Dioſcorides*; & *Caſp. à Reies in Camp.*° *Elyſ. quæſt.* 44. ſcribit, *lactucam hominem ad coitum reddere impotentem*, *&* *Veneris Stimulos demulcere*; & *Clariſſ. Mangetus Biblioth. Pharmaceut.* ait, *decoctæ lactucæ coitum avertere dicuntur*. Aſt mihi permittat Dominatio tua Illuſtriſſima, ut modò aliquid proferam de miſcella tot ciborum cum acetariis apud Veteres; & ut aliquid de hac re veſtigium inveniam, capio *Ariſtotelem ad Nicomachum* dicentem, tempus eſſe inventorem, & adjutorem rerum, undè artes amplificatæ ſunt, ideoque facile eſt id, quod deeſt, addere; ex quo infertur primò Acetaria fuiſſe ex herbâ tantum oleo, & aceto, ut habetur ex *Pitiſco in lex.* *Acetaria dicuntur cibaria quæ ex aceto*, *oleoque guttatim inſtillato concinnamus*, *fiunt etiam ex radicibus herbarum* &c. inde additæ carnes conciſæ minutim, & alia; undè *Molza* cecinit

Ogn'arte nel principio, ogni ſcienza
Naſce imperfetta, e poi di giorno in giorno
Si vien da quella à maggior conoſcenza.
La prima coſa ſotto cui ſoggiorno
Menar legenti al fabricar poc' uſe
Dovea parere una caſaccia, un forno
Ma poiche l'ignoranza il tempo eſcluſe
Venne Vitruvio, e Monna Architettura
E le parti ordinar, ch'eran confuſe.
Queſt'eſempio vi và proprio à miſura
Perche al naſcer dich'io dell' inſalata
Ebbe ancor ella una cotal Sciagura
E fù prima col ſale accompagnata
Da chi ſi foſſe il trovator dabbene

E coſi l'inſalata fù nomata ;
Ma poi à lungo andar , come interviene
Che in un punto trovar non ſi può il tutto;
Entrardi migliorarla inferma ſpeme
Ne volle come pria mangiarla aſſiuto ,
Che l'aceto vi aggiunſe , e fù gran ſorte:
Al fin con l'olio ne cavò il conſtrutto.

Poſtea verò delectationem addidiſſe novas res certum eſt, ut ova, olivas, cappares, ſardam, & cætera, quæ ab Authoribus enumerantur, non excluſo garo; Atque hæc ſunt, quæ dicenda erant pro reſponſo Dominationi tuæ Illuſtriſſimæ. Hinc vale, & me amare perge.

DISSERTATIO V.

De Ceraſo, & Malo Armeniaco.

UT citò reſpondeam, & tibi morem geram accipe, Vir erudite id, quod mea tenuis Minerva exhibere valet.

Ego ſemper vocavi Ceraſum Principem fructuum, non ſolum, quia mihi ſummopere placet, ſed etiam quia juſtè talis titulus ipſi competere poteſt: nam *Plinius in lib.* 15. *cap.* 25. ſcribens de Ceraſis hæc habet *principatus debetur duracinis vocatis Plinianis*, à nobis vulgò dictis Duroni: audire quæſo nunc tibi placeat omnia verba ejuſdem *Plinii*. Ceraſorum *Aproniana maximè rubent, nigerrimæ ſunt actiæ, Cæciliana verò, & rotunda, Julianis gratus ſapor, ſed penè tantum ſub arbore ſua adeò tenera, ut guſtatum non tollerent Principatus duracinis, quæ Pliniana Campania appellat.* Poſſet immò dici ei competere principis nomen, quia eſt primus fructus, qui in anno ſolet apparere, ideòque ipſe *Plinius* ceraſa *Præcoces*: quapropter meruit Ceraſium ſequens elogium à *Sancto Hieronymo* factum, cum ſequentia ſcripſit Virgini Euſtochiæ: *Verùm ne videar dona minuiſſe, accepimus & caniſtrum ceraſis refertum talibus, & tali virginali verecundia*

rubenti-

rubentibus, *ut ea nunc a Lucullo delata exiſtimarim*; *ſiquidem hoc genus pomi*, *Ponto*, *&* *Armenia ſubjugatis dè Ceraſunta primus Romam pertulit*, *unde & de Patria arbor nomen accepit*: & id accidit juxta *Plinium* anno 680 poſt Romæ ædificationem, idemque confirmat *Iſidorus*, immo addit etiam prius Italiam hanc arborem habuiſſe, *ſed durum unde Cornus appellata fuit*: attamen ego puto hunc auctorem ſolemniter æquivocare, nam Cornus eſt ſpecies arboris ſpecialis, cujus fructus licèt maturus retinet ſemper aliquam aſperitatem; immo figura iſtius fructus eſt ſublonga ad inſtar Olivæ, ut ſcribunt etiam *Theophraſtus*, & *Dioſcorides*. Ceraſum autem eſt rotundum, & dulce præter lauroceraſum. Et hîc prætereundum non eſt illud, quod referente Athenæo ſcripſit Medicus quidam antiquiſſimus, qui floruit tempore Lyſimachi unius ex ſucceſſoribus Alexandri Magni, & fuit anno Mundi 3650. id eſt 120. annis poſt Hippocratem. Hic autem fuit *Diphilus Siphnius*, qui ſcripſit librum de Cibis Sanorum, & Ægrorum, accidit ergo, ſcribit *Athenæus*, ut quidam Laurentius dixerit nonnullis Græcis, vos gloriamini Lucullum poſt victos Mithridatem, & Tigranem à Ceraſuntæ Ponti Caſtro detuliſſe in Italiam Ceraſum: Sic ait Laurentius, cui reſpondit quidam nomine Daphes: *Verum illuſtrem Diphilum Siphnium*, *qui ſub Lyſimacho Rege uno ex Alexandri Succeſſoribus vixit multis annis Lucullo antiquiorem Ceraſorum meminiſſe his verbis*: *Ceraſa Stomacho grata ſunt*, *parum nutriunt*, *bonum ſuccum gignunt*, *cùm frigida ſumuntur placere Ventriculo*, *præferri cæteris Mileſia*, *& quæ magis rubent*, *quoniam movent lotium*: Ita ſcribit ille antiquiſſimus Medicus apud *Athenæum in lib. 2. cap. 9.* & ſcripſit ferè 300. annis ante Luculli victoriam. Igitur concludit *Antonius Mizaldus in Horto Medico*, quomodo ſalvari poſſunt illi, qui *Ceraſa a Ceraſunte Pontico Municipio dicta contendunt*, *& a Lucullo devicto Mithridate illinc in Italiam primum deportata*. Sed cur dico Ego, eſſe non poteſt Ceraſum in Græcia extitiſſe quidem, verum nemini cordi fuiſſe illud transferre in Italiam, ſed ſolum tempore Luculli a Ponto in Italiæ oras tranſportatum, & quantùm ad nomem id non dicitur à Plinio,

ſed ab aliis ſcriptoribus, qui excuſari poſſunt, dicendo Ceraſum uti nativum Ponti, & ſpeciatim à Ceraſunte nomen ab hoc accepiſſe, & ab eo loco primò in Græciam, mox in Italiam translatum, idem nomen conſervaviſſe, ita ut benè à S. Hieronymo, & Iſidoro ſit dictum, hunc fructum Ceraſum dictum fuiſſe a Ceraſunte, & ita concludere poſſumus verbis Celeberrimi *Mangeti in Bibl. Pharmaceut. lib.* 3. *Ceraſa dicta a Ceraſunte Pontico Municipio, unde Lucullus Romanorum Imperator Mithridate debellato, primum in Italiam arborem intulit, & fructum gentilitio nomine Ceraſium appellavit :* Et *Bruierinus* ait ſequentia verba, quæ clarius ad rem noſtram faciunt : *Ceraſis inditum eſt nomen a Ceraſunte Ponti Oppido, unde poſt devictos Mithridatem, & Tigranem a Lucullo in Italiam devecta; verùm Græcis ſcriptoribus ante Luculli victoriam Ceraſia cognita fuiſſe ſatis conſtat, cum Diphilius Siphnius multis ante ſæculis Lyſimacho ſcilicet regnante, qui unus ex Alexandri Macedoni ducibus fuit, de iis ſcripſerit.*

Sed Ceraſia linquamus, & ſermo nunc ſit de Malo Armeniaco, qui fructus odorem ſpirat ſuavem, unde *Plutarchus* ait *ſolo odore commendari.* Et cum Ceraſis verno tempore inter primos fructus habetur, ideòque *Dioſcorides* ait, *Romanis præcoqua dicuntur :* Et licèt præcocia differant a malis Armeniacis, & in ſubſtantia, & in bonitate; unde *Galenus* inquit *armeniacis præſtantiora, & ſtomacho magis accommodata*, & licèt à multis præcocia vocentur, nihilominus *utraque mala Armeniaca appellat Galenus*, & quia iſti fructus citò veniunt, ideo præcocium nomine inſigniuntur : Grammatici quippe docent nomen præcox illius rei dici, quæ immatura eſt, ſic apud *Ennium Poetam* dicitur præcox pugna, & Lucilius præcox fuga, quæ auctoritates afferuntur a *Nonnio*, ut oſtendat rem aliquam citô, & ante tempus factam, ut faciunt mala Armeniaca: Quamobrem *Conſtantinus in lib.* X. *ſuæ Agriculturæ* ait, *Armeniacum eſt præcocium*, licèt hoc nomen etiam a *Plinio* Perſicis tribuatur *in lib.* 15. *cap.* 12. dicens æſtate præcocia, & a *Dioſcoride* clarius : *Perſica ſtomacho accommodata ſunt, quæ verò in hoc genere minora ſunt, & armeniaca paſſim dicuntur*, a Romanis verò præcoqua prædictis Stomacho ma-

gis

gis accommodata: nec ideo ab ipſo Perſicis tollitur qualitas ſtomacho juvandi, communiter autem mala Armeniaca, & ſpecialiter præcocia in claſſe Perſicorum ponuntur, licèt ſint aliqui, qui dicunt præcocia magis grata Ventriculo eſſe, ita ut ſcribat *Julius Alexandrinus: impune veſcuntur ſani, nec minus ſanè ægri quoque interdum, ſi in tempore, & modicè*; & *Anton. Mizaldus* in Horto Medico *innocentiora vocavit* præcocia. Docent autem Grammatici comparativum ſupponere poſitivum, uti ſi cum Camillo Peregrino diceretur Hieruſalem liberatam Taſſi Poema, eſſe pulchrius Furioſi Areoſti noſtri, & ſi palmam pulchritudinis Taſſo concederetur, non tamen negaretur venuſtatem Orlandi prædicti Areoſti: igitur dicendo *Dioſcoridem ſtomacho magis accommodata præcocia*, per hoc non tollitur omnino Perſicis qualitas ſtomacho gratificandi, licèt mala Armeniaca, & præcocia libentius amplectantur, & hoc confirmatur verbis *Galeni*, qui ait mala Armeniaca ſuperare Perſica in bonitate, unde bonitate ea non privat; immo pro bonis etiam ipſa Perſica probat: idemque confirmare videtur *Petrus Creſcentius in lib. 5.* dum ait mala Armeniaca minus humidi habere, quam Perſica, & magis corroborare Ventriculum, cum ipſa mala Armeniaca ſunt matura: ſed dato etiam Perſica aliquo modo eſſe nocua, cum ipſis tamen antidotum gerunt in amaritudine ſui ſeminis, vel nuclei. Et hæc fuit opinio *Mizaldi*, *Perſica ſuo nucleo noxam expedire, quam eorum pulpa attulit*, & rationem etiam adducit dicens, *nec temerè, nam incidendi, detergendi, & aperiendi facultate pollet nucleus*, cui ſententiæ ſe ſubſcribit *Caſt. Durantes* dicendo nucleos Perſicorum manducatos tollere noxam fructuum. Aſt ubi linquo Vinum eorum Perſicorum proprium alexipharmacum, uti affirmant *Jul. Alexandrinus*, *Caſt. Durantes*, *Piſanellus*, *Mizaldus*, *Ludov. Nonnius*, & alii plures, ideòque in conviviorum deſcriptionibus factis à noſtro *Joh. Bapt. Roſetto* me legiſſe recordor in vino malvatico optimo Perſicas ſemper in menſas deferri.

DISSER-

DISSERTATIO VI.

De Mellis præſtantia, & ejus uſu apud Veteres.

JUre quidem & meritò *Varro lib. 3. Rer. Ruſtic.* Mel Diis dicatum ſcripſit, tanquam res ſacra, eo quia favi *veniunt in altaria*: hoc eſt: Mel in uſu erat ad Deorum cultum. Quapropter *Cælius Rhodiginus lib. 21. cap. 3.* inquit *Mel Diis, atque hominibus gratum eſt.* Enim verò cùm mel ſit Ros e Cœlo delapſus, & mira induſtria a muſarum avibus, hoc eſt, ab Apibus, coadunatus, a Gentilibus in ſacrificiis adhiberi meruit; & quidem non fortuitò ſed appoſitè coadunatus, cùm apud *Senecam Ep.* 84. quidam opinentur, *non faciendi mellis ſcientiam eſſe illis* (in Apibus) *ſed colligendi*: quod meo quidem judicio ſignificat; delapſo e cœlis melle, Apes ad illius meſſem faciendam deſignatas fore; unde opus illarum a *Nicandro in Alexipharm.* appellatur *Apum labor.* Clariùs verò *Plinius*, *Venit hoc ex aëre* inquit, & præcipuè diebus canicularibus: cujus teſtes ſunt ii, *qui matutino ſubdio fuere*, quibus veſtimenta illo liquore madent quaſi peruncta, capillique illorum molles ſunt, ac ſubacti, prout Sacrorum Canticorum ſponſo evenit: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Sed *Plinius* non tantummodò dixit *Mel ab Aëre provenire, & gigni*, addit etiam nobiliora, & ſplendidiora dictu, dum ait: *eſt cœli ſudor*; *ſive quædam ſiderum ſaliva*: quod & Ruſticis noſtratibus in proverbio eſt: *Manna de Cælo pluit.* & ideò in Ode illa antiqua, quæ incipit: *Cras amet, qui nunquam amavit*: & a Scaligero creditur *Catulli*, legitur

Humor ille, quem ſerenis
Aſtra rorant noctibus;

Quæ

* Extat Italicè in Tomo tertio libri *Raccolta d'Opuſcoli ſcientifici e filologici* Venezia appreſſo Chriſtophoro Zane 12. p. 487. hoc titulo *Ragionamento 1. del Dottor G. L. intorno all'eccellenza del Mele, e ſuo uſo appreſſo gli Antichi: Dedicato all'Ill. Sig. Ab.* GIROLAMO CO. LIONI.

Quæ verba ſimiliter ſonant in Ode Italica Clariſſimi noſtri *Baruffaldi* de laudibus Præcurſoris Chriſti.

Tal Virtute ha queſt'umore
In queſt'ore,
Che non l'ha maggior fra l'anno:
Qui 'ncomincia il dolce tempo,
Che per tempo
L'Api Ambroſia a ſuciar Vanno &c.

Fulgentius quoque poſt bellicos ſtrepitus urbem expetens fugienſque ſolis ardorem, recubans ſub tegmine arborum, multa cecinit carmina, inter quæ

Ubi guttas florulentæ
Mane rorant purpuræ,
Humor algens quem ſerenis
Aſtra ſudant noctibus.

Ita *Aldrovandus*, *Mel purgantis ſe aëris ſuccum* nuncupavit, & *Q. Serenus*, *Aërium Mel.* nec non *Laurentius in Amalth. liquor dulcis*, *ortus ex Vapore*, *admixta ſubtili exhalatione*: Hinc *Ettmullerus* inquit: *Mel continet gloriam roris*, *& extractum ſeu balſamum florum*, tanquam ſi ſal univerſale contineat.

Firmandum igitur eſt cum *Cornelio a Lapide in Cap.* 24. *Proverb.* *quod mel e Cœlo depluat*, *ſitque quaſi manna cœleſtis.* Unde *Joh. de Benedictis in not. ad Pindarum* ſcripſit mel ità appellari eo quia *Melle nihil eſt melius* Cabæus tamen Ferrarienſis, (S. I. decus, Urbiſque noſtræ) pro contraria ſententia ſtat, vultque mel de Cœlo non labi, ſed ipſummet eſſe florum ſuccum: Sic enim ille *in Meteor. lib.* 1. *Dico mel eſſe certorum florum ſuccum internum*, *& medullarem ab Apibus naturæ ingenio expreſſum.* Sed *Petrus Gaſſendus in Meteor.* conciliando opiniones vult Mel de Rore fieri, & de florum ſucco: *itaque*, inquit *cum dici hoc poſſit*; *& in ipſa florum centra inſtillari*, *& ex commixtione cum humore plantæ proprio*, *evadere mel.* Sed utinam mel, quale defluit primò, ad

nos nativa puritate perveniret! nam a tanta altitudine derivans, cùm ad nos pervenerit qui in ima valle ſumus, a terrenis vaporibus, a varia florum natura, & frondium depravatum, tandem in Ventre Apum *congeſtum*, illud evomunt, ut cum *Plinio*, & *Columella* loquar, qui *utrum vomant liquorem mellis perquirunt.* Nihilominus quale defluit ex apibus *magnam tamen cœleſtis naturæ voluptatem affert.* *Galenus* ſcribit (*de Aliment. facult.*) ſupra frondes Plantarum reperi Mel, ſed neque ſuccum, neque fructum, neque frondium partem eſſe: potiùs verò *ejuſdem cum rore generis eſt.* Quamobrem Ruſtici illorum temporum, quoties, frondes ultra modum hoc rore graveſcere notabant, hoc dicebant: *Jupiter Melle pluit*, prout apud Indos quandoque evenire notat; & paulo poſt repetit: *Indè conſtat naturam, ex qua Mel generatur, rori eſſe congenerem.* Hujuſmodi liquore aſperſerunt Dii labia Platonis infantis prout notat *Laërtius*; & *Bochartus in Hierozoico* id eveniſſe narrat Lucano, Pindaro, & D. Ambroſio. Cùm igitur e Cœlo originem ducat Mel, nihil mirum ſi Diis apprimè carum foret, & in ſacrificiis adhiberetur ab Antiquis Ethnicis: imò iſti in exordio anni mel offerebant, ut futuras felicitates portenderent. Ita *Lipenius de Strenis.* cap. 3. *Ut auſpicium Anni fauſtum, & quaſi mellifluum ominarentur; dulces Votorum teſſeras offerebant, caricas, palmas, charotides, mella, & alia id genus edulcoramenta*: Ita & Nymphis lac, & mulſum, imò purum Mel offerebatur in illis temporibus ignorantiæ quia Nymphæ floribus delectabantur. ut notat *Natalis de Comitibus in Mythologia*, & *Spondan. in Odyſſ.* & ideo *Virgilius* illas deſcribit tanquam florum collectrices. *Egl.* 2.

Huc ades, formoſe puer; tibi lilia plenis
Ecce ferunt Nymphæ calathis, tibi candida Nais
Pallentes Violas & ſumma Papavera carpens,
Narciſſum, & florem jungit bene olentis Aneti.

Orpheus pariter affirmat Nymphas floribus deditas, dum ait: *occultè in Vallibus habitantes, floribus abundantes.*

Quod veritati innixum autumo, nempè Mel Nymphis offerri

erri ſolitum, nam Meliſſa pulcherrima adoleſcentula, ut notat *Columella*, in Apem tranſmutata fuit, a Jove eo quia cùm eſſet una ex Nymphis Orcadis, in favos melle plenos occurrens, Nymphis largita fuit, atque ideo Græci Apes *meliſſeas* appellare auſi ſunt.

Cereri quoque & Baccho favis & lacte ſacrificabant Antiqui, monente *Roſino in Antiquit.*; & adſtruente *Virgilio Georg. l.* 1.

Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho.

Duo Numina ut interpretatur *Servius*, *intelligimus Liberi*, *& Cereris; ut ſenſus ſit, cui Cereri, & miti Baccho favos lacte dilue, id eſt era ſacrifiea, melle, & Vino permixtis. Nicander in Alexipharm.* confirmat, Cereri oblatum fuiſſe mel his verbis: *Cereri cellulis digeſtos favos præbuerunt.* Atque adeò mel Cereri placebat, ut illius Sacerdotes *Mellitas ſive Apes*, *antiqui appellarent.* ut notat *Porphyrius.*

Athenienſes prout refert *Alexander Dier. Genial.* Auroræ, Soli, Lunæ, ac Uraniæ, *non Vino, ſed Aqua melle diluta ſacrificabant*: quamvis *Philippus a Turre* advertat, Mel non habuiſſe locum in Sacrificiis Mithræ; dum ait: *nuſquam in ejus ſacris, & myſteriis mel exhibitum.*

Eumenidis Siciones ſacra faciendo, mulſum *pro libamentis* adhibuiſſe, refert *Pauſanias.* Hujuſmodi quoque Numinibus Sophocles advertit ſacram fuiſſe Aquam cum melle, ſeu ut alii volunt, *Melicratum* quod juxta *Iſidorum*, eſt *Vinum melle mixtum*, ſive *potio ex Aqua & melle.* Verùm hujus Tragici interpres advertit Poetam loco mellis Apem ipſam nominare, quæ Mel colligit. Euripides (Iphigen.) ob malè auguratum ſomnium ab ipſa Iphigenia factum, ait ſe fundere velle ſuper terram *poculum* mortuorum; quod poculum vitulino ſanguine plenum erat, vino, & melle; & ideò ſequitur inquiens: *& fontes ex montanis vitulis, & Bacchi vineam libationem, & fuſcarum opus apum, quæ ſunt ſacrificia pro mortuis.* Alia lectio hujus Tragœdi clariùs

Rr 2 hæc

hæc ingredientia explicat ſic: *Sanguinem montanæ Vitulæ Bacchique liquorem, flavarumque labores Apum:* priùs verò ſolius mellis meminerat dicendo: *& montanæ delicias ex floribus factas, flavæ Apis injiciam in tuum Rogum.* Quæ Euripidis loca funditus adſtruunt, Apes eſſe mellis collectrices, illud è floribus bibendo, atque ideò ait: *Flavarum labores Apum.*

Hinc *Ovidius* Bacchum Mellis authorem vult & propterea Melle Baccho ſacrificandum *l. 3. Faſt.*

Nomine ab Authoris ducunt libamina nomen,
Libaque, quod ſacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt ſuccis quia dulcibus idem
Gaudet, & a Baccho vina reperta ferunt.

Polidorus Virgilius tamen Ariſtæum Mellis inventorem aſſerit; quod confirmatur ab *Ottone Brunsfelſio in Onomaſt.* Imò *Juſtinus lib.* 44. & *Camerarius Hor. Succeſſ.* narrant, primum Mellis inventorem Regem fuiſſe Gargorem. his verbis. *Rex vetuſtiſſimus Gargoris, mellis colligendi uſum primus invenit:* ab aliis appellatur Gargonius, ut monet *Grævius in not. ad Juſtin.* in editione Batavâ A. 1683.

Ægyptii Veteres Mel cum ficubus comedebant diebus Mercurio ſacris, & Pluto ipſe Melle placabatur juxta *Silium Italicum* in Lib. 13.

Duc prædicta ſacris, duro placamina Diti.
Mella ſimul tecum, & puri fer dona Lyæi.

Verùm quod magis auget mellis excellentiam eſt *Porphyrii dictum*; Ait enim. *Deos melle tantummodò veſci ſolitos:* unde *Homerus* Mel *Nectar flavum* appellavit; ità quoque *Joh. Bapt. Marinus* Poeta Italus.

Schiera d'Api ſollecitæ diffuſe
Rugiada in lor di nettare dorato.

Et *Bapt. Mantuanus* Poeta latinus.

Cœleſtes

Cœleſtes adjunge favos, & nectareum mel.

Hinc *Athenæus* de Nectare componendo ſcribens *lib.* 2. ait *Vino, favis, & floribus qui benè olent.* *Plinius* aſſerit Mel æſtivo tempore poſt ſolſtitium compoſitum perraræ virtutis eſſe, & fortaſſe ex hoc Mel nectar appellatur.

Ità *Martialis l* 13.

Hoc tibi Theſæi populatrix miſit Hymeti
Pallados a Sylvis nobile nectar Apis.

Imò hoc ipſomet nectare ſe cibaſſe Deos ſignificat illud *Homeri*, dum in illo myſtico Antro Apes ad mellificandum ponit tanquam ſi (ut notat *Spondanus*) Dii melle veſcerentur cum Nymphis. *Antonius Liberalis* inſuper animadvertit in Antro Cretæ. Jovem ab Apibus nutritum fuiſſe, & ideò melle vivebat: hinc *Joh. Ruccellai* Florentinus *in Apibus ſuis* mirè cecinit

- - - - - - - - - Quando ſeguendo
Il ſuon canoro, e lo ſquillar del Rame
Dentro all' antro Dicteo gli dieron cibo,
E lo nudriron pargoletto infante
Di vital manna, e rugiadoſo humore.

In quo conſenſit etiam noſter *Lilius Gyraldus. Hiſt. Deor.* his verbis: *Melliſſeus Jupiter a Nympha nominatus, quæ ipſum Jovem melle aluiſſe dicta eſt.* & *Joh. Georgius Grævius ad Juſtinum* inquiens *Jupiter, Pater ille hominumque, Deumque, melle nutritus eſt.* Hinc *Petronius in Satyr.* inquit: *Apes dicuntur mel a Jove adferre.* Quinimò animadvertens cæteros quoque Deos Mellis ſatis avidos eſſe, Orpheus noctem dicit conſilium dediſſe Jovi ut melle Saturnum impleret adeo ut inebriaretur, dumque dormiret funibus vinceretur. Verba *Porphyrii* ſunt. *Cæterum apud Orpheum Melle Saturno a Jove inſidiæ ſtruuntur; nam melle repletus inebriatur, & quaſi ex vino, caligine offunditur, & obdormiſcit:* Verba verò quæ juxtà Orpheum, à Nocte dicuntur, talia, referuntur a *Porphyrio.*

Quem primus videas ſtratum ſub quercubus altis
Roſcido apum rore madidum, dulcique labore:
Stringe illum vinclis;

Et tali fraude vinctus caſtratur Saturnus.

Nec mirum eſt a melle exorbitanter poto homines, ut a vino, inebriari; nam ſcribit *Plutarchus*, Vino non adhuc invento: *Melle libabatur, & ebrietas parabatur.* Atque ideò narrat *Aldrovandus lib.* 1. *Inſect.* apud Sarmatas, & Moſcos talem ex melle fieri potionem, qua inebriantur. *Ex melle potus genus toti Sarmatiæ; viciniſque Moſcovitis familiare* (medonem vocant) *tam nobile, ut Primates ſolum bibant; tam vinoſum autem, ut non ipſomet minus vino inebriare feratur.* Atque ego memini me adnoſtaſſe, *in anno* 2. *Decur.* 3. *Miſcell. Curioſ.* Puellam quandam ebriam factam fuiſſe a nimio Mellis potu. Simile narrat *Maiol. Dier. Canicul.* de quadam mellis ſpecie, *quod ſanos reddit inſanos, quoniam & vino immodicè ſumto hoc contingit.* Hujuſmodi mellis meminit *Bizozerus* de Salamone loquens, dicit enim Trapezuntii gigni mel quoddam graveolens, & licet dulce ſit, attamen illicò ac guſtatur ebrietatem producit. Quapropter non mirum dictu ſi *Joh. Fridericus Gronovius Obſerv. l.* 2. *c.* 16. inquit: *Mel fervet ut muſtum.*

Nuper allegatus *Porphyrius* refert Proſerpinam mellitam nuncupatam fuiſſe, & Lunam *generationis præſidem Apem vocatam*, nec non Sacerdotes Cereris melliſſas ſive Apes ab Antiquis appellari ſolitas: pro cujus confirmatione, nempe Proſerpinam mellitam ſeu melleam appellatam fuiſſe, Author *Orig. Idololat.* Theocriti locum affert hujuſmodi. Nonnullæ mulieres ad ſolemnitatem Adonidis pergebant invicem blaterando; quidam Alienigena ægrè ferens earum loquacitatem illas hoc pacto objurgavit

Deſinite, o miſeræ, inutiliter garrientes,
Ut Turtures odioſè ſtrident ore diducto,
De omnibus loquentes &c.

Cui inter cæteras una reſpondit: *Non oriatur, o dulcis Proſerpina, qui nobis imperet.* Textus græcus non habet vocem *Proſerpina*

ſerpina: utique verò *Mellitides*, & hinc Scholiaſtes ait: *Melleam verò vocat Proſerpinam per antiphraſim.*

Sed ut ad Mel redeamus: dico mel non tantum Diis placuiſſe, ſed fuiſſe primum Hominum cibum, monente *Ezech. Spanhemio in Callimach. Mos veterum, recens natis Infantibus mel in os imponendi*, & ideo vix natis Infantibus præſtabatur. Eſaias C. 7. *Butyrum, & Mel comedet:* ad quæ *Cornel. a Lapide Porro mel non tantum eſſe cibum puerorum, ſed & ad ſanitatem tuendam docent Phyſici.* Hac de cauſa Vetus Eccleſia uſum habuit mel, & lac præbendi infantibus vix baptizatis, prout refert *Caſalius de Rit. Vet. Chriſt.* his verbis: *Ab initio naſcentis Eccleſiæ fuit conſuetudo dare Baptizatis lac, & mel.* quod & confirmat *Bochartus in Hierozoico: Indè eſt, quod in Baptiſmo, in quo fideles renaſcuntur, lac, & mel prægustandum dabant Veteres.* & *Tertullianus lib.* 1. *contra Marcionem: Mellis, & Lactis ſocietatem, quæ ſuos infantat:* cujus rei rationem affert *S. Ephraim Syrus Parenæſ.* 1. *ad Monachos* his verbis. *Mel enim abſque amaritudine eſt, lac autem malitiæ expers.* Aliam quoque rationem *Pier. Valerian l.* 26. *Hierogl.* aſſignat dum dicit & *quia moris erat infantes a lavacro ſuſceptos lactis, & mellis guſtu primùm imbuere, nonnulli hoc ad concordiæ ſignificationem factum autumant.* Quod & *Cauſinus* confirmavit in *Sapientia ſymbolica Ægypt. l.* 5. ſcribens: *Moris erat Infantes lavacro ſuſceptos lactis, & mellis guſtu primùm imbuere, quod ad concordiæ ſignificationem factum putat Tertullianus.* Hinc eſt quod (ut notat *Menochius Stromat. Cent.* 7. *cap.* 8c.) in actis S. Suſannæ Gabinii filiæ & S. Caii Papæ neptis legitur hunc S. Pontificem Baptizaſſe, & confirmaſſe Alexandrum, Curiam, & Prepedignam, atque lac, & Mel illis præbuiſſe.

Sponſos quoque apud Gentiles in Cœna Nuptiali comediſſe mel, & lac cum ſucco Papaveris, docet *Aldrovandus in lib.* 1. *de Inſectis.* inquiens. *In nuptiali Cœna papaveris ſuccum lacte, & melle dilutum exhibebant.* quem uſum ab *Ovidio* deſumpſiſſe credo 4. *Faſt.*

Nec pigeat tritum niveo cum lacte papaver
Sumere, & expreſſis mella liquata favis.
Cum primùm Cupido Venus eſt deducta marito:
Hoc bibit; ex illo tempore nupta fuit.

Super

Super quibus *Daniel Criſpinus in Ovidio ad uſum Delphini* ſcripſit. *Tritum Cocetum ſcilicet, ſeu liquorem ex lacte, melle, & papavere intrito, ad res venereas conferentem.* Hinc *Pitiſcius* de coceto loquens *in Lexico* ait: *Cocetum genus edulii ex melle, & papavere factum.*

Apud antiquos mel primum locum in menſa habebat, quia primum poculum potandum erat ex mulſo, hoc eſt, ex Vino melle mixto. *Mulſum igitur*, (ait *Laurentius in Polymat*) *anteludium Cœnæ habitum.* Et *Pitiſcus*, *A melle primas menſas auſpicari.* Enimverò apud latinos hac ſola voce *Mulſi*, Vinum cum melle mixtum habebatur. *Galenus* ut plurimum, mulſo addit Vinum, inquiens: *cum vino mulſo, aut cretico: cum cretico, & Vino mulſo. Iſidorus in Orig.* ita deſcribit mulſum: *Mulſum ex melle mixtum* & immediatè addit: *eſt enim potus ex aqua, & melle, quod Græci Melicraton vocant*: ſi poſtrema verba pro explicatione mulſi addita ſunt, fateor, non intelligo, eo quia mulſum erat Vinum cum melle, & de Melicrato *Dioſcorides* ait: *Melicratum Romani mulſam Aquam vocant. Columella* multiplicem modum melicrati componendi docet. Atque hîc obiter dico *Nicolaum Morſier in Etymologi o* docere melicratum eſſe materiam ſufficientem pro habenda conſecratione: *melicratum* (ſic ait) *eſt materia ſufficiens conſecrationis.* Sed quod mirum eſt, Iſidorus de Melicrate ſcribens, ait *eſſe melicratum Vinum melle mixtum*: nempe idem ac Aqua mulſa; prout etiam *Gorræus Aqua melle mixta*; nihil minus ac hydromel. Demùm in melicrate *Dioſcorides*, *Meſves*, *Matthiolus* unanimiter conſentiunt Vinum non habere locum; hinc *in Lexico Medico Brunoniano* legitur, *Hydromel dicitur aqua mulſa, aqua melle mixta; melicratum, Mulſum.* Hoc eſt vinum mellatum, quod nobilius erat ſi vino vetere, & auſtero cum optimo Melle componeretur; de quo *Dioſcorides. Primam bonitatis habet æſtimationem mulſum, quod ex vetere vino auſtero, probatiſſimoque melle fuerit confectum* quod etiam a *Plinio* confirmatur *l.* 22. *Semper mulſum ex vetere vino utiliſſimum, facillimeque cum melle incorporatur, quod in dulci nunquam evenit; ex auſtero factum non implet ſtomachum, neque ex decocto melle.* Cum quo concordant verba *Aldrovandi* dicentis: *ſit mulſum duabus partibus Vini*

veteris

veteris, *admixta una mellis*. Præter modum a *Dioſcoride* deſcriptum præparandi mulſi *primæ bonitatis* alii quoque remanent. Aliqui, ut citiùs illud conficiant, *mel cum vino decoquunt*: alii parſimoniæ cauſa, vindemiarum tempore, duplici muſti menſuræ unam mellis ſuperaddebant: ſed hæc fabrica, ſive hoc compoſitum potiùs *melitis* appellandum venit quàm mulſum, *Plinius* enim hoc a mulſo diſtare notat, quoniam melitis ex quinque partibus Muſti auſteri, & una mellis, cum modico ſale componitur. Pariter *Dioſcorides* diſtinctionem affert inter has duas potiones dum dicit: *Differt a mulſo, quod mulſum ex auſtero, & vetere vino, exiguoque melle conficitur: melitides verò in quinque auſteri muſti congio, mellis congio, & ſalis cyatho uno additis* &c. Vino auſtero utebantur Veteres, eo, quia monente *Plinio* cum vino dulci non miſcetur, neque incorporatur; tum quia etiam hæc fuit inſtitutio Ariſtæi Thracis mellis inventoris, & etiam mixtionis Vini Maronei cum melle, prout notat *Polydorus Virgilius*: hoc pacto ſuavitate fruebantur utriuſque naturæ, nempe auſteritatis, & dulcedinis immixtæ. Fuit igitur hoc Vinum mellitum prima potio, quam Veteres prægustabant, cujus rationem habemus ex *Dioſcoride*, & *Plinio*: ait ille: *facitque ſubinde cibi appetentiam* & alter, *appetendi quoque revocat aviditatem cibi*. Quare in initio Cœnæ mulſum jam paratum erat, ut de Cœna Trimalcionis notat *Petronius*: unde ſemper in cyathis ſejunctis parabatur Vinum, & Mel, monente *Lipſio Var. Lect. Ut conviva quiſque pro arbitrio id temperans, mulſum ſibi conficeret.* quod & a *Voverio in Petron.* notatur.

Animadvertendum tamen eſt, Vinum in quo mel miſcebant non valde generoſum fuiſſe, prout advertit *Horatius*, ubi Aufidium objurgans ait *Satyr.* 4. *lib.* 2.

Aufidius forti miſcebat mella Falerno
Mendoſe, quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo
Prolueris melius &c.

Quod ſi pro temperando Falerno multum valebat mel, cùm Vinum nimis auſterum eſſet, ut notat *Lambinus*, illa *Horatii* ejuſdem carmina adnotans *Sat. 2. lib. 2.*

Sperne cibum vilem, niſi Hymettia mella Falerno
Ne biberis diluta.

ad effectum mitigandæ tantæ aſperitatis. Quare non ad primam ſitim explendam in uſu fuiſſe credendum videtur, ſed potiùs convivio jam progrediente, prout accidit in Trimalcionis Cœna apud *Petronium*.

Quidquid verò ſit, evidens eſt Vinum mellatum primò potum fuiſſe, & ideo *Lipſius* notat Antiquos Antecœnæ nomen illi dediſſe *Promulſidis*. *Ideò videlicet, quod daretur ante mulſum, nam utique in conviviis, non temerè primam ſitim, niſi mulſo ſedabatur* & ad verba illa *Senecæ epiſt. dicitur mulſum popoſciſſe*, notat idem *Lipſius*: *hæc promulſis erat, & ſumebant ſub ipſam cœnam.* *Janus Douſa* quoque *in ſuis Præcidan.* nos monet *promulſidem* idem fuiſſe ac prægustatorium, & quamvis *Ulpianus Promulſidaria vaſa* deſcribat, nihilominus gloſſa nos admonet *Promulſidaria intelligi debere pro cibis qui in guſtu* &c. Quarè cùm *Petronius* dixiſſet: *allata eſt guſtatio valdè lauta*: ſequitur: *in promulſidari aſellus erat*, hoc eſt, *in guſtatione*. Cùm hac antecœnæ *Promulſidis* voce uſa fuit Quartilla illa meretrix, loquens de puero Gitone dicere volens Gitonem futurum eſſe pro ea tanquam acetarium, & famis ſtimulum pro lautiori cœna. Verùm ab inhoneſtis recedere fas eſt: hinc nihil de cœna Petroniana amplius movens, ad *Plinium* me confero *Ep.* 15. *l.* 1. qui de guſtatoria ſeu proemio cœnæ verba faciens, qua Septitium convivatus erat, de Mulſo loquitur. *Paratæ erant lactucæ ſingulæ, cochleæ ternæ, ova bina, alica cum mulſo, & nive.*

Unicum addam priuſquam ad alia properemus, nempe adeo in uſu apud omnes hujuſmodi potionem Vini mellati fuiſſe, ut a pauperibus tantummodò abhorreretur, neceſſitatis cauſſa. Aſſius apud *Varronem* Appium objurgat, qui de melle verba, nulla

facie-

faciebat, eo quia dum adoleſcens eſſet, domi ſuæ nulla potio ex mulſa fiebat *propter parſimoniam :* cui Appius reſpondit: *Verum dicis : tunc enim duos fratres, duaſque ſorores meas domi habebam, quarum una abſque dote Lucullo donata fuit : ſed vix hæres cognati mei evaſi, ut domi meæ mulſum adeo creverit ut penè quotidie in convivio omnibus darem mulſum.* Cùm igitur mulſum potio eſſet divitum ait *Martialis lib.* 13.

Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere dives;
Si tibi noluerit mittere dives; eme.

ex quo deducitur vinum paſſum eſſe vulgarem noſtram ſapam quæ

- - - - *Mulſum pauperis eſſe ſolet.*

Sed non tantum divites, & Magnates mulſo gaudebant, verùm etiam ipſi Imperatores : hinc Severus Alexander, monente *Lampridio*, ut e Balneo prodiens refocillaretur *mulſum lactis, & panis ſumebat, ova deinde, mulſum, atque his refectus prandium inibat.*

De Mulſo ſatis ſuperque huc uſque dictum eſt : præſtat ut ad mellis præſtantiam demonſtrandam, de ſecundis menſis ſermonem faciamus in quibus fructus diversè melle conditi præſtabantur; unde *mellita dulciaria* cum Menandro apud Athenæum ſeu *mellita cibaria* cum Phileta appellare poſſum. Pythagoras, docente *Porphyrio*, in hujus Philoſophi Vita, de ſolo melle vivebat: *quoad vitam pertinet, prandium quidem ejus favo, aut melle conſtabat.* quod & *Euſtathius in Iliad.* confirmat : *Sæpe ſolo melle erat contentus.* atque item *Laertius : Quidam eum ſolo melle, aut pane contentum fuiſſe.* Similiter & Athenæus : *Pythagoras ſolo melle contentus fuit.* & *Suidas Plerumque contentum fuiſſe tradunt ſolo melle aut pane.* Quod & commune fuit omnibus Pythagoræ ſectariis, ſi fides ſit *Ariſtoſſemo* adhibenda : *Pythagoricorum nutritum Panem cum melle fuiſſe* ſunt verba *Athenæi :* An Pollio hujuſmodi ſectarius foret penitus ignoro : hoc utique ſcio, hunc Philoſophum (cùm vixiſſet annos centum, & ultrà, magna omnium

Ss 2 admira-

admiratione, ut refert *Plinius l.* 22.) interrogatum fuiſſe ab Auguſto: *qua ratione maximè vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet*; reſpondiſſe: *intus mulſo*, *foris oleo*: quod idem eſt ac illud *Democriti*: *interiora melle*, *exteriora oleo*. Adeò ut impatiens vitæ, ut mortem accelerarct inter tot ſenectutis incommoda ſibi ipſi alimentum tam ſuave, & vitale imminuens. *Laërtius* narrat a Sorore hunc Philoſophum exoratum fuiſſe, ut poſt Cereris feſta mortem differret, ipſe ut ſorori obſequeretur, prope Lectulum ſuum vaſculum voluit apponi mellis plenum cujus potu vixit quoad uſque Cerealia feſta celebrarentur; quibus perſolutis Vas amoveri juſſit & placidè obdormivit: hæc omnia deſcribuntur clariùs a *Stephano de Nigris in tractatu de Luxu* his verbis. *Fama eſt Democritum* (*cùm ob ſenilem ætatem a vita decedere conſtituiſſet*, *ſibique in dies alimenta ſubtraheret*) *Sacris Cereris inſtantibus*, *a domeſticis rogatum mulieribus*, *ne in feſto mortem obiret*, *quo id poſſent celebrare*, *exoratum fuiſſe*, *& mellis hauſtu dies Deæ conſecratos pervixiſſe*. Enim verò mellis odor ex ſe ſuaviſſimus eſt ut ait *Barthius in Adverſar.* his verbis: *Sanè mellis odor inter præclariſſimos*, quod & innuit *Martial. L.* 5. *Ep.* 38.

Flagravit ore quod roſarium Pæſti,
Quod Atticarum prima mella cerarum.

Lycus, prout refert *Athenæus*, notat Cyrnenſes diu vivere, *quòd melle apud eos abundantiſſimo nunquam non utantur.* & inſuper Ariſtoſſemus addit: *Morbum nuſquam ſenſuros qui pranſuri eo cibo quotidie veſcantur.* & *Antonius le Grand. in Compend.* idem aſſerit dicendo, *ex aſſiduo mellis uſu multos vitæ acquirere diuturnitatem.* Imò *Cornel. a Lapide in Eſaiæ Cap.* 7. inquit: *Porrò mel non tantùm eſſe cibum puerorum*, *ſed ad ſanitatem tuendam*, *& ad longævitatem valere docent Phyſici*, *& experientia.* Quod ſi verum eſt; cæci ſunt noſtrates, qui tali documento non utuntur, ad longævam vitam impetrandam.

Inſuper Mel non tantùm pro cibo habetur, ſed in facultate medica multùm valet ad multos fugandos morbos. Hinc

Bochar-

Bochartus in Hierozoico ait : *Reges* , *& privati mel ad ſanitatem adhibent*. Sic *Plinius* quoque pro ulceribus optimum mel eſſe dicit, & nos Unguentum Melleum componimus quod in quibuſcunque Pharmacopoliis proſtat. Paralyticos juvat : pro tuſſi, paralyſi, & pro Alvi duritie, nec non ſerpentum Veneno multùm valet, ut notat *Aldrovandus*. *Galenus* quoque mel ſæpiùs proponit ad ſanandas varias corporis humani infirmitates. Vide *Braſavoli Indicem ad Galeni opera*. *Voſſius* pariter *l.* 4. *Idololatr.* mel exhibet pro morſu canis rabidi, & etiam femellæ pro exuſtione mel adhibent. *Q. Serenus Samonicus* Medicus, & Poeta, pro faucibus ardore æſtuantibus illud utile prædicat hoc verſiculo

Simplicibus lymphis confunditur aërium mel.

fauces quoque inflammatas juvat aqua cum melle mixta : quod a *D. Ambroſio* dictum credo tunc cùm de melle loquens *l.* 5. *Hexamer. cap.* 21. ſcripſit : *Nec ſolùm voluptati*, *ſed etiam ſaluti eſt* : *fauces obdulcat*, *& curat ulcera*. Ita *Martial. l.* 11. *Ep.* 87. pro tuſſi ſedanda melle utitur ſic.

Leniat ut fauces Medicus quas aſpera vexat
Aſſiduè tuſſis, *Partenopæe*, *tibi*;
Mella dari, *nucleoſque jubet*, *dulceſque Placentas.*

Memini quoque apud *Martinum del Rio Adag. Sacr.* me legiſſe hæc verba : *Mel oculorum vitia corrigere*, *& prodeſſe oculorum claritati*, *ſciunt Medici ex Galeni lib. de Med. ſimpl.* Præcipua verò, & ſpecifica virtus ad hoc Melli ineſt quando Mel ab Apibus componitur Iride in Cœlo apparente, prout teſtatur *Bizozerus in Prov. Salom.* *Voſſius* quoque de *Idololat. l.* 4. notat optimum eſſe mel Phthiſi laborantibus. *Mel contra pulmonis exulcerationem præſcribitur* quod & a *Joh. Hartmanno* confirmatur *in notis ad Valeſcum Tarentinum. Mel mundificat ulcera Pulmonis.*

Inſuper *Joh. Marinellus* in libro de *Mulierum ornamentis* ait, antiquos ex melle cocto, farinæ fabarum mixto, compoſito

Ss 3 unguen-

ungento ſanari impetigines. *Ambroſius Pareus* pariter docet, Inteſtinorum ulceribus valdè idoneum remedium Mel. Imò *Manutius in Adag.* notat Glaucum olim mellis ope ad novam vitam reſurrexiſſe: ejus verba ſunt, ſi benè memini, *Glaucus poto melle revixit*, & in proverbium tranſiit. Hinc *Salomon Proverb.* 24. hortatur ſic. *Comede, fili mi, mel, quia bonum eſt.* Demum inſervit Mel hominibus quoque poſt mortem ad arcendam putredinem, & corruptionem: *Plin. l.* 22. *Mellis quidem natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat*, quod a *Columella* confirmatur *lib.* 12. & a *Mercuriali Var. lect.* imò primus hoc dixerat Porphyrius in Nympharum Antro: *Mellis beneficio res incorruptæ permanent.* Et hujuſmodi incorruptibilitas a Melle cadaveribus tribuitur, eo quia, ſcribente *Macrobio*, *Mellis natura eſt arida.* De natura mellis ſcripſit *Jul. Alexandrinus. Viſum tamen per ſe longiſſimam ferre ætatem donec mutato temperamento amareſcat tandem; tunc quoque incorruptum, tanquam quod putrefactionem non ſentiat.* Cùm igitur putrefactioni non ſubjaceat, corporibus mortuis hanc incorruptibilitatem tribuit.

Voſſius de hac mirabili mellis qualitate rationem addere vult, inquiens, mel naturæ eſſe aëreæ, ſuæque viſcoſitatis vi calorem naturalem perſtringere, atque calorem extraneum repellere, ne temperiem ſolvat. Meliùs verò docet *Ettmullerus*, mel in ſe continere virtutem ſervandi Cadavera eo quia pretioſum ſal univerſale in ſe continet.

Hujus tam præclaræ virtutis in Melle inſitæ teſtes ſunt non pauci ſcriptores antiqui temporis. Regnante Claudio Imperatore Hippocentaurus ortus eſt in Ægypto, & eodem quo natus eſt die interiit. Melle intinctum illius cadaver Romam miſerunt, cujus rei teſtis de viſu *Plinius* eſt *l.* 7. *c.* 3. Mos inſuper erat Lacedæmonum ſcribente *Plutarcho*, ſi Reges extra ditionem ſuam decederent, ſpartam mittendi illius cadaver. Hoc accidit Ageſilao qui inter Cyrenen, & Ægyptum obiit. Spartani qui ad ejus mortem interfuere, *cera corpus perfuſum, cùm mel non eſſet, Lacedæmonem retulerunt.* Id etiam ab *Æmilio Probo* ſimiliter narratur. *Dyodorus Siculus* verò clarè dicit: *Corpus Ageſilai in melle*

Spar-

Spartam deportatum. Ob eundem religionis titulum erga Regum cadavera Spartanorum habemus a *Xenophonte*, in *Hiſtor. Græc.* quod mortuo Ageſipolo parùm extra Olinthum, *melle inde curatus domum relatus eſt, regiaque illi contigit ſepultura.* Et ſi fides habenda eſt *Statio* Poetæ. Alexander Magnus Alexandriæ Ægypti ab eo ædificatæ mortuus intra mel ſepultus extitit, atque ideo cecinit *Sylv. lib.* 3.

Duc & ad Æmathios manes, ubi belliger Urbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.

Ubi notandum venit illud verbum *durat.* ex quo ſignificandum venit Cadaver illud uſque ad ætatem Statii melle conditum incorruptum ſervatum fuiſſe; & nectaris titulo mel a Poëta condecorari. Ait inſuper *Nonnius* Democritum ſuaſiſſe, ut cadavera melle condirentur, his verbis. *Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcipit, ut comburerent, quàm Democritus, qui ut in melle ſervarent.* De utroque ſepeliendi modo locutus eſt Poëta *Lucretius lib.* 3.

- - - - - - *non invenio, qui non ſit acerbum*
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis,
Aut in melle ſitum ſuffocari, atque rigere.

quos verſus ſic eleganter Italicos fecit *Alexander Marchetti*.

. . . . . . *Jo non intendo il come*
Duro non ſia l'eſſer nel fuoco ardente
Arroſtite le membra, o ſoffocate
Nel mele, e per lo freddo intirizzite.

ad quæ Lucretii carmina notavit *Thomas Creecchius* Anglus: *Tres modos ſepulturæ tangit Poëta: qui comburebantur: qui terra obruebantur, & qui in lapideis arcis melle condiebantur.* Qui mos cadavera ſervandi in Melle, apud Babylones, & Syros antiquitùs in uſu fuit quod teſtatur Alexander J. C. Neapolitanus his verbis: *Babylonii, & Aſſirii mortuos in Melle ſervant*, & a *Donzellio in Theatr.* confir-

confirmatur; nec non ad D. *Dioniſio Areopagita* cujus verba ſunt. *Babylonii corpora mortua olim in melle ſepeliebant.* de quo uſu ſatis dixi *in Diſſertatione mea de Balſamatione Cadaverum.*

Notatu dignum id eſt quod olim cecinit *Coryppus* de Juſtino Auguſto minore Avi ſui parentalia agente

Thura Sabæa cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur.
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

Quare de hac mellis facultate ſervandi cadavera incorrupta ſcripſit Aldrovandus: *Ut hac ratione valeant Medici in uſu mellis eſſe audaciores, ubi præſertim corruptionibus occurrere, atque putredinem compeſcere neceſſarium eſt:* quæ verba integrè deſumpta fuerunt ex *Mercuriali Var. Lect. L.* 12. *c.* 24. Cujus condiendi cadavera conſuetudinis adhibito melle optimè etiam ſcripſit *Caſpar a Reies, in Camp. Elyſ. Quæſt.* 34. & *Thomaſinus de Donar.*, *Quenſtedius de Sepult. Vet. Kirchmann. de Fun. Rom.* & *Cornel. a Lapide* in *Eccleſiaſtico Cap.* 49. cujus verba ſunt. *Corpora defunctorum melle condiebant, ut manerent incorrupta.*

Sed non tantùm pro uſu, & commodo adhibebant Veteres hoc mel, ad varios etiam cruciatus infligendos parabatur ut notat *Anton. Gallon. de Martyrum cruciat.*: nam multi Chriſti Martyres ad ignominiam ligati detinebantur, melle delibuti, & muſcis ſic expoſiti.

Quid ultra? non tantùm melle utebantur Veteres, ſed illius nomen adhibebant ad aliquid ſignificandum ſuave. Ita Catullus ſæpè dixit: *Mellitus puer, melliti oculi, mellitus Paſſer.* ad quæ loca *Alexander Guarinus* Ferrarienſis *in not. ad Catull. Mellitos. Dulces a melle, & amatoriè hoc dictum, id eſt, jucundos*Ità pariter quidam Italus Poeta de labiis loquens

E con labbra mellate il fontè aſſaggia
Dell' amata Aretuſa.

Nec non noſter *Ludovicus Arioſtus.* in Comedia (*Negromante*) Act. 2.

Speran-

Speranza mia (ô parola melliflua !)

Pontanus quoque

Mellitam rapias jocoſa linguam

Augurellus

Suavio preſſo labellis molliter mellifluis.

Angellus Politianus.

Quas ore pulchra melleo fundis.

Marcellus.

Mellitis quoties oſcula dat pueris.

Plautus quoque in Caſſin.

Mea vita , mea mellilla , mea feſtivitas.

Tandem *Laurentius in Amalth. Melliloquus* , cui oratio dulcis mellis inſtar : hoc eſt qui mellea habet verba.

Supereſt ut aliquid dicamus de Mellatis Placentis ſeu apud Italos (*Torta*) & de aliis mellatis fructibus qui in ſecundis menſis ab Antiquis parabantur. De his mentionem facit *Athenæus* hoc nomine *Mellita cibaria* , *mellitæ placentæ.* & *lib.* 4. ſcripſit : *Cùm menſæ infertur Placenta* , *ſuperne mellis tantum additur* , *quantum eſt ſatis.* Hinc *Maro* quandam magnificentiſſimam Placentam deſcribens cujuſdam Athenienſis Oratoris , in ſecundis menſis , dixit nullum fructum deguſtaſſe , *ſatur enim recumbebat :* ſed ſuperveniente magna , & benè condita Placenta , totus expergefactus de illa ſumere ſtatuit portionem : inquiens

Ut autem vidi flavam dulciariam magnam orbiculatam
Cereris gnatam , aſſam introeuntem Placentam ,
Quo pacto a divina , inquam , Placenta , abſtinere queam ?
Non mihi ſi decem manus eſſent , non ſi ora decem ,
Non ſi Venter impenetrabilis , aut ferreum Cor.

Ad hujuſmodi Placentas componendas deſtinabantur antiquitùs quædam mulieres nuncupatæ *Domiurgæ ; Bellariorum* , *Placentarumque artifices* , Domiurgas majores apellavere de quibus *Menander.*

Coquo viciſſim domiurgas in officio reſpondet.

Paulò priùs dixerat citatus *Athenæus Domiurgas fœminas bellaria ; coquos autem obſoniorum præparationem.* Dalechampius in notis marginalibus hanc vocem , & hoc officium ſic declarat. *Fœmina bellariorum , & dulciariorum apparatrix.*

Quandoque etiam ab Hominibus hujuſmodi edulia parabantur ; hinc eſt , quod tunc cùm miſer Aſellus Apulei , duobus illis fratribus venundatus fuit , dixit Author. *At illorum alter Piſtor dulciarius , qui panes & mellita concinnabat edulia.* quod & dixit *Lucianus* in eadem Fabula : *cum iſto conſervus frater habitabat Piſtor , placentas melle conficiens.* Hodie hîc Ferrariæ appellantur *Ciambellari* & Venetiis *Scalettieri* qui primùm a *Laurentio Pignorio* (*de Servis cap.* 8.) nuncupantur *Placentarii. Varro* autem hujuſmodi edulia non multùm approbat , & *Beroaldus in Apuleium* de illis inquit : *quoniam dulcia , & ex melle compoſita non faciunt ad concoctionem :* fortaſſe propter diverſitatem , & copiam ingredientium , unde *Macrobius* (*l.* 2. *Saturn. c.* 4.) ait : *diverſorum ciborum diverſa natura eſt ; & ſunt qui celeriùs , qui tardius digeruntur.* Priùs verò *Plutarchus* dixerat : *Alimentum ſimplex uniuſcujuſque generis , facillimè a concoctione adficitur : multæ autem , & variæ qualitates invicem nonnihil contrariæ repugnando , ſe ſe mutuò abolent , neque conſentientem admittunt conſtitutionem , dum uniuſvis ſuapte natura alienis reluctans , coitionem reſpuit.* Atque ad hoc facit id quod narrat *Athenæus l.* 14. de quadam Placenta quæ in uſu erat apud priſcos Alexandrinos , quæque Placenta *Pancarpia* vocabatur , eratque *omnium ſeminum congeries* , ut notat *Dalechampius* , quo nomine pariter appellatæ fuerunt Coronæ ex omnium florum generibus compoſitæ. Hoc nomen hodiernis quoque Placentis omnibus applicari poteſt ob variarum rerum mixturam quibus componuntur , & ideò ſapienter inquit *Varro : Earum ſocietas concoctioni infida. Aſclepiades* opinatus fuit , *facilius concoqui cibos varios* , ſed *Celſus* illum mentiri facit , dum dicit : *neque verum eſt : eduntur autem facilius* (*l.* 3. *c.* 6.) ſignificare enim vult probus Magiſter , cibos varios de facili inglutiri , ſed difficiliter concoqui : & hinc faciliter oriuntur , morbi *quia errata primæ coctionis non emendantur in ſequentibus.* Quod & innuit *Plato in*

Rep. tunc cùm dixit : *ibi quidem intemperantium varietas parit morbum.* Aſt de hoc ſatis.

Redeamus ad Placentas, quarum una donabantur ii qui nocte integra vigilaſſent, ut meminit *Joſeph Laurentius in Polymat. l.* 2. ſcribens. *quod ſi quis pergræcando in auroram uſque vigilaſſet, nec ſomno correptus perduraſſet, Placenta larga donabatur.* Cujuſmodi erat fortaſſe illa ad quam devorandam currebant mulieres Præficæ poſt nocturnam vigiliam ad cuſtodiam defunctorum, prout habemus *in Diſſertatione de Præficis, noſtri Baruffaldi cap.* 13. *& jam lætabundæ ad domum defunctæ revertuntur ad mortuariam Placentam, pro mercede, vorandam,* quod & hodie in quibuſdam Italiæ Civitatibus fit. Ità in cunctis aliis nocturnis vigiliis apud antiquos fiebat : ut notat *Pitiſcus in Lexico : Nam placentæ ſemper pervigiliis conjunctæ fuere. Brujerinus* inſuper notat, antiquos Romanos in Cœnis Placentas ex melle ſaluberrimo & ſuaviſſimo apponere ſuetos fuiſſe : *Salubritatis cauſſa adjectum mel* : ut notat *Pitiſcus.*

Hujuſmodi dulces Placentas ſolebant Helvetii divites elargiri Pueris in exordio cujuſcumque anni, quod notat in libro *de Strenis, Martinus Lipenius : de ſuis Helvetiis tradit Hoſpinianus, quod pueris dulces Panes Strenæ loco tribuant, & placentas porrigant dulciarias.* Ita Lacedæmones quoque peragebant nuptiarum occaſione (*Meurs. Miſcell. lib.* 1. *c.* 12.) *In Nuptiis circumferebatur, cum encomium ſponſæ Virginis in choreis aſſeclæ puellæ cantaturæ eſſent.* De Placentis mellatis, & earum ſpeciebus diffusè ſcribit *Brujerinus de Re Cibaria l.* 6. *c.* 7. nec non *Cælius Rhodiginus*, Antiquæ Eruditionis Theſaurarius, qui omnes hoc adſtruunt, nempe in quibuſcunque ferè Placentis & Dulciariis quæ in ſecundis menſis apponebantur habuiſſe locum mel apud antiquos. En *Brujerini* verba : *Veteres in maximis deliciis mel habuerunt : quippe innumera eſcarum genera melle condiebant,* & *Aldrovandus : Melle Veteres in omni dulciario opere ſolebant uti : mellis enim condimento ſaporis gratiam palato parabant.* Imò una cum fructibus ipſoſmet favos mellis apponebant, prout *Ovidius* refert *in Metamorphos.*

Hic nux, hic mixta eſt rugoſis carica palmis,
Prunaque, & in patulis redolentia mala caniſtris,
Et de purpureis collectæ Vitibus Uvæ.
Candidus in medio Favus eſt ſuper omnia &c.

Ita quoque *Gulielmus Budæus de Aſſe l.* 4. *Mellita dulciora fercula intelligo, quæ ultimis menſis apponuntur.*

De quadam Placenta quam Græci in os defunctorum ad placandum, ſic dicebant Cerberum canem in trajectu Averni ponebant, meminit *Joh. Nicolaus* (*de Luct. Græc. c.* 4.) his verbis: *Græci itaque Placentam mellitam mortui ori ſtatim impoſuerunt, quam objicerent latranti Cerbero.* Quare *Porphyrius in Nympharum antro* inquit: *Mortis quoque ſymbolum Mel fecerunt.* Tandem huic Diſſertationi cum *Varrone* finem ponamus qui cum eodem *Varrone* eidem initium dedimus: *Mel ad principia convivii, & in ſecundam menſam adminiſtrari.*

DISSERTATIO VII.

De Longa Inedia.

POſtulas an veriſimile ſit, quod *Dantes Aligherius in Infern. cant.* 33. narrat de Hugolino, & filiis in carcere, dira fame necatis, quorum unus ſine cibo uſque ad quintum diem vitam traxit, alii uſque ad ſextum: Hugolinus verò in carcere Piſano ſine cibo, ac potu uſque ad decimum diem vitam duxit; poſtmodum mortuus eſt, fame necatus; undè petis: an ſine cibo, & potu homo tandiu vivere poſſit. Ad quod affirmativè reſpondeo, nam exemplis de longa Inedia, ſine vitæ diſcrimine, plena ſunt Medicorum volumina. Triplex autem eſt abſtinentia, Miraculoſa nempè, vel ſupernaturalis; alia naturalis; tertia demum Dæmoniaca, vel potius, ut ait *Cardoſius*, Nugatoria. De prima legitur in Sacra Pagina de Elia Propheta, qui virtute bucellæ ab Angelo traditæ 40. diebus ab omni cibo abſtinuit:

&

& talis fuit illa Moyſis, qui toto tempore ſuæ moræ in Monte Sinai jejunavit. Abſtinentia nugatoria ea eſt, qua plures ſe fingunt abſtinentes, ut ſanctitatem ſimulent. Tertia denique, de qua tu quæris, eſt naturalis, & illa eſt, qua naturaliter, aut ex aliqua vi morbi homo poteſt quibuſdam diebus ſine cibo, & potu vivere: undè *Hippocrates* hominis vitam ſeptem dierum eſſe, ipſumque in abſtinentia vivere poſſe uſque ad ſeptimum diem aſſeruit; idemque *Plinius*, & *Macrobius* confirmant. Sic de Moniali hyſterica refert *Benivenius* jejunante uſque ad X. dies. Ego Inediam novem dierum in Muliere curioſam notavi in *Miſcell. Curioſis Dec.* 2. *ann.* 9. *obſ.* 51. Non tantùm igitur ſeptem dierum ſpatio poteſt homo vivere ſine cibo, & potu, ut ait *Hippocrates*, ſed majori. Sic *Cardanus de ſubtil.* refert, Juvenem quendam Scotum undecim diebus in cuſtodia ſine cibo detentum vixiſſe. *Braſavolus* noſter *de rat. Vict. in acut.* ait, Ægrotos plures præ manibus habuiſſe, qui nihil penitus accipientes, ſine cibo, & potu ad 14. diem pervenere, & ex his pleroſque convaluiſſe. *Horatius Augenius* de ruſtica muliere narrat, quæ ſine alimento vixit uſque ad vigeſimam diem; immo *Rondeletius de Piſcib. lib.* 1. meminit de puella in Gallia Narbonenſi, quæ tribus annis vitam duxit incolumem ſine cibo, potuque; quarum mirabilium abſtinentiarum à cibo, & potu cauſam quærentes multi Doctores, varia ſcripſere. Multi enim cum *Argenterio* dixerunt, vitam in jejunantibus ſupradictis ab aëre inſpirato traduci: cum noſtra natura è triplici conſtet ſubſtantia, aërea, humida, & ſolida; aer reparat ſubſtantiam ſpiritualem aëream, quæ diſſipatur; potus humidam; alimentum ſolidam; & Corpus humanum triplici hac materia eget ad reſtaurationem, niſi morbi, vi quadam, calor perinde debilitatus fuerit, ut ſolum aeream ſubſtantiam diſſolvere poſſit; tunc enim ſolo aere vivitur, qui ſimplex non eſt, ſed ex aliis elementis compoſitus, & propterea non ineptus ad levem nutritionem. Conſimilem ferè ſententiam tenet noſter *Manardus*, dicens, nutritionem in ſummis jejuniis à vaporibus, & exhalationibus aerem obſidentibus, haberi: cùm enim ex terra, & aqua ſemper exhalatio-

nes aſcendant humidæ, & vaporoſæ; hinc inſpirato aëre ex illis nutrimur, quia iſtæ exhalationes per aera vagantur, & cum aere inſpiratæ miti cordis calore in ſanguinem commutantur: Vapores iſti, atque exhalationes vertuntur in rorem, quo cicadæ nutriuntur; undè *Virgilius.*

Dumque thymo paſcuntur apes, dum rore cicadæ.

Iſtæ autem rationes parum æſtimantur à *Cardoſio*, quia alimentum debet eſſe ſimile corpori nutriendo, & non oportet tantum reficere ſpiritus in corporis nutritione, ſed humores, & ſolidas partes: Hinc cùm ſolus ſanguis ſit alimentum commune corporis, & cùm aër, nec exhalationes mutari in ſanguinem nequeant, neque corpus nutrire non poterunt. Ulterius ex iis nutrimur, ex quibus conſtamus, ut docet *Ariſtoteles de gener. lib.* 2. ſed nos conflati non ſumus ex aëre, nec ex aqua: ex aere propterea nutriri non poſſumus. Præterea alimentum à calore nativo debet incraſſari, ſed aer ope caloris attenuatur, & rarefit, igitur aër non poterit verti in corporis nutrimentum. Ad illud verò, quod dicunt Chamæleontem verè aëre nutriri: reſpondeo, hoc falſum eſſe, quia ut obſervavit *Scaliger* linguam habet hoc animal muco oblitam, qua muſcas, aliaque inſecta rapit, & illis veſcitur; ut ex illius anatome apparuit: in ejus enim Ventriculo viſæ fuerunt formicæ, locuſtæ, & alia inſecta. Hanc veritatem, & *Laurentius Bellini*, & *Antonius Valliſnerius*, aliique recentes Philoſophi illuſtrarunt irrefragabilibus experimentis. Sunt & alii juxta *Jonſtonum* qui aiunt, Chamæleontem obverſum ad ſolem haurire radios, eoſque hiantem ſequi, & ex illis nutriri; verùm & hoc falſum eſt, quidquid enim non eſt ens reale, nutrire non poteſt, nutritio enim conſiſtit in appoſitione ſubſtantiæ ad aliud corpus; ideoque nec radii, cùm juxta *Voigtium* entià realia non ſint, nutrire poſſunt.

Dicunt autem alii radios non tantùm pro entibus realibus haberi, ſed etiam pro ſubſtantiis mediis inter ſpiritualem, & corpoream; quam tamen opinionem refutavit *Sperlingius in Inſtit.*

ſtit. Phyſ. Notant nonnulli, glires, muſcas, ſerpentes, cochleas, aliaque animalia tota hyeme latitare, dormire, nec ullo alio alimento, quam aëre uti, ad quod reſpondetur, eſſe magnam differentiam abſtinentiam à cibo, & nutritionem ab aëre, primam enim concedo edoctus ab hiſtoriis ſupra allatis, ſecundam adhuc ſub judice pendere indeciſam ſcio. *Mercurialis in Var. Lect.* putavit cauſam longæ abſtinentiæ eſſe conſtrictionem pororum cutis, undè data occluſione, impeditur corporis effluxus: Si enim, inquit ille, à corpore noſtro nihil efflueret, nos nullo egeremus alimento, cum ejus, & nutritionis neceſſitas ſit, ut reſarciatur ſubſtantia deperdita, cum enim corpora nihil diſperdunt, etiam nullo indigent alimento.

DISSERTATIO VIII.

De Antiquo Uſu Foculi Menſarii, & Canum Cuſtodia.

SErus reſpondeo, Vir Eruditiſſime, variis preſſus negotiis; attamen accipe id, quod ſentio de Uſu Foculi Menſarii ad eſcas calefaciendas, & de Cuſtodia domus facta, ut hodie, a Canibus temporibus antiquis; Quamobrem ſemper cogitavi, antiquos ſemper curaviſſe comedere calidiſſima Cibaria, ita ut illos uſos fuiſſe inſtrumentis ad calefacienda fercula ſuper menſas quoque, ne forte frigerent obſonia, quæ inſtrumenta hodie vulgò dicuntur *Scaldavivande*; hinc *Seneca* conſiderans, velut nocuum ſuo tempore calorem nimium in cibis ait in *Epiſt.* 95: *quid illa purulenta, & quæ tantum non ab ipſo igne in os transferuntur judicas ſine noxa in ipſis viſceribus extingui*, & quia in ipſo itinere à Coquina ad Menſam cibaria calorem non amitterent, veteres Pyraunum invenere, quod in menſam ipſam afferebant cum patinis ipſis, & teſtis ſit ipſe *Seneca*, dum in Epiſt. 78. deplorat ſui temporis luxum; *circa cœnationem tumultus Coquorum, ipſos cum obſoniis focos transferentium, hoc enim jam luxuria commen-*

ta eſt, *ne quis intepeſcat cibus*, *ne quid palato jam calloſo parum ferveat cœnam culina proſequitur*; & licet ipſe loquatur tanquam ſi tempore ſuo hic uſus eſſet inventus; mihi tamen videtur, uſum Pyrophori antiquiorem exiſtere, & multo ante Senecam extitiſſe; apud *Ariſtophanem* enim in *Comœdia Acamen.* Ita legitur *famuli afferte huc illicet foculum mihi*; *Caſaubonus ſup. Athenæum* ſcribit. *Heu famuli ex ædibus huc afferte foculum*, *&* *flabellum*, & de hoc uſu etiam meminit *Petronius Arbiter in Trimalcionis cœna ſupra craticulam tomacula ferventia argenteam poſita*; ſed redeamus ad *Senecam*, qui in *Quæſt. natur. lib.* 4. hæc habet verba *ardentes boletos*, *&* *raptim condimento ſuo verſatos demittunt pene fumantes*; & *Plautus in Captiv. Act.* 4. *Scen.* 2. *Atque epulas foveri foculis ferventibus.*

Et hîc rogo te, Illuſtrime Domine, ut nonnulla mihi permittas; circa majorem hujus loci intelligentiam; invenio enim diſcrepantiam inter Plauti interpretes. *Petrus Valla* dicit foculi vaſa culinaria ſunt quæ foco admoventur; *Lambinus* intelligit pro foculis fercula ipſa, adducens autoritatem Nonnii, qui ait *focula dicta ſunt nutrimenta*, unde ipſe *Plautus in Perſa Act.* 1. *Scen.* 3. habet.

Jam intus ventris fumant focula,

Et ego nuperrime legi in 40. *Lib. Adverſar. Barthii*; *foculum* ſignificare eſcam ipſam, & ignis nutrimentum; *ignis* ſunt ejus verba, ipſa *flamma eſt*; *focus vero nutrimentum ignis eſt. Lambinus* etiam vult legi debere non *foculis* ſed *coculis*, *nam ſunt vaſcula ad coquendum apta*; ego tamen lectis iſtis variis opinionibus, dico textus Plauti claros eſſe, & apertos, & de Foculo Menſario, ſeu de Pyrauno intelligendos eſſe; Quare *Alexius* apud Athenæum inſcripſit unam ex ſuis Fabulis *Pyrrannus*, id eſt, ut ait *Dalechampius foculus*, *quo pruna ardens fertur*, & *Turnebus in Adverſar. lib.* 7. ſcribit *foculus eſt*, *in quo ignis accenditur*, *ut cibus coquatur*, & clarius pro nobis notat *Pitiſcus* in *Lexico*, *Foculis in menſam cum obſoniis inferrebatur*, *ne quid intepeſceret*, *&* *fuit inter vaſa coquinaria*; & circa hunc uſum comedendi calida cibaria ab antiquis mirabilis mihi videtur locus *Juvenalis* in 3. Satyra.

Nonne

Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo
Centum convivæ, ſequitur ſua quemque culina:
Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res
Impoſitas capiti, quot recto vertice portat
Servulus infelix, & curſu ventilat ignem.

Et paulo poſt in Satyra eadem

Et bucca foculum excitat.

Adeoque clariſſime *Joh. Laurentius in Polymat. lib.* 1. meminit Pyrophori dicens *de foculo menſario nullus dubii locus, quin eo priſci uſi ad fercula calefacienda.* Sed redeamus ad locum *Juvenalis* citatum, & apponamus hic Italicam explicationem *Com. Camilli Sylveſtri*, qui vivere deſiit anno 1719. magno literarum damno, ecce ſua verba. „ Fù coſtume de Sig^ri^. grandi, e doviziofi di „ Roma di trattenere ſeco a cena i loro clienti, che andavano la „ mattina à dare ad eſſi il ſaluto à caſa, e doppo averli corteggiati „ per la Città gli accompagnavano finalmente all' abitazione; „ Queſta Cena ſi oſſerva appreſſo gli antichi Scrittori Chiamata „ *Cœna recta*, come piace à Wolfgango Lazio al lib. 3. Nerone „ proibi tali cene, onde in cambio fù introdotto il diſpenſare a „ clienti dentro a Sportelle varie ſorti di cibi, che ſi mangia- „ vano cotti, come ricavaſi dalla prima, e terza ſatira; & ita mihi videtur probaviſſe auctoritatibus antiquis diligentiam, qua Veteres utebantur in conſervandis ferculis calidis Foculorum Menſariorum medio; quod ſi Dominatio Veſtra Illuſtriſſima, quærat exempla, erit illud Athenæi lib. 1. cujuſdam Philoxeni amantiſſimi caloris ciborum, ut in ferventi balneo non ſolum manus, ſed os ipſum aſſuerit, ad hoc, ne ab obſoniis ferventibus læderetur; imo ipſe *Athenæus* refert ſequentia carmina Corbili Comici Vetuſtiſſimi, quæ valde ad rem noſtram faciunt.

Ad iſta quæ calent ſummopere
Dextri ſunt habileſque mei digiti
Mihi volupe eſt guttur Salſamentorum
Pulpis accendere.
Caminus ſum non homo.

Attamen alii etiam fuere, qui non tam ferventia edulia volebant, & ipſe Athenæus ſit teſtis,

A. *Calidioribus gaudes ſemper obſoniis*
Quam vel modico calentibus, vel etiam minus.
B. *Quamque minus? here quid ais quo quæſo id*
Puto? Ædepol. hic homo vivere non didicit
Frigida, Tibi ne appoſiturus ſum omnia.
A. *Neutiquam* B. *Fervida ne?* A. *Apollo*
Nihil ne medium ſcilicet eſt? B. *eorum*
Qui noſtram artem profitentur aliud id
Nullus facit; A. *Sic cenſeo, ſed non aliud*
Quidquam eorum, quæ nunc facis. B. *Quid ita*
Dicam Convivis futuris; oportunum tempus
Præſtituo juſtæ contemperationis.

Et ipſe Poeta in Fabula, cui titulus *Lebes* ita canit

Verum cum appones frigidæ, ut ſint, obſervato;
Sic enim vapor naribus non aſſiliet, eo
Pacto ſi manducabis, ut par eſt; multo ſane
Id jucundius comedes;

Nolebat enim ille primus Dominus calidas nimis, & frigidas dapes, ſed moderatas; ab his igitur bene colligis, Eruditiſſ. Vir., uſum antiquorum aſumendi calidas eſcas, & deferendi ad menſam Pyraunum; ſed non tantum edulia calida in uſu fuerant apud Veteres, ſed etiam ipſas potiones, uti ego oſtendi in meo ſermone impreſſo in *Diar. Literat. Italiæ n°. 32. pag. 445.* imo quantum profit calide bibere ipſum vinum oſtendit olim Joh. Coſtæus, & nuper docuere Domini *Davinus*, *Muratorius*, ac *Valliſnerius*, omnes doctiſſimi Viri omni eruditionum genere inſtructi.

Tranſeamus modo ad domus cuſtodiam a canibus factam penes antiquos; circa quod primo eſt valde notabile apud ſcriptores illud celebre dictum *Cave Canem* quod ad januas depictum ſtabat; licet aliqui ſint, qui putant pictos eſſe ſolummodo in pariete Canes, eodem modo, quo apud *Homerum* ſtabant ad

januam

januam Palatii Magnifici Alcinoi canes aurei, & argentei, ſic *in Odyſſea lib.* 7. habetur.

Aurei autem utrinque, & argentei Canes erant.

Ad inſtar quorum, obſervantur hodie duo Leones marmorei ſtantes ante januam magnificam Palatii, in quo habitat Nobiliſſ. Dn. *Marchio Scipio Sacrati Gyraldi* Eques omni laude digniſſimus, Ferrarienſium Nobilium decus, ac noſtræ Urbis inſigne ornamentum, ſed redeamus in viam, & memento quæſo, Vir Erudite, Trimalcionem apud *Petronium* pictum voluiſſe Canem, cum epigraphe *Cave Canem*, ut arceret ab ingreſſu convivas ob timorem hoc joco excitatum, & de hac re *Turnebus* ſic ait, cùm inquit, *eo die convivium præbere deberem, ut ab aditu mearum ædium deterrerem qui ad condictum venturi erant inſcribi juſſi januæ Cave Canem, ne quis ingrederetur*; & non ſolùm ad januas depicti erant canes, ſed vivi etiam ad oſtium ſtabant, velut in excubias, & in ſtatione ut temporis noſtris habetur; & hunc uſum Canis oſtiarii a Græcis ad Latinos migraſſe crediderim, ita *Artemidorus de Somniis* ſic ait *Alii ad poſſeſſionum cuſtodiam habentur, quos cuſtodes domus, & vinctos appellamus, & paulo poſt legitur, Cuſtodes domus Canes*; notandum illud verbum vinctos ſignificare *canum catenam*; hinc *Ariſtoteles Ethic. lib.* 7. ſcripſit, ut canes, qui priuſquam attenderint, utrum ſit amicus necne ſi quis modo fores pulſaverit, aut ſtrepitum aliquem ediderit, latrant; huic addamus *Theophraſtum*, qui ſic dicit, *Vocato etiam cane, & ejus roſtro manu prehenſo, hic inquit & agrum, & domum, quique in ea ſunt omnes cuſtodit*; Nunc a Græcis tranſeamus ad Romanos, undè *Seneca in lib.* 6. *Controver* ait: *Si canem ad oſtium alligaſſes*, & in *lib. de ira iraſceris ergo catenario cani, & hic cùm multum latravit objecto cibo manſueſcit*, & *Suetonius relegato pro foribus Cane*; Sic *Tibullus* cecinit

Et cœpit cuſtos liminis eſſe Canis

Et Horatius lib. 3. *Od.* 16.

Et vigilum Canum
Triſtes excubiæ &c.

Et *S. Petrus Chryſologus*, *Canis dormientibus dominis nocte*, *&* *cuſtos*, *& pervigil prodit extraneum*, *turbat furem*, *occurrit latroni.* De hac autem re plura, Domine Illuſtris, habebis *in Lib. de Januis Gaſp. Sagittarii*, cui te remitto; & hæc ſufficiant ad oſtendendum, uſum canis oſtiari apud Veteres, quæ mihi occurrebant ad tua Quæſita mihi in tuis Literis facta, in quibus, ſi quid fortaſſe te offenderit, ætati, ac valetudini meæ veniam dato; Hæc enim me in reſpondendo fecerunt tardiorem. Vale, & me amare perge, ſum enim, ac ſemper ero tui amantiſſimus; iterum Vale ad Neſtoris annos Vir Illuſtris, ac Erudite.

DISSERTATIO IX.

Locus Petronii Arbitri perpenſus.

LIcet te nunquam de vultu noverim, nec hactenus ulla tecum mihi interceſſerit amicitia, gratæ tamen mihi fuere tuæ literæ, ex illis enim optimè novi quantum doctrina valeas, tuamque erga me propenſionem, ac amicitiæ meæ deſiderium; nam in hac, quam vivimus vita, amicis nihil dulcius; à doctis verò, & optimis Viris amari jucundiſſimum. Amorem tuum obedientia rependo: Hæc, quæ horis ſubciſivis exaravi, ut nutibus tuis obtemperarem æquo animo lege. Petiiſti quorumdam *Petronii Arbitri* verborum explicationem, quæ talia ſunt.

Accipimus nos cochlearia non minus ſex libras pendentia, ovaque ex farinâ pingui figuratâ pertundimus &c. Super quo, ita ego. Poſtquam Trimalcio juſſerat in menſam deferri Gallinam ligneam alis dilatatis, atque expanſis, tanquam ova incubaret, & cum duo famuli è Gallinæ ſinu ova ſeligerent, ea convivis diſpenſavere, tunc Trimalcio feſtivè dixit amicis convivis, ego talia ova Pavonis ſub hac Gallina diſpoſui, & timeo ne in eis pullus ſit exortus: experiamur itaque, an ebibi poſſint, & abſor-

beri,

beri, quo audito convivæ, ut textus ait, acceperunt cochlearia non minus ſex libras pendentia, & ita legunt meliores editiones Batavæ. Ego autem impoſſibile puto, illa cochlearia ſex librarum pondus æquaſſe, nam ſic potius culinaria inſtrumenta ad hauriendam aquam fuiſſent, quam parva cochlearia ad aſſumendum vitellum ovi parata, quibus in tricliniis utuntur: & temporibus noſtris cochleare magnum, quo utitur Architriclinius, ſeu Creodæta ad diſtribuendam ſuam portionem cuilibet convivæ, licet ſit amplius, ac majus ordinariis cochlearibus, attamen ejus pondus erit unius libræ: & hîc notandum *Plinium* de quadam ſuperſtitione meminiſſe *in lib.* 28. *cap.* 2. nimirum, ut à faſcino quis fieret immunis, ſtatim ac ovum erat aſſumptum debere frangi teſtam: ſic ipſe ſcribit, *pertinet ovorum quæ protinus frangi, aut eoſdem cochlearibus perforari*, & ita captæ erant ab hac opinione mulieres, ut *Jan. Douſa. in Petron* ait, *poſt ovorum exſorbitionem teſtas eorundem pertuſum ire, protinus imò verò fruſtulatim comminuere*, & Clariſſ. *Pitiſcus* in ſuo *Lexico* ſcripſit, *ſolent autem calyces ovorum pertundere cochlearibus ad advertendum maleficium eorum, qui perforandis his alios ſe lædere poſſe exiſtimabant*: At quomodò cochleare ponderis ſex librarum poterat ingredi capacitatem ovi: addamus auctoritatem *Martial lib.* 8. *Epig.* 33. quæ talis eſt

Quid tibi cum phiala, ligulam cum mittere poſſes
Mittere cum poſſes, vel cochleare mihi.
Magna nimis loquimur, cochleam cum mittere poſſes
Denique cum poſſis mittere, Paule, nihil.

Ex quo videtur pulcherrima degradatio, ſcilicet deſcendendo à Phiala ad ligulam, ab iſta ad cochleare, ab hoc ad cochleam, & tandem ad purum nihil: Quocirca *Schrevelius* in ſuis *not. ad Martial.* editum Lugd. Bat. ſcribit *gradatim deſcendendo extenuat Pauli munus.*: ſi porrò eſt verum, ligulam juxta aliquos continere drachm. tres; clarum apparet, vas tam exiguum ſex libras continere non potuiſſe, cum cochleare drachmas duas tan-

tum admittat. Et tali degradationi ſimilis eſt alia facta ab ipſo *Martial. lib.* 8. *epig.* 71. ubi Poeta ait, Poſtumianum tempore Saturnalium conſueviſſe *Martial.* dono exornare, id eſt anno primo vaſe argenteo librarum quatuor, ſequentibus autem annis minuendo donum, ipſe Poſtumianus anno octavo ad ligulam pervenit, & nono ad cochleare, en ſuos verſus

Octavus ligulam miſit ſextante minorem
Nonus acu levius vix cochleare tulit,

Ita ut ad minimum ponderis vix reduci poſſit. Cùm itaque non veriſimile apareat, cochlearia Trimalcionis tanti ponderis extitiſſe, ego quoque cogitabundus remaneo in perfecta intelligentia hujus loci Petroniani, cujus explicationem mihi petiiſti, Hæc autem difficultas à criticis fuit etiam obſervata, & à multis fuit correctus ipſe textus *Petronii*, ita *Jan. Douſa Pater in præcidan. ſuper Petron.* ait *apage iſtam ponderis immanitatem Tudiculæ*, *ſeu Truæ alicui magis*, *quam cochleari convenientem*, *& non audens manum ponere* in textu interpretatur hæc verba *non minus ſex libras pendentia*, non cuilibet cochleari, ſed communi cochlearium aſſæ referri debere, ſic ipſe *Douſa* ſequitur, *ſed quod de plurium potius cochlearium ſtrue*, *non autem de ſingulis Petronium fabulari perſuaſum ſit mihi*; ſed hæc interpretatio, nec textui, nec intentioni ſatisfacit, nec mihi prorsus arridet, quia ſicuti cuilibet convivæ ovum diſtributum fuerat, ita cùm ipſo ovo, aut prius etiam, id eſt in paranda menſa, cuilibet ſuum cochleare paratum erat, de quibus cochlearibus tam eruditè ſcripſit *Baruffaldus* noſter; nec cochlearia, aliaque inſtrumenta ad menſam facientia in ſtrue apponebantur, è qua conviva hoc, vel illud juxta opportunitatem aſſumeret: verus enim ſenſus textus eſt, quod poſtquam Trimalcio Dominus cœnæ hortatus eſſet ſocios ad experiendum, an illa ova potabilia, vel ſorbilia fuiſſent, ille, ut probaret cum aliis convivis accepit cochleare. Nec ad rem facit nota *Douſæ* ad textum prædictum, nam hic ſcriptor redarguit, ac mordet ambitionem Trimalcionis ſuas divitias

vitias oſtentans, unde deſcribens illius divitis veſtes, & ornamenta, ait *& ne has tantum oſtenderet divitias dextrum nudavit lacertum armilla aurea cultum, & eboreo circulo lamina ſplendente connexum.* Ad hoc igitur, ut luxum etiam cochlearium in Trimalcione *Petronius* ſignificaret, pondus eorundem expoſuit magnificatum, non quod revera fuerit. *Erardus* porrò ait *Gruterum* ſemper in *Petronii* textu legiſſe ſeſquilibras, ſed ſeſquilibræ pondus in ordinario cochleare excedens eſt, attamen hoc inſervire poteſt ad oſtentandas Heri divitas. Ego tamen in omnibus editionibus *Petronianis*, quas apud me ſervo, lego *ſex libras pendentia*: In notis autem *Michael. Hadrianidæ*, textus iſte *Petronii*, ſic corrigitur *accipimus nos cochlearia*, *non minus ſex libras pendentia ova, quæ ex farina pingui figurata pertundimus; ova enim ſex libras* pendebant, *non cochlearia*, & hoc modo correcto *Petronii* textu, omnis evitatur difficultas: & hoc eſt, id, quod potui dicere circa quæſitam explicationem loci *Petronii Arbitri*.

DISSERTATIO X.

De Antiquorum Veſte Cubitoria, & Convivali, ſeu Cœnatoria.

CUm Tibi, V. C., ſcribendi in horis ſubciſivis de Convivalibus Veſtibus, Italicè *da Camera*, ſpopondiſſem, primùm ſe mihi obtulit Veſtis *Cœnatoria*, ab aliis *Cubitoria* appellata, quamvis inter ſe differre videantur, quia *Cœnatoria*, ut ex nomine patet, ad Cœnam, & ad Convivia adhibebatur tantummodò, undè apud *Xiphilinum* legitur Cornelium Frontonem a Cœna redeuntem, veſte Cœnatoria indutum, quendam a ſe patrocinium in cauſſâ poſcentem defendiſſe. Inſuper inter Imperialis magnitudinis indicia Imperatoris Maximi i, hoc enumeratur, ſe adhuc Puerum ab Alexandro Imperatore ad Cœnam invitatum, unam de Alexandri ſupellectile ſibi commodatam fuiſſe, *quòd ei deeſſet Veſtis Cœnatoria.* Huic ex Hiſtoricis authoritati depromptæ, alias è Poetis deſumptas ſuperaddere liceat,

liceat, quarum prima ex *Martiali* de die natali Reſtituti ſic habet.

Pugnorum reus, ebriæque noctis
Cœnatoria mittat Advocato.

h. e. Ille, qui in Cœna ebrius, alterum pugnis contuderit, ex hoc Reus factus, ut cauſſam ſuam defendat, tanquam in Cœna ortam, Veſte Cœnatoria indutus, illam Patrono ſuo largiendo, ſe in judicium præſentet. Altera eſt Petronii Arb. *Utcumque igitur laſſitudine objecta, cœnatoria repetimus, & in proximam cellam ducti ſumus in qua tres lecti erant, & reliquus lautiarum apparatus ſplendidiſſimè expoſitus: juſſi ergo diſcubuimus, & guſtatione mirifica initiati, Vino etiam Falerno inundamur.* Totam hanc periodum exſcripſi ut oſtendam Veteres illos cum veſte Cœnatoria ad menſam procumbere ſolitos, ut credatur *Turnebo*, qui in hunc locum ait - *Cœnatoriæ veſtes ſunt, quibus in Cœna Antiqui utebantur.* Quemadmodùm igitur a Cœna, Cœnatoriæ Veſtes dictæ ſunt, ita Cubitoria Veſtis a Cubiculo, ſeu a cubili ſuper quibus procumbebant, dicta eſt. Erat igitur Veſtis cubitoria, quoddam Epitogium, quo induti, in lecto procumbentes cœnabant Veteres vel prandebant. De hoc modo procumbendi in lectulis ſcribunt *Stuckius*, *Lipſius*, *Mercurialis*. *Roſinus*, *Urſinus*, *Pitiſcus*, & alii non pauci; Jacebant, ut breviter dicam, ſiniſtro brachio lectulum prementes, & ſe ſe cubito pariter lævo ſuſtentantes, caput aliquantiſper elevando, dorſoque pulvillis innixi: & quia lævus cubitus ferè ſolus totum pectus ſuſtinebat, laborabatque, ideò iſte modus jacendi, & comedendi ab ipſo cubitu nomen ſumebat: quare *Horatius*

Lenite clamorem ſodales,
Et cubito remanete preſſo &c.

Clariùs verò *in Sermonibus.*

Languidus in cubitum ſe ſe conviva reponit.

Imò *Clemens Alexandrinus* de non accumbendo cum Mulieribus ſcribens ait, *& ne ſuper cubitum cum ea accubueris.*

Ab aliquibus Scriptoribus, inter quos eximius noſter *Cœlius* *Calca-*

Calcagninus Epiſt. l. 3. Veſtes Cœnatoriæ, *Triclinariæ* appellantur, quia in *Tricliniis* adhibebantur. *Domeſticæ, ac cibariæ Veſtes, quales inter domeſticos parietes geſtamus, quas Triclinarias, & cœnatorias appellamus.* Imò Triclinia appellantur lecтuli ipſi in quibus cœnabatur, & tota alia ſupellex ad uſum Triclinii deſtinata : Undè *Plinius* ſcripſit, *purpura quis non jam Triclinaria facit* : hoc intelligens, nempè luxum, & pompam adeò creviſſe ut Cœnatoriæ quoque Veſtes è Purpura conſtruerentur. In antiquioribus temporibus verò, Veſtes convivales albas fuiſſe habemus ex *Horatio Sat.* 2. *lib.* 2.

Ille repotia, natales, alioſve dierum
Feſtos albatus celebret.

Ad mentem *Feſti* ſcriptoris eſt, quod Repotia ſit convivium illud quod ſponſus ſubſequenti die a nuptiis præſtabat domi ſuæ, ità dictum *quaſi reficiatur potatio Pacuvium* in teſtimonium afferens, qui, juxtà *Turnebum*, *Repotialem Librum* inſcripſit. *Aſcenſius* tamen opinatur, hujuſmodi convivia, octava die poſt nuptias celebrata fuiſſe, quæ etiam in die natali Liberorum acta fuiſſe cenſet *Turnebus*, *Auſonii* verba afferens ad ſuam confirmandam opinionem.

Conjugioque dapes, & Sacra Repotia Patrum.

Sed cùm iſta parùm ad Veſtes Cœnatorias faciant; & circa talia convivia majora, & luculentiora habeantur apud *Pitiſcum in Lexico ſuo* ſufficiat ut de alba veſte teſtimonium habeamus, qua in conviviis Antiqui utebantur. *Philo* itaque de philoſophantibus Judæis verba faciens, tunc cùm ad Convivia cogebantur, illos veſtibus albis indutos deſcribit. *Ubi verò convenere candidati, ac læti cùm ſumma gravitate*, &c. cui adſtipulatur *Philippus Antoninus de antiquo Triclinio*, dicens, Veſtes Triclinarias ferè ſemper fuiſſe albas, afferens illa *Ciceronis* verba *in Vatinium : tot hominum millia, & ipſe Dominus epuli Arius, albati accumberent.*

Sed quid de *Palmata Veſte* propter quam Metellus a *Valerio Maximo* vituperatur, eò quia in Hiſpania cum hujuſmodi veſte convivabatur ? Hæc a *Macrobio* dicta fuit *Toga picta*, & eadem erat ac *Veſtis triumphalis*, ut notat *Oliverius in Val. Maximum*, & *Franciſcus Poletus in Fori Romani Hiſtoria* his verbis : *ergo picta, & palmata, & triumphalis Veſtis* eadem eſt, de qua fuſiùs *Boſſius de Toga Romana*.

Quidam opinantur, Veteres cum *Læna* cœnaſſe, quod veſtimenti genus eſt ſatis diſtans a Syntheſi, prout refert *Ferrarius*, qui *lib.* 1. *cap.* 31. *de Re Veſtiaria* ita ait : *Syntheſim fuiſſe Lænam non verum eſt : nam licet Lænam aliquandò conviviis adhibitam ſciamus non tamen ſemper, neque eadem cum Syntheſi fuit.* Comes Silveſtrius in *not. ad Juvenal.* vult Lænam fuiſſe Veſtem Cœnatoriam tempore hyberno, & Syntheſim, æſtivo adhibitam. De Syntheſi modò inquiramus cujuſmodi Veſtis eſſet, quæ in conviviis adhibebatur, de qua *Martialis l.* 5. *Ep.* 80.

Undecies una Surrexti, Zoile, Cœna,
& mutata tibi Syntheſis undecies.

Lazarus Bayſius pro vili veſte ſumit Syntheſim, *Raderius* verò cum *Lipſio*, & quidem meritò pro honorifica veſte; animadvertens *Suetonius* Neronem pluries Syntheſi indutum publicè prodidiſſe, *ac plerumque Syntheſi indutus, ligato circa collum ſudario prodierit in publicum*; ad quæ verba *Caſaubonus* : *hoc eſt, habitu hominis in triclinio diſcumbentis*. cùm Syntheſis propriè juxtà *Ferrarium*, fuerit veſtis communis convivarum : *fuit ergo Syntheſis communis conviventium veſtis*. Hanc ſtatuit *Pitiſcus* ad inſtar Pallii fuiſſe : *non aliud dicere poſſumus* ſcribit ipſe, *in Lexico ſuo, quàm fuiſſe ad inſtar Pallii*. Quare *Martialis* fortaſſe de hac veſte cecinit

Ad menſam venies, ſed ſic diviſa recumbes,
Ut non tangantur pallia noſtra tuis.

Alii verò opinantur Syntheſim fuiſſe tunicam cum *Xiphilino* ubi de Nerone verba faciens ait : *Senatores in florea tunicula ſaluta-*

ſalutabat. Certum tamen eſt Syntheſim *Endromide* diſtinctam eſſe, quæ Veſtis erat divitum Romanorum, qua ſtatis temporibus induebantur, pout in feſtis Saturnalibus. En verba *Pitiſci*: *Endromidem exiſtimo fuiſſe veſtem elegantiorem, & lautiorem; qua Populo Romano certis diebus publicè, ut ſaturnalibus, uti licebat.* Hoc non obſtante *Laurentius in Polymathia* aliter ſuadet dicens, Endromidem fuiſſe quoddam Veſtimenti genus craſſum hirſutumque, quo pluvia, & frigus arceri poſſent: *Endromis*, inquit ille, *Veſtis hirſuta longioris villi ad Cœli injurias arcendas.*

Sed ut ad Syntheſim redeamus, ſciendum eſt, *Cœlium Calcagninum l. 3. Quæſt.* dicere a Juriſconſultis hanc veſtem ſcriptam eſſe non pro illa quæ in cœnando adhibebatur, ſed pro Repoſitorio ubi Veſtes ſervabantur. En ejus verba: *Syntheſis a Juriſconſultis pro Veſtiario, id eſt, Theſauro Veſtium videtur accipi*: quam opinionem ex Lexico Legum Civilium evidens eſt illum deſumpſiſſe hæc enim verba in eo leguntur: *Syntheſis eſt Congeſtio, ſeu acervus Veſtium.* Aliud Veſtimenti convivalis genus erat *Hyacinthina* de qua *Perſius* ait

Hic aliquis, cui circum humeros hyacinthina.

Satis molles prædicantur hujuſmodi Hyacinthinæ, quæ neſcio quid ruboris habebant prout de Hyacintho inquit *Virgilius*

- - - - *& ſuave rubens Hyacinthus.*

de quo *Caſaubonus in Perſium*: *Veſtis triclinaris mollior, & coloris exquiſiti argumentum eſt ſtultorum morum. Satis conſtat ea ætate, qui elegantiores videri volebant, cœnatoriam, & univerſam veſtem triclinarem ſplendidiſſimam habuiſſe. In dibapha igitur purpura, & in coccinis, aut hyacinthinis diſcumbebant.*

Igitur præter hyacinthinam veſtem, altera quoque erat Purpurei coloris, a Nobilibus, ut ſuprà diximus, adhibita: unde *Petronius* verba referens Diſpenſatoris illius, cui, dum in Balneo lavabatur, Veſtes raptæ fuerant, ait: *Veſtimenta cubitoria*

perdidit, *quæ mihi natali meo donaverat cliens quidam*, *Tyria ſine dubio*, *ſed jam ſemel lota*. *Lipſius in Saturnalibus* legit, *ſed haud ſemel lota;* ſed *Caſaubonus*, *in Perſium Voverius*, & *Herardus* vulgatæ Lectioni adhærent; prout recentiores duæ Petronii editiones Batavæ, una Hadrianida cum notis variorum, ac etiam Nodotii altera: Hoc pacto verbis illis *jam ſemel lota*, ſignificare ſtudet *Petronius* hujuſmodi Veſtem ſemel tali pretioſo colore tinctam fuiſſe: *Plinius* enim ità exponit verbum illud *Dibapha*, inquiens: *Dibapha tunc dicebatur quæ bis tincta eſſet.* Quod & a *Cælio Rhodigino* confirmatur *l.* 30. *c.* 26. *Dibaphum certè purpuram ſignificare bis tinctam video.* *Voverius*, & *Herardus* inſuper addunt rationem cur diſpenſator ille non fuiſſe dibapham purpuram ſuam voluerit, ſed ſemel tinctam, ex eo quia facile veniam obtinuerit cum pauci momenti illius eſſet amiſſio.

Nihilominus favent nonnulli *Lipſio*, qui cum ipſo legunt *haud ſemel tincta;* hoc eſt, non ſemel in purpura immerſa, & ideò dibapha; cùm probabilius ſit hujuſmodi Veſtem fuiſſe dibapham, eo quia diſpenſator ille aſſerat eſſe *Tyriam ſine dubio*, & *Plinius* adnotat Tyriam eſſe dibapham; inquiens: *huic ſucceſſit dibapha Tyria.* Idem præſumendum venit ex ſervi fuga, & illa ad pedes Encolpii, aliorumque convivantium proſtratio, ut ab imminenti periculo illum vindicarent. Inſuper hoc idem deduci poteſt a formula illa reddendi gratias pro impetrata abſolutione, & gratus animus illis demonſtratus a largitione proprii Vini ad uſum tantummodò Domini ſui deſtinati: *Vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt.* Quod maximi honoris erat, eo quia, teſte *Juvenale*, Domini pretioſa Vina bibebant, Convivæ verò Vinum ſecundarium.

Lipſii opinio confirmanda venit a magnitudine beneficii quam ipſimet interceſſores fatentur, & ex quo boni & experti Aulici ratio poſtulat ſe juſtè indignatum fuiſſe in ſervum, & interceſſoribus magni momenti gratiam donaſſe, tanquam ſi plus gratificatio in illos ſibi placeret, quàm adeò pretioſæ Veſtis amiſſio; atque ideò dixit: *quidquid ergo eſt, dono Vobis.* Ità *Petronius* intelligendus arbitror.

Quid-

Quidquid verò ſit, ſufficit mihi ut illud certum habeam apud Authores cubitoriam Veſtem non diſtingui a Cœnatoria ſeu Convivali, & inter Veſtes Triclinarias purpuream quoque vel bis, vel ſemel tinctam adnumerari. Demùm Purpuræ uſum in Conviviis adſtruam ex *Horatio Epod. Od.* 12.

Muricibus Tyriis iteratæ vellera lanæ,
Cui properabantur? tibi nempe:
Ne foret æqualeis inter conviva, magis quem
Diligeret mulier ſua, quam te.

Si lubet, Clariſſime Vir, hìc addam, antiquitùs invitatos ad Convivia præter veſtem triclinarem, lintea quoque ſecum adferre conſueviſſe. Ita *Catullus*.

Maruccine, Aſini manu ſiniſtra
Non bene uteris, in joco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
. . . .
Quare aut hendecaſyllabos trecentos
Expectata, aut mihi linteum remitte.

Præ cunctis ad hoc facit teſtimonium *Martialis in Epigrammate* contra Hermogenem, cujus verba exponens *Raderius* ait, eo pacto quo non omnes mercatores ad idem negotium intendunt, ita evenit in numeroſa latronum familia: alii loculis, alii equis, alii lineis pannis, prout ſunt lintei, & mappæ, ſeu mantilia, vacant: hujuſmodi latro fuit ille Hermogenes quem *Martialis* irridet *lib.* 12. *ep.* 29.

Hermogenes tantus Mapparum, Pontice, fur eſt;
Quantus nummorum vix puto Maſſa fuit.
Tu licet obſerves dextram, teneaſque ſiniſtram;
Inveniet Mappam qua ratione trahat.

Qui uſus ſecum afferendi ad convivium propriam Mappam confirmatur ab Erudito Comite *Silveſtrio in Juvenal.* ubi inquit, Antiquos parare pro conviviis menſas mantilibus inſtructas fuiſſe ſolitos, ſed quiſque conviva ſecum adferebat propriam mappulam, prout fit communiter in portandis ſudariolis ſeu muciniis propriis.

Simul itaque ſecum afferebant Convivæ proprias mappulas, & Veſtem nuptialem monente *Lipſio Saturnal. l.* 1. *c.* 2. verba *Capitolini* afferendo: *Cùm ad cœnam ab Alexandro eſſet vocatus* (Maximinus) *in Patris honorem, quod ei deeſſet Veſtis cœnatoria, ipſius Alexandri accepit.* & cùm aliis quoque id accidere poſſet, duco apud divites hujuſmodi Veſtes, & quidem copioſas, ſervari ſolitas in promptuariis, ut ad opus eſſent ſi defuiſſent; quod a *Martiali* facile deducitur.

Undecies una ſurrexti, Zoile, cœna
Et mutata tibi eſt Syntheſis undecies.

Et alibi *lib.* 2. *ep.* 46. ubi de harum Veſtium copia loquitur

Sic micat innumeris Arcula ſyntheſibus.

Sed ut alia ad hoc argumentum pertinentia ſuperaddamus, nempe circa Veſtes Convivales, ſeu Cœnatorias, animadvertendum eſt Antiquos quemadmodum Cœnacula pro hyemali tempore in domibus habebant, & pro æſtivo, ita etiam pro hujuſmodi temporibus Veſtes ſervabant, unde *Suetonius* de Auguſto loquens ait: *hyeme quaternis cum pingui toga tunicis, & ſubuculæ thorace laneo, & fœminalibus, & tibialibus muniebatur.* Hoc pacto indutus cœnabat Auguſtus. Et has veſtes cubitorias, ſeu triclinares fuiſſe graves, & craſſas hyemali tempore, & leves æſtivo, patet ex Saturnini monitu militibus dato apud Trebellium Pollionem. *Diſcumbere milites cum ſagis jubet hyeme gravibus, æſtate pellucidis:* ob harum ſcilicicet exilitatem. Notat *Rhodiginus* Veſtes Cœnatorias æſtivas coccinei fuiſſe coloris, & tenuiſſimas adeò ut diaphanæ forent; quod mirum non eſt: nam quemadmodum natura docet nos hyemali tempore veſtibus craſ-

ſiori

ſioribus uti, & æſtivo tenuioribus; ita, & Antiquos, molliùs viventes quam nos, ad id ſuadebat. Compertum quoque eſt adeò deliciis fuiſſe Veteres illos perditè deditos, ut vaſa argentea quoque haberent pro conviviis æſtivis, atque item argentea pro hyemalibus: Hinc *Athenæus*: *Heus tu Puer*, *ne hiberna Vaſa argentea nobis apponito*, *ſed æſtiva.* Quam mollitiem quoque in annullis habebant cuique tempori congruis. Sicuti igitur Cœnacula, lectuli triclinarii, vaſa, & annulli, tempore æſtivo diſtinguebantur ab iis qui hyemali tempore in uſu erant, ita quoque Veſtes convivales habebantur, cuique tempori accommodatæ.

Scribendum hîc venit de tenuitate Veſtium pellucidarum, prout ſunt *Coa*, & *Serica*, de quibus ſingulis mentio eſt apud Scriptores rerum antiquarum: imò quia nonnulli addunt iis etiam Veſtes *Vitreas*, *&* *Ventoſas*, *&* *Nebuloſas*, de iſtis quoque aliqua notare non inconveniens duco: & primùm in genere loquendo dicam, Antiquos ita tenues quandoque adhibuiſſe Veſtes ut pellucidæ eſſent, & diaphanæ, quo nomine etiam appellabantur. D. *Gregorius Nazianzenus* ait: *tenuiſſimo filo ſcitè*, *&* *eleganter elaborata tam aurea*, *quàm purpurea*, *ac pellucida.* Et Philemon Comicus apud *Clem. Alexandrinum* *Pellucidas Veſtes* &c. quibus comparari poteſt id quod ait *Saturninus* apud Trebellium Pollionem, qui jubet militibus ut tempore æſtivo induant *Pellucidas Veſtes.*

Has veſtes tamen fœminarum potius quam Virorum fuiſſe obſervo. & præcipuè illarum quæ venales erant, & corporis partes patefacere ſtudebant; quarè *Juvenalis* Veſtem nuncupatam *Multitia* quæ erat Veſtis ſatis tenuis, & pellucida mulieribus illis tribuit quæ aſſuetæ erant e lectulo maritali ſurgere ante Auroram, nec niſi nocte ſubſequenti ad illum redibant.

> *Humida ſuſpectis referens Multitia rugis*
> *Vexataſque comas* &c.

Quod innuit etiam *Lubinus in Juvenal.* de *Multitia* dicens; *Mollia nimis delicatarum mulierum Veſtimenta pellucida.* Imò *Tertullianus* acrius, *Endromidis colorem aliqua multitia Syntheſi extraxit.*

xit. Hinc vera apparet Etymologia Roberti Stephani. *Multitia indumenta dicebantur minutiſſimis filis contexta.*

His in genere expoſitis circa Veſtes tenues, & pellucidas, ad particularia deſcendens, dico hujuſmodi Veſtimentorum diverſa eſſe nomina, quemadmodum varia fuêre loca & ædificia in quibus, materia e quibus, Nationes apud quas, conſtructa fuere, quod etiam aliis de cauſis & circumſtantiis evenire poteſt: A Loco, & Natione nomen ſuum deſumpſit Veſtis *Coa*, ut opinatur *Bayfius*, nam in illa Inſula tenuiſſimi panni, & diaphani ad conſtruendas Veſtes conficiebantur, & eo pacto, quo hodie Telæ Hollandicæ, & Cameracenſes cæteris præſtant, ita in illa ætate ſupra omnes erant Veſtes Coæ; de quibus *Propertius*

- - - - Sive togis fulgentem incedere Cois;
Hoc totum e Coa Veſte volumen erit.

Tibullus quoque de hujuſmodi Veſtibus ait

Hic dat avaritiæ cauſſas, & Coa puellis
Veſtis, & e rubro lucida concha mari.

Præ omnibus *Horatius Sat.* 2. *l.* 1. has veſtes minutiſſimas & pellucidas deſcribit: loquens de impudicis mulieribus, quæ membra quaſi nuda Hominum oculis conſpicienda præbebant ſine pudore:

Altera nil obſtat, Cois tibi, pene videre eſt
Ut nudam, ne crure malo, ne ſit pede turpi:
Metiri poſſis oculo latus: &c.

quod utique concordat cum antedictis ab eodem Poeta.

- - - - - - - - - - aperte
Quod venale habet, oſtendit.

Et hujuſmodi Veſtes Coas eſſe, explicat *Lambinus*, & *Cruckius.* Ut verò pretio, & pulchritudine augerentur tales Veſtes, nobiles fœminæ, purpureo colore illas tinctas volebant: de quo ſatis clarè idem *Horatius l.* 4. *Od.* 13.

- - - - Lyce, ſis anus, & tamen
Vis formoſa videri &c.
Nec Coæ referunt jam tibi purpuræ &c.

A Pro-

A Provincia quoque nomen ſuum deſumebant iſtæ Veſtes, prout in Bello Wandalico refert *Procopius* de *Veſte Medica* loquens. *Tertullianus* quoque in libro ſuo *de Pallio* id de Magno Alexandro refert. *Vicerat Medicam gentem, & victus eſt Medica Veſte, triumphalem cataphractem amolitus in captiva ſarabara deceſſit pectus ſquammatum ſignaculis*, &c. ac ſi diceret, cataphractem triumphalem converſam fuiſſe in veſtem ſervitutis, nam *Sarabara* erat Veſtis Perſa, de qua *Pitiſcus in Lexico Sarabara eſt Veſtis Medica, ſeu Babylonica, ad genua pertingens.* De qua veſte fuſiùs *Voſſius in Lex.*, *Turnebus in Adverſ. Du Freſne in Gloſſ.* & *Cælius Rhodiginus* cum aliis. A *Cois*, & *Medicis* veſtibus, ad *Sericas* veniamus, & primò de harum nomine inquiramus. A *Seris* Orientalibus Populis, vel a Vermiculo *Sere* nuncupato Veſtis Serica appellatur. Ita *Iſidorus Etymol. Serica a Serico vel quod etiam Seres primi miſerunt*: & *Nicolaus Leonicus Thomæus Var. Hiſt. l. 2. c. 69.* dicit: *Serici Stamina naſci ex parvo quodam animali, quod Græci ſerem dicunt. Marcellinus lib.* 23. narrat in illis regionibus plures ſylvas lucentes naſci & quidem fructibus onuſtas, qui aqua madefacti poſt illorum reſecationem ab arbore matureſcunt, & adeò molles fiunt, ut ab illis quadam lanugine detracta, ex illa filis confectis incolæ illi Veſtes conficiant. Ferè idem circa harum Veſtium ſtructuram narrat *Plinius l. 6. c. 17. Hiſt. Nat.* Item *Claudianus*

Jam parat auratas trabeas, curruſque micantes
Stamine, quod molli tondent de ſtipite Seres.

Idem affirmat *Seneca Trag. Hippolit.* dum Phædram introducit reginæ ornamenta ſpernentem, ut habitu venatorio induatur ad lævius & promptius inſequendum filium ſuum

Removete, famulæ, purpura, atque auro illitas
Veſtes; procul ſit Muricis Tyrii rubor,
Quæ fila ramis ultimis Seres legunt, &c.

Pollux verò *in Diction.* hæc ait: *Sunt etiam nonnulli qui Seres*

ab aliis quibuſdam Animalibus telas ſuas colligere tradunt. Ex quibus verbis *Bayſius* deduxit originem filamentorum ſericorum haberi a quodam Bruco, non ex arboribus ſylvarum illarum: *Vermiculus quidam apud eos, qui Ser appellatur, ac Sericum inde appellatum procreat.* Item *Pauſanias* arbitratus eſt a Vermiculo *Sere* a Græcis appellato, & diligenter cuſtodito, id evenire; ejus verba ſunt: *educunt inde e viſceribus plura ſtaminum volumina.* Cui ſuperaddi poteſt id quod ait Iſidorus: *Sericum dictum quia id Seres primi miſerunt: Vermiculi enim ibi naſci perhibentur, a quibus hæc circum arboribus fila ducuntur:* qui Vermiculus poſtea ab eodem *Bombyx* appellatur, qui idem eſt ac Sericus juxtà Sententiam *Cardani*. Iſte *Sericus* tanti habebatur, ut nihil minus auro computaretur: quare *Flavius Vopiſcus* ait, temporibus Aureliani Imperatoris, libram *Serici*, libra auri emptam fuiſſe. *Libra aurea, libra Serici fuit*: quod & in lege Rhodia ſcriptum invenitur: *Sericum, & Aurum tandundem valent*: ac confirmatur a *Joh. Argolo in notis ad Panvin. Lud. Circ.* dum inquit: *illis enim temporibus eximii pretii Veſtes Sericæ, ut libra auri, libra Serici fuerit.* Quod ſi nunc Sericus vilioris pretii eſt, debemus hoc commodum duobus illis Monachis, qui a Serinda Indiarum Civitate, monente *Procopio*, hujus Vermiculi ſemina ad Imperatorem Juſtiniaum tranſtulerunt, qui in ventre Sericum alit; ita ut ex illo tempore merces tam pretioſa per univerſum orbem ſe ſe diffuderit. Rariſſimus tamen, & magni pretii fuerat Sericus temporibus Aureliani Imperatoris, ſcribente *Vopiſco*, dum in ejus promptuario *Veſtis Holoſerica* locum non habebat, ac nemini indulſit veſtem Holoſericam deferre: ejus verba ſunt. *Neque ipſe in Veſtiario ſuo habuit, neque alteri utendam dedit: & cùm ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blateo Serico uteretur, ille reſpondit: abſit, ut auro fila penſentur: Libra enim auri tunc libra ſerici fuit.* Quæ *Vopiſci* verba attentè perlegenda ſunt non minus quam illorum interpretatio per Claudium Salmaſium data. At id quod tunc temporis Imperatorum Uxoribus negabatur, hodie propter nimium ſui copiam vileſcit, & a plebe ad conſummationem uſque peſſundatur. Veſtes enim Cœnatoriæ, & Cubitoriæ hodie ex ſerico intextæ tùm æſtivo, tum hyemali

tempore

tempore apud omnes ſunt, imò ex ſerico, & auro ſimul compoſitæ ad indulgendam fovendamque hodiernam libidinem a qua depauperantur familiæ, ut notat *Laur. Pignoria not. ad Alciat. Emblem.* inquiens: *Sericum in uſum publicum damno ſeveritatis admiſſum eſt, & quo oſtentare potius corpora, quàm veſtire.*

Sed ut ad Sericas Veſtes redeamus, quærendum modò venit quid intelligant ſcriptores antiqui pro *Veſte Bombycina*, & an iſta Veſtis a *Biſſina*, & *Serica* differat. De Bombyce igitur aliquid dico, eo quia ex illius viſceribus bombycinarum veſtium materies eruitur.

Ariſtoteles omnium prior *in Animalium Hiſtoria* de hujuſmodi Vermiculo ſcripſit, erucam pro matre illi ſtatuens, & nos docens, primam mulierem horum filamentorum textricem fuiſſe Pamphilam Coi: undè non ſine cauſſa *Lipſius* exiſtimat, Veſtem Coam eandem eſſe ac Bombycinam, ut ſuprà diximus. De Bombyce ſcripſit *Tertullianus* in libro *de Pallio*: *Prorsùs haud latet Bombycem (vermiculi genus eſt) quæ per aërem araneorum horoſcopis idoneas ſedes tendit, dehinc devorat, mox alvo reddere, deindè ſi necaveris, animata jam ſtamina volves. Iſidorus Origin.* de eodem Bombyce ait. *Bombyx Vermis eſt frondium, ex cujus textura bombycinum conficitur.* Item *Pollux. Bombyces ſunt Vermiculi, quibus fila ducuntur, quemadmodum & Araneæ.* Pariter commemoratur a *D. Baſilio* his verbis. *Indus Vermiculus in Erucam transmutatus, indè temporis progreſſu Bombyx fit, ſed neque in hac forma permanet, ſed alas acquirit: ex hoc fila ad mollia indumenta paranda.* Tandem *Maiolus Dier. Canicul.* inquit: *Sericum è Regionibus Indicis mittebant, undè Serici nomen traxit. Plinius* duplicem Bombycem aſſignat: Primus ex Aſſyria provenit de quo loquitur *Ariſtoteles*: Alter in Inſula Coo e floribus Therebinthì, & Quercûs a pluvia madefactis & excuſſis, ex quibus exigui Papiliones producuntur, qui ut temporum injurias arceant tenuiſſimis filamentis cooperiuntur. De Telis e primo Bombyce paratis jam dixerat idem *Plinius*, *Thelas Araneorum modo texunt ad veſtem; luxumque fœminarum, quæ bombycina appellatur; ut denudet fœminam Veſtis bombycina.* Et contra Homines invectus ita loqui-

loquitur : *nec puduit has Veſtes etiam Viros levitate uſurpare.* Ad quod facit id quod ait *C. Tacitus* de Q. Aterio, & Octavio Frontone, qui luxum, ſuorum temporum vituperantes decrevere, *ne Vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent ; ne Veſtis ſerica Viros fœdaret.* Quare Tiberius Senatui reſpondens de moderando effrænato luxu, inter alia dixit, *eſſe promiſcuas Viris, & Fœminis Veſtes.* ad quæ verba *Lipſius : ſericas intelligit, Coaſque, quibus nec abſtinebant Viri.* Pudet utique mollities fœminalium Veſtium in Viris, & in fœminis nimis tenues Veſtes honeſtati nocent, de quo dolens *Seneca* ait, *Video ſericas Veſtes, ſi Veſtes vocandæ ſunt, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut denique pudor poſſit ; quibus ſumptis mulier parum liquido nudam ſe non eſſe jurabit.* Sed ut ad ſericum redeamus. *Polidorus Virgilius l. 3. de Rerum invent.* arbitratur ſericum idem eſſe ac Bombycinum Vulgare a Serinda Indorum urbe ad Juſtinianum Imperatorem per binos illos Monachos translatum, per totam Europam deinde divulgatum ; & eo quia Brucus iſte a Græcis *Sere* appellatur, fila quoque Bombycum *Serica* appellata fuere. *Barthius* tamen *in Adverſ.* Sericum a Bombycino diſtinguit, quamvis hodiè univocè ſumantur, afferens verba Pauli J. C. *Veſte ligata ea cedunt ; quæ ex lana, & lino texta ſunt, item Serica, & bombycina.*

Modò aliquid de Veſte *Biſſina* diſſeramus quæ a *Biſſo* Lini ſpecie procedit, & inter fœminiles delicias adnumeratur. *Biſſus linum tenuiſſimum naſcens ex Ægypto* deſcribitur a *Joſepho Laurentio in Polymathia :* & ſimiliter tanquam lini ſpecies notatur a *Polluce*, *Bayſio*, *Plinio & Pitiſcio. Pancirolus* notat olim in magno pretio fuiſſe, adeo ut pugillus lini *quaternis denariis permutaretur. Joſeph. Antiq. Jud.* notat hoc biſſo indui ſolitos Sacerdotes Moſaïcæ legis, & Moiſen in deſerto ex eodem Tabernaculum cooperuiſſe. *Caſpar Barthius Adverſ. lib. 32. c. 3.* loquens de Biſſo ait, fuiſſe Biſſum tenuem utique ſed fortiſſimum, & diuturnum : *notandum verò eſt, tanta fili firmitate fuiſſe, ut maxime tenacibus certare poſſet.* De qua firmitate teſtes habet D. Hieronimum, & Paulinum in hoc concordes.

Quæ

Quæ cùm ita ſe habeant, dicendum eſt, omnes, & quaſcumque Veſtes, quæ antiquitùs in conviviis, & cubiculis adhibebantur, quamvis non univocè appellarentur, & eadem materia conſtarent, fuiſſe tamen quoad qualitatem diverſas, licet tenuitate, & palpabilitate idem eſſent. Ad quæ ſuperaddere liceat pro coronide hujus diſſertatiunculæ de Veſtibus triclinariis, id de quo ſatis miror, quomodò ab antiquis ad noſtra uſque tempora tam integrè pervenerit, nempe quoddam augmentum, quod ſuperaddebatur veſtibus mollibus, & tenuibus, ut pellucerent, & extenuarentur, & erat quædam preſſura facta earundem Veſtium, ſeu ſericorum, ſub torculari ſaxis ingentibus aggravato, unde *preſſa veſtis* dicebatur: ex quo notum fit artificium illius Levigæ, quo Telæ comprimuntur, vel expoliuntur, Italicè *Mangano* ſatis antiquæ originis eſſe. *Seneca l. 2. de Tranquill.* de hoc mentionem facit: *Non in ambitione cubile compoſitum, non ex arcula prolata Veſtis, non mille ponderibus, aut tormentis ſplendere cogentibus preſſa.* Cui Senecæ loco authoritates *Martialis*, *Claudiani*, & *Marcellini* ſubnectere non me piget. *Martialis* de Nevolo ita ait.

Sic tua ſuppoſitis perlucent præla lucernis,
Sic micat innumeris, arcula ſynthеſibus.

Domitius explicat vocem *Præla* hoc pacto: *Erant Præla Loculi, quibus compreſſæ Veſtes continebantur.* Meliùs verò & evidentiùs *Claudianus*:

- - - - - - *præliſque ſolutæ*
Mira Dioneæ ſumit velamina telæ.

Ubi *Barthius.* *Præla erant in uſu Veſtiario, quibus Veſtes ſubditæ coercebantur, ut nitorem formamque ſervarent.* Tandem *Marcellinus* ita ſcribit de mollitie vitioſa Romanorum Senatorum *l.* 28. *a Sylvani lavacro, vel Mammæ aquis ventitant ſoſpitalibus, ut quiſquam eorum egreſſus tenuiſſimis ſe terſerit linteis, ſolutis preſſoriis veſtes luce nitentes arbitra diligenter explorat*, & ſic *Gronovius in not.* in hunc locum: *Antiqui veſtes accuratè complicatas ponde-*

ribus impoſitis ſplendere cogebant. A Marcellino igitur ſatis clarè apparet intentio calcandi, & premendi Veſtes in torculari, nempe ut tenuiores evaderent, atque ut niterent.

Quod totum eſt id, cui manus appoſui ut de Veſtibus Convivalibus aliquantiſper diſſererem, excerpendo ab Antiquis ſcriptoribus quidquid ad rem noſtram faceret, horis mihi a medicis tricis diſpenſatis; Hæc omnia tibi, V. C. aperui, non ut doctrinæ tuæ quæ maxima eſt, aliquid ſuppetam, ſed ut obſequii mei tibi teſtimonium aliquod præbeam &c.

DISSERTATIO XI.

De Potu calido.

MOs penè univerſus hodie hauriendi Chocolaten, Caffé, aliaque hujuſmodi juſcula ebullientia, ſolatii potius quàm utilitatis cauſſa, Amicum admovit, ut a me ſciſcitaretur, an Veteres potu calido uterentur, vel frigido? Cui indulgere volens, hæc ex antiquis ſcriptorum monumentis in unum coacervavi, tibique, Amice ornatiſſime, mittere ſtatui, ut ea percurreres oculis, ſique addenda haberes aliqua, ſuperadderes.

Apud Mercurialem *in Var. lect.* habemus, Antiquos aquam calidam adhibuiſſe ad vina temperanda, eo quia Vina, ut habetur ex *Plinio*, ſolis calore, & fumo penè aſſata neceſſe habebant ut aliquid reperiretur, quo diſſolverentur: ad quod opus nihil valens aqua frigida, calidam adhibebant, cui ſuperaddebant etiam gelidam, adeo ut frigidus non calidus eſſet potus dierum illorum. *Hi nivem, illi glaciem potant* (inquit *Plinius l.* 18.) *pœnas montium in voluptatem gulæ vertunt: ſervatur algor æſtibus, excogitaturque, ut alienis menſibus nix algeat; decoquunt alii aquas, mox & illas hyemant.* innuendo his poſtremis verbis celebrem illam Neronis *Decoctam* Aquam quam decoqui jubebat ille Imperator qua vitreo urceo impleto, illud in nive ſepeliebat, & hoc opinor, non tam ad omnem malam aquæ facultatem removendam,

vendam, ſed ad magis illam diſponendam] ad recipiendum frigus: *Omnem utique decoctam utiliorem eſſe convenit, item calefactam magis refrigerari ſubtiliſſimo invento* (Plin. lib. 31. cap. 3.) *& ideo voluptas frigoris contigit ſine vitiis nivis.* Didicit fortaſſe Nero hunc refrigerandi modum citiùs, & vehementius ab *Ariſtotele*. Athenæus quoque illum docet in ſuis *Cœnis* atque *Alexander Aphrodiſeus* Problem. de eo rationem reddit.

Sed ut ad *Decoctam* Neronis redeamus; omittere nequeo illam non ex communi aqua paratam fuiſſe, ſed ex Aqua Nivis. *Hi Nives*, inquit Plinius, *illi Glaciem potant.* Nero ad ignem liquefaciebat Nivem, quæ in Vaſe coquebatur; illa colata, Vas nive operiebatur: *decoquunt alii* id eſt Aquam nivis ad æſtatem ſervatæ: *quos & mox hyemant.* Hinc optimè ſcripſit Plinius. *Neronis Principis inventum eſt decoquere Aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare.* ex quo invento *voluptas frigoris contigit ſine vitiis Nivis.* Eo quia prout compertum eſt, Aqua ex Nive, teſte *A. Gellio*, & *Macrobio*, ac etiam ante *Hippocrate*, eſt peſſima potio, adeo ut neque coctam illam approbet, de quo rationem reddit lib. *de Aquis & Locis.* Attamen aliarum nationum mos fuit coquendi aquam prout aſſerit Raderius ad Martialis Diſtichon *Lugent nivaria* &c. equidem dici poſſe autumo Nobiliores ad exemplum Neronis, ſeu voraciores, & luxuriantes circa potum, hujuſmodi frigore gaviſos fuiſſe, ut in *Martiali* habemus de Decocta.

Quæ tibi decoctæ nobile frigus aquæ.

Cum & ipſi illam coquant per vitrum demittant, & ut refrigeſcat, ſepeliant. Et ideo non de Nerone, ſed de univerſali hujuſmodi conſuetudine dixit *Martialis*:

Non potare nivem, ſed aquam potare rigentem
De nive, commenta eſt ingenioſa ſitis.

Et ex hoc ſaccus, & colatio nivalis originem habuere cùm

de-

utriſque ſcripſerit idem Poeta. Cribrum, ſeu Colum nivarium non ex tela textum, ſed erat Vas quoddam, & ideo Vinum Falernum tanquam pretioſum, demitti per colum merebatur: Vina verò ignobilia ad ſaccum mittebantur, utique ex tela textum.

Pauperiore mero tingere Vina potes.

Et quamvis *Raderius* ſcribat Colum nivarium fuiſſe nive plenum, & projiciendo Vinum in ipſum refrigerari per nivem tranſeundo, & ſimul a Vino nivem liquefieri, & ideo Vina & Nives potari, unde *Calvinus in Lexic.* ait: *Colum nivarium Vas, quò Veteres injecta nive vinum colabant.* Ego tamen hoc intelligere nequeo ob graviſſima nocumenta a nive pota producta.

Colum hoc Nivarium fuiſſe quoddam Vas, non tantum *Raderius*, ſed *Lazarus Bayfius*, *Georgius Herardus in Petronium* tradidere textum Pomponii afferentes qui propoſito dubio: An Legatarius Argenteorum Vaſorum ad potum deſtinatorum, jus habeat etiam ad Vas, quod ad præparationem bibendi comparatum eſt, colum nivarium, & urceolos in exemplum adducens: & concludit, acceſſorium ſeu præparatorium ſequi principale: Sicut igitur Urceoli erant Vaſa, ita quoque Colum nivarium fuiſſe Vas credendum eſt. Et ſicuti *Raderius* hujuſmodi vas ad vinum refrigerandum proponit, ita quoque nivis colatio illi tribui poteſt juxta opinionem *Herardi.* Immò *Fulvius Urſinus ad Ciacon.* dicit. *Colum autem dicebatur Vas nivarium* quo aqua ex nivibus colari ſolebat.

Sed ad Aquam calidam redeamus, de qua *Hippocrates* ſcripſit: *Ab Aqua calida voluptates, & illecebræ*, & de frigida *dolores, & averſationes.* Ad *Baccium* me conferens dico hunc Authorem maxime oberrare dum negat apud Veteres uſum potus calidi, dum evidenter ex authoritatibus illorum temporum habemus contrarium *Antonius Perſius* integrum volumen ſcripſit de potu calido apud Veteres: quare opinor ob luxuriem gulæ (prout hodie) & ob immoderatam oblectationem non raro antiquos modo calidas, modo frigidas, & gelidas potiones in uſu habuiſſe, de quibus ſatis clare *Martialis.*

Frigida

Frigida non deerit, non deerit calida petenti,
Sed tu moroſa ludere parce ſiti.

& de utraque potione *Juvenalis.*

Quando vocatus adeſt, gelidæ, calidæve Miniſter &c.

Moroſa ſitis de qua in *Martiali*, intelligi debet *ſitis delicata, cui nihil niſi exquiſitum ſapit.*

Apulejus pro me ſtat *in* 2. *Metamorph.*, his verbis : *&* me deoſculato, & corollis revincto, ac flore profperſo, arripit poculum, ac deſuper Aqua calida injecta, porrigit, bibam, idque medicum Paulus quoque J. C. de diverſitate Vaſorum pertractans ait : *nec multum refert inter cacabos*, & ahenum, quod ſupra focum pendet : *hîc Aqua ad potandum caleſit : in illis pultarium coquitur. Antonius Perſius* diſtinctè enumerat Vaſa ad coquendam aquam pro potu calido. Immò *Seneca de Ira l.* 1. Aquæ calidæ meminit, quæ ſua tempeſtate in uſu erat quemadmòdum noſtris temporibus Buncum. *Iraſcuntur boni Viri pro ſuorum injuriis : Sed idem faciunt ſi calida non bene præbeatur : ſi Vitrum fractum, ſi calceus luteo ſparſus ſit.*

Martialis lib. 6. ait *& lib.* 8.

Et patet calidam qui mihi laudat Aquam
Caldam poſcit Aquam; ſed nondum frigida venit
Alget adhuc nullo clauſa culina foco.

Tandem *Ammianus Marcellinus* de Ampelione ſcribens, ait : *ſtatuerat, ne Taberna vinaria, ante horam quartam aperiretur, neque Aquam vulgariam calefaceret quiſquam.*

Officina in qua vendebantur hujuſmodi potiones *Thermopolia* nuncupabantur. Ita *Plautus. Curcul. Quos ſemper videas bibentes in Thermopolio* : de quo *Pitiſcus* cum Turnebo : *Thermopolium vocabatur taberna ubi confectæ, dulceſque potiones venibant, quas calidas bibebant.* Immò arbitror quadam mixtura dulci uſos fuiſſe antiquos ad inſtar Chocolatæ ſi credimus *Laurentio in Polymat. l.* 2. *Ollis Rhodianis Aquam, qua Vinum miſcebatur, cale-*

fieri olim fuiſſe ſolitam injecta in eam Myrrha, Maſtice, croco balſamo, cinnamomo, & aliis aromatibus.

Bibebant igitur Antiqui, & calidas, & frigidas potiones prout & nos facimus. Quod ſi quæreret aliquis a Viro Medico, an uſus iſte frequens frigida & calida ebibendi laudabilis, vel vituberabundus tanquam nocuus ſit? cum *Ariſtotele* reſpondebo. Virtus moralis in effectu, & in actu conſideranda venit, in quibus magis, & minus, & medium, locum habent: Nimium tamquam vitioſum ſemper reprobatur, medium verò tamquam laude dignum colitur: in hoc enim eſt Virtus: *At virtus*, inquit ipſe, *in actionibus & perturbationibus verſatur, in quibus, nimium, & parum peccatum eſt, & vituperatur: Eſt igitur virtus mediocritas quædam* & paulo poſt. *atque ob has cauſſas nimium, & parum ad vitium pertinent, mediocritas ad virtutem.* Quarè ſatis rationabiliter Mneſitheus in omnibus nimium vituperat. Mneſitheus porrò, ita *Athenæus*, *cenſet in omni re fugiendum quod nimium eſt.* Optimè quoque Alexis inquit: *O quàm jucundum quidquid mediocre eſt!* Ita ego quoque non vitupero potum frigidum vel calidum, dummodo moderatè fiat: & ideo bibant alii Buncum, Chocolaten, The, & alias hujuſmodi potiones: Vinum quoque ebibatur gelidum, aquæ ſaccharo conditæ, ſucco ceraſiorum punicorum malorum, fragarum, & ſimilium: Omne bonum eſt dummodo moderatè uſurpetur. Atque hoc ſit pro reſponſione ad quæſtionem mihi propoſitam: An veteres potu calido uterentur? Sed nunc video nimis diffusè hoc me peregiſſe ut amici deſiderio ſatisfaciam, nec brevitatis & moderationis tam laudatæ uſum feciſſe. Quare huic Diſſertationi finem imponere ſtatuo.

DISSERTATIO XII.

De Vino.

SUb Vini nomine ſuccum Uvarum maturatarum per expreſſionem collectum, per fermentationem depuratum à fæcibus, atque

atque in dolio vi proprii, & nativi caloris perfectè concoctum intelligimus. In Vino prædominare acidum inquit *Ettmullerus*, in quo partes ſpirituoſæ volatilizatæ ſunt per fermentationem, & volatilizationem ſulphuris concreti: Hinc *Lemery* aſſerit Vinum in ſe continere ſpiritum quendam ſulphureum, phlegma, & tartarum, quod conflatur ex ſale acido, oleo, & terra. De Vini laude ſcripſit *Plato de Leg.* vocando illud timoris pharmacum, Senectæ refocillatore, mœroris, & inopiæ oblivionem, ſomni illecebram, fomitem ſpiritus, calcar fortitudinis, mentis incitabulum, ut cum Lupini amari crebra aquarum aſpergine macerati dulceſcunt, ita animum Vino irrigatum miteſcere: nam cùm animus eſt conturbatus, hoc antidoto ſedatur, & ſuadente *Jo. Bohnio* ſpiritus ad conſueta munia ſe recipit, & reſtaurat, ſic optimè *Baptiſta Mantuanus* canit

Suavi repellere vino
Triſtificas nubes animi.

Vinum enim calamitatum, & planctuum obliviſci facit, & circum agendo animo idoneum eſt, ita à cogitationibus etiam alienis avertere ſpiritum, ſibi reddere poteſt, undè *Ovidius* cecinit

„ Vina parant animos, faciunt caloribus aptos
„ Cura fugit, multo diluiturque mero.
„ Tunc veniunt riſus, tunc pauper cornua ſumit,
„ Tunc dolor, & curæ, rugaque frontis abit.
„ Tunc aperit mentes ævo rariſſima noſtro
„ Simplicitas, artes excutiente Deo.

Quamobrem ſuggerente *Alberto Magno de anim. Vinum clarum fumoſum facit hominem bonæ ſpei, & gravitate ſuæ ſpiſſitudinis ſtabilit ſpiritum, & calorem in corpore.* Hinc vina inducere oblivionem miſeriæ ſcripſit *Clariſſ. Burmannus in not. ad Valer. Flaccum*: vires quippe ejus notæ ſunt, cardiacæ dictæ à *Mundio*, quibus cor languidum creditur recreare; etſi revera ſanguinem primariò afficit, non cor: hauſtus enim Vini generoſi

cruori ſtatim intimè unitur, cui motum vegetum, & vigorem conciliat, novumque ſpirituum animalium commeatum cerebro ſubminiſtrat. Optimè igitur *Dolæus* de Vino loquens ait, Vinum facilè in naturam ſanguinis tranſire, deducto in omnem corporis partem alimento, ſpiritus lucidos, minimeque denſos generat, torpentes, & languentes reſtaurat, virtutem cordis corroborat, animum hilaritate perfundit, & mentis aciem, ſenſuſque ad penetranda veritatis adyta exacuit, undè *in vino veritas*. Sic *Zacutus Luſitanus in Prax. admir.* refert, ſe in febre maligna præſente intenſa ſiti, cum linguæ ſiccitate, ac nigredine ægro jam deſperato vinum exhibuiſſe feliciſſimo cum ſucceſſu, ut hoc ſolo remedio æger reſtitutus fuerit. Dulce lac ſenum vinum vocatur ab *Avicenna*, & ſuave lac Veneris dicitur ab *Athenæo*, cujus optimi liquoris encomia collegit *Canonherius*, quæ tamen omnia de moderato illius uſu tantum audiri, & accipi debent; ſiquidem divinus iſte liquor mirificè prodeſſe quotidiana produnt experimenta, ſuo enim tempore ac menſura hauſtus univerſam hominis œconomiam animalem novo quaſi ſpiramine animat, quam è contra, abuſus ejus omnes illius officinas turbat; hinc de vini in febribus ardentibus uſu multa ſcripſit *Clariſſ. Dom. Luc. Schröckius in Miſcell. Curioſ. Dec.* 2. *an.* 2. *pag.* 87. ipſum *Hippocratem* in Febribus vinum permiſiſſe oſtendit *Ant. Lindanus in Select. Med.*, & poſt eum *Petr. à Caſtro*, *Rein. Solenander*, aliique plures. Vinum eſſe veluti medicaminum regem innuit *Alex. Pegoloti in ſuo Dithyramb.* canendo

Baſta à ſanare ogni morboſo tedio
Il vino imperador d'ogni rimedio.

Cùm reſonant arbuſta cicadis vini potu extinguitur æſtus, quod eſt Deorum inventum juxtà *Athenæum*, cujus vini innumera commoda, quem latent, ad coquendum, lavandum, purgandum, medendum, ulcera ſiccandum, ſanandum, & potiſſimùm in omnibus ad ſitim extinguendam, & cibum digerendum; undè Bacchum vocavit *Joſ. Laurentius* Medicum, ſemper juvenem, ridentem, quia vinum exhilarat, ætatem reddit floridam,

ridam, antipharmacum triſtitiæ, ſi tamen in tempore & modicè potetur; quod ſi immodicè ſumatur, Vertiginem, Apoplexiam, Paraplexiam, nervorum reſolutionem, Lethargum poteſt inducere, undè *Illuſtriſſ. Redi* Amicus meus perpetuò venerandus in ſuis *Conſultationibus* faſſus eſt, ſe in quavis cœna, vel prandio novem uncias tantùm vini bibiſſe, & obſervavit *cit. Redi* vitam longiorem fuiſſe in gentibus cùm aquam potarent; en ejus præciſa verba: *Quando gli uomini bevevano aqua, dicono le Sacre carte, che vivevano lo ſpazio di 900. anni, e più; mà doppo, che da Noe fù introdotto il Vino conſidero, che molto fù acorciato il noſtro vivere.* Frequenti experimento obſervavit *Zacutus Luſitanus*, eorum, qui in cellam vinariam ingreſſi vini odore percepto, ebrii fiunt, & ſtupidi, & eo maximè, cùm odor nimiam ſpirituum copiam gignat, ex qua dolor oriri conſuevit; quare vini odor nimius percellendo cerebrum, & nervos, dolorem capitis excitabit, ipſiſque vehementer nocere poterit; ſic *Horatius lib.* 2. *ſatyr.* 4. cecinit

Maſſica ſi cœlo ſupponat Vina ſereno
Nocturna, ſi quid craſſi eſt, tenuabitur aura;
Et dedecet odor nervis inimicus. . . .

Et tanti Viri ſententiam non deſunt plurima, quæ confirment, Vinum immodicè ſumptum cerebro, & nervis eſſe inimicum, ut etiam ſuprà adnotavi. Addo, Androcydem virum naturæ conſultiſſimum, ad deterrendum Alexandrum ab ebrietatis vitio dixiſſe *memineris Rex, quoties vinum biberis, te potare ſanguinem terræ*; nam ſicut homini cicuta venenum eſt, ita vinum cicutæ venenum eſſe ait *Cælius Calcagninus noſter Ferrarienſis*: Poeticè autem dixit Auctor ille citatus, vinum ſanguinem terræ, quòd ſane vir non medendi ſolum, ſed etiam dicendi peritus, videtur non abs re feciſſe, ut vim, ac vehementiam vini magis exprimeret, ſicut enim in corpore ſanguis plurimum pollet, utpotè conceptaculum ſpiritus, & animi vehiculum, ita vinum ad excitandos animos, propellendamque mentem, mirificam poteſtatem habere; alii dixerunt vinum Gigantum ſanguinem eſſe, undè egregiè *Calcagninus* noſter cecinit

Terrigenæ victi, victor Saturnius, actis
Undique Phlegræis mollibus horror erat.
Mœſta parens tellus in vites oſſa redegit
Cæſorum; & vinum eſt, qui modò ſanguis erat
Ah nequis mala vina bibat de ſanguine nata
Qui biberit cædes, exitiumque bibet.

Fuiſſe enim datum mortalibus vinum ſupplicii gratia inquit *Sinibaldus in Geneanthr. lib. 3. tract. 3. cap. 8.* & ex vini uſu hæmorrhoidum dolorem excitari ait *Georg. Franck in ſatyr. Med.* imò ſicuti vinum moderatè ſumptum medicamentum dicitur à *Voſſio*, plus verò juſto potatum venenum vocatur; undè *D. Ephrem. Syrus* ait *timeto vinum, ne ebrietate vincaris, & virtutibus nuderis*, naturæ enim neceſſitati, non voluptati inſervire vinum debere docet, *S. Baſilius in inſtit. Vitæ Cœnobit.*, hocque hornum eſſe debere, id eſt unius tantùm anni ſuadeo: ut pariter ſuaſit Timotheum ſuum *D. Paulus*, ut vinum biberet ad tollendas ſuas ægritudines, en ejus verba; *noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas iufirmitates*, ex quo patet ait *Cornel. à Lapide*, Paulum vinum Thimotheo permiſiſſe, non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem; & cùm vinum à vi deducatur, ideò poteſt vim animo inferre, & noſtram mentem cogitationibus implere, intellectumque velociſſimo ſpiritu agitare, undè perbellè *Athenæus* vocat Vinum ingenii tormentum. Vinum igitur natura bonum ad humanam utilitatem creavit Deus, ut lætificet cor hominis adſtipulante Regio Vate, ut virium robur debilitatum reficiat, ut ſpiritum triſtem oſſa exſiccantem abigat, & ut animum ad quævis ardua fortiter ſuſcipienda vigore ſuo exhilaret, erigat, atque confirmet: Et *Sancto* ſuadente *Ambroſio* Vinum ſobriè potatum ſanitatem præſtet, augeat prudentiam; immodicè autem ſumptum vitiorum cauſas accendat: Plenum enim eſt Vinum virtute Medicinali, quia nutrit, humectat, calefacit, concoctionem promovet, ſomnum conciliat, ſanguinem accendit, ideòque veteres Bacchum nomine Medici ſalutabant: quapropter

Hippo-

Hippocrates etiam in internis inflammationibus vinum dulce, album, aquoſum, paulatim frequenter bibendum ait. Sed non tantùm inquit *Galenus* Vinum ad corporis ſanitatem facit, verùm etiam robur, vireſque corpori addit, undè *Homerus* cecinit *Vinum viro defatigato magnum robur addit*, & ab *Euripide* membrorum confirmator appellatur. Sic *Plato de Leg.* dicit hominem poſt quam bibit hilariorem fieri, viribus augeri, ad dicendum liberum, ad agendum impigrum, & alacrem, eamque ob cauſam Lacedæmonii bibendo armabantur teſte *Euſtachio*. *Horatius lib.* 1. *Od.* 7. canit.

O fortes pejora paſſi
Mecum ſæpe viri, nunc vino pellite curas.

Et *Tibullus*

Bacchus, & afflictis requiem mortalibus adfert.
Cura licet dura compede pulſa ſonent.

Nunc tranſeo ad Vini temperantiam, quam vini dilutionem, ſive temperaturam dixere Veteres, undè *cit.* nuper *Tibull. lib.* 1. ait

Temperat annoſum martia lympha merum.

Miſcere Latinis ſimiliter, & aqua temperare, & infundere ſignificat, cujus temperaturæ auctorem fuiſſe Staphilum *Plinius* ait, cujus mixtio varia fuit juxta temporum intervalla, tum à natura bibentium, tum à natura Vini, tum etiam à tempore, quo potabatur: aliqui enim tres partes aquæ, & unam Vini miſcebant; alii quatuor Vini partes, & unam aquæ; alii quatuor aquæ partes, & unam Vini; alii quinque, & duo pro optimo potu ſumebant: aqua autem de Fonte intelligitur, non de flumine, ut obſervat *Ezech. Spanhemius in not. ad Callimachum.* Sani autem, & natura calidi majorem aquæ poſcunt menſuram, ex adverſo frigidi, debiles, & exercitati minorem. Secundùm etiam anni tempus variet talis mixtio, dilutius enim æſtate, meracius hyeme bibendum erit.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

De Viſione. *

TRipliciter diſſertationem hanc dividendam cenſeo Prima Quæſtio erit circa medium, Secunda circa objectum, tertia verò Inſtrumentum reſpiciet. Si verò alicui placeret quartam ſuperaddere, eſſet ad demonſtrandum per quam ex tribus viis propoſitis, lumen ſit magis neceſſarium. Poſt quæ videbimus quo modo fiat Viſio; & ſic diviſa diſſertatione, a medio incipiamus, & pauca dicamus de tribus his capitibus.

Averroës (*lib.* 2. *de Anima. Comm.* 60.) luminis neceſſitatem tanquam medium poſuit, ſtatuitque hanc Concluſionem: Utrum lumini neceſſaria ſit Viſio? ac ſi de hoc dubitari poſſit; ſed hoc non propter aliud eſt, niſi ad quod ut diaphanum in potentia, actualiter diaphanum fiat. Hujus ſententiæ fuit *D. Thomas* cum pluribus Doctoribus, quorum validiores rationes hæc ſunt ex *Ariſtotele* (*lib.* 2. *de Anima.*) Prima quæ coloris definitionem affert, ut in particula 67. habemus, tanquam a ſtipite definitionem gignit: & eſt, Color eſt origo perſpicui in actu. Altera ratio eruitur a definitione luminis *in particula 69.* ubi ſcripſit, Lumen eſſe actum perſpicui in quantum perſpicuum eſt. Utraque ratio magnam vim habet, & de his aliquid ſubinde dicemus: interim de objecto aliquid diſſeramus. *Avicenna*, (ut ex *Averröe* habemus) omnium prior objectum aſſeruit affirmans, pro objecto, nempe pro coloribus, lumen principaliter fore neceſſarium & in hoc *Lucretium* habuit anteſignanum (*Lib.* 2.) dum probat quatuor elementa nullius coloris eſſe his carminibus:

Præterea quoniam nequeunt ſine luce colores
Eſſe, neque in lucem exiſtunt primordia rerum.

Super

* Ragionamento II. del Dr. G. L. Intorno alla Viſione, in cui ſi cerca, ſe il lume ſia neceſſaria alla viſta, o per lo mezzo, o per l'oggetto, o per lo ſtrumento, & ſi favella d'alcune altre coſe circa la viſione. All'Illuſtriſſ. Sign. Abate GIACOMO FACCIOLATI Publ. Prof. di Padoua.

Super quibus *Thomas Creech.* Anglus : *Concludit Lucretius ſemina eſſe colorum expertia*, *quia color nihil aliud eſt*, *quàm Lux in corpore refracto*, *vel a ſuperficie opaci corporis reflexa.* Et ratio eſt (*Ariſtot. de Anima partic.* 100.) quia lumen facit, ut colores potentialiter deveniant colores actualiter : ex quo ita argui poteſt. Nihil videri poteſt, niſi objecto viſibili in actu poſito: ſed objectum viſibile (hoc eſt color) non eſt viſibile in actu abſque lumine : ergo lumen erit neceſſarium pro objecto. Alia dicunt alii, & præcipuè *Zabarella* (*lib.* 1. *de Viſione c.* 9.) *Piccolomineus* (*de ſens. cap.* 13.) & alii aliter id explicant : quos omnes omitto & ad Inſtrumentum me confero.

Inſtrumentum, nempe Oculus, fautores habet Empedoclem Pythagoram, & Platonem, qui oculum ſolarem (*l.* 6. *de Rep.* & *in Timæo*) vocant materiam igneam, eo quia abſque lumine ad videndum aptitudinem non habet. *Ariſtoteles* Magiſtri ſui ſequutus ſententiam, non in oculo igneo, ſed in luminis neceſſitate (*cap.* 2. *de ſens.*) opinionem Democriti ex parte approbat qui aquoſum oculum aſſerit, & dicit oculum non videre *ſecundum quod aqua eſt*, *ſed ſecundum eſt perſpicuum.* Sed corpus perſpicuum tale non eſt, niſi ob præſentiam luminis : *Actus enim perſpicui eſt lumen.* Ergo oculus abſque lumine non videt : & hic reticere nequeo contradictionem ſatis claram Piccolominei. Scribit hic Author, ſententiam Ariſtotelis eſſe, quod ad hoc ut Oculus videat indiget lumine tum interno, tum externo : *æquè lumen intus & extra expoſcit*, *ut cernere valeat ;* & paulò poſt, notandum eſſe ſcribit quod tunc quando dicimus Inſtrumentum indigere lumine, intelligi debeat de lumine interno a ſpiritibus procedente, non verò externo quia hoc potiùs nocuum eſt. Fateor me hujuſmodi Philoſophiam non intelligere, cùm Ariſtoteles doceat, oculum ex ſe eſſe perſpicuum, *ut ſit receptivus luminis.* Hinc *Alexander lib.* 2. *de Anima. c.* 38. docet oculi pupillam non minus in ſe aërem recipere, quàm lumen : Enimverò ſi colorem ſuſcipere in ſe debet, quomodò hoc facere poterit abſque luminis ſuſceptione ? Sed ad nos redeamus.

Albertus aliam opinionem adſtruit, ex duabus primis com-

poſitam, dicens lumen eſſe æqualiter neceſſarium tanquam pro objecto, ac pro medio, ita & taliter, ut medium a colore dimoveri non poſſit, niſi priùs medium illuminetur, nec color movere poſſit medium niſi priùs color lumine irradietur.

Simplicius Ariſtotelis interpres antiquus, ſed tamen inter ſcriptores ſui ævi Celeberrimus, gratum habuit objectum, & Inſtrumentum; dicit enim exponendò *Textum* 74. *lib.* 2. *de Anima*: lumen neceſſarium eſſe videnti ad colorum perceptionem, & comprehenſionem, & colorem ad movendum viſum; ſed poſtmodum ſuperaddens utrumque compleri non poſſe niſi priùs medium ſit in actu perſpicuum; manifeſtè intelligit, lumen ex ſua ſententia eſſe neceſſarium tanquam medium: & fortaſſe a Simplicio opinionem ſuam derivarunt Zabarella, & Piccolomineus, qui opinantur lumen neceſſarium eſſe pro medio, pro objecto, & pro inſtrumento: ſed conceſſo pro nunc quod ſingulis tribus neceſſariò inſerviat lumen, pro quo illorum, quæro, erit principaliter neceſſarium. Huic Problemati videtur reſpondendum favore medii: rationes, & teſtimonia clariſſimorum Doctorum in promptu ſunt. Primùm multum valet coloris definitio jam allata: Omnis color, inquit *Ariſtoteles*, motivum eſt illius quod in actu eſt perſpicuum: ergo ad hoc ut color moveri poſſit medium, opus eſt, ut medium ipſum ſit ante omnia perſpicuum in actu. Sed tale non evenit niſi mediante lumine; ergò ſicuti medium ante omnia illuminari debet, ita lumen tanquam medium eſt neceſſarium.

Aliam rationem addo ex ipſa luminis definitione, quæ valdè pro medio proficua eſt. Lumen eſt actus perſpicui, in quantum eſt perſpicuum: hæc eſt definitio, & ex illa argumentari poteſt. Illud dicitur neceſſarium principaliter pro aliqua re, propter quam cauſſa eſt cur talis ſit, & ſine qua eſſe non poteſt, adeo ut illud ſit actus, forma, & perfectio talis rei. Exempli gratia: Anima eſt ratio cur corpus animatum tale ſit, & abſque illa tale non eſſet: ulterius eſt actus, forma, & perfectio ipſius: ergo anima dicetur principaliter neceſſaria in corpore animato: ſed lumen ratio eſt cur corpus perſpicuum, ſit perſpicuum, nam ſine illo tale nunquam eſſet, ſed ab illo depen-

dens

dens ut ab actu forma, & perfectio; venit in conſequenti dicere quod lumen quod eſt actus perſpicui, principaliter neceſſarium ſit tanquam medium, nempè tanquam perſpicuum: eò magis hoc dici poteſt, quia Ariſtoteles non dicit lumen eſſe actum coloris neque Inſtrumenti & videtur nullo modo hoc poſſe dici. Eo quia color utique de ſe viſibilis eſt proút *Ariſtoteles* ſcribit *L. 2. de Anima part. 66.* ſed *non ratione*, hoc eſt (ut explicant *Simplicius*, & *Grammaticus*) non eo quia in definitione colorati accipiatur viſibile *tanquam ſubſtantiale quid ipſius*; ſed eo pacto quo Themiſtius, & alii recentiores explicaverunt. Dicunt ſuperficiem corporis terminati eſſe ex ſe viſibilem quia in ſe rationem habet, ſeu cauſam, unde ſit viſibile, nempe colorem. Quia igitur color eſt cauſa cur ſuperficies ſit ex ſe viſibilis, color etiam dicitur ex ſe viſibilis, *non in primo modo eſſendi per ſe*, *ſed in ſecundo*, prout docent *Averroës*, & *D. Thomas*, cum aliis; & hoc quia in definitione viſibilitatis admittitur color, & quia (monente *Scaino* qui affirmat opinionem D. Thomæ) *paſſio ipſa; nempe viſibilitas conſequitur colori, qui in ejus definitione poneretur.* Tandem dicemus colorem eſſe de ſe viſibilem, ſi non quantum ad nos, certè quoad ipſum: ſed perſpicuum lucem non habet ex ſe, hoc eſt, non eſt viſibile (ut docet *Simplicius*) *per aliquod ſibi innatum lumen*, *ſed per adventium.* Ergo lumen recipit ab extrinſeca cauſſa, hoc eſt, a lumine adventitio, ex extero, quod diſcedente, & procul abeunte perſpicuo, quoad ſe, & quoad nos, ceſſat eſſe perſpicuum: atque ideo hoc perſpicuum magis eſt neceſſarium, quia, ut docet *Ariſtoteles*, & *Alexand. lib. 5. Metaphyſ. c. 6.* illa magis neceſſaria ſunt, quæ a cauſſis externis dependent neceſſariò. Ergo lumen magis neceſſarium eſt propter perſpicuum, quod eſt medium, quam propter objectum quod eſt color. Neque dici poteſt Inſtrumentum abſque lumine non eſſe quoad ſe perfectum, quia oculus cum lumine ab extra nihil minus perfectus eſt, quam abſque eo lumine: eo pacto quo ſerra, licet actu lignum non ſecet, eſt tamen perfectum inſtrumentum fabri lignarii, & aptitudinem habet ad ſecandum quotieſcumque ad id adhibeatur.

Huic ſecundæ rationi a definitione luminis derivatæ, addo tertiam ex *Ariſtotele* contra Democritum ſcribente. Opinabatur iſte Philoſophus, quod ſi in Cœlo formicula ſola poneretur, atque illud ſpatium, quod inter Cœlum, & Terram intereſt, ab omni impedimento vacuum eſſet, utique illa formicula ab oculis noſtris intueretur, & quidem clarè. Cui opinioni ſe opponit *Ariſtoteles l.* 2. *de Anima. particul.* 74. negans iſtam formiculam ab oculo humano in tanta altitudine inſpici poſſe; eo quia neceſſe eſt ſenſum aliquid pati a ſenſibili, id eſt, objectum aliquid operari in inſtrumento: ſed non poteſt objectum operari abſque medio inſtrumenti; ergo neceſſe eſt inter oculum, & objectum adeſſe medium opportunum: ergo neque inſtrumentum, neque objectum viſioni ſufficiunt, ſed medium eſt neceſſarium, quod eſt perſpicuum in quantum eſt perſpicuum, hoc eſt, in quantum a lumine illuſtratur: ergo lumen viſioni magis neceſſarium eſt tanquam medium quàm tanquam aliud. Favet huic opinioni *Alexander* tanquam ille, qui conditiones neceſſarias enumerans propter quas ſenſus noſtri operantur, ait *in lib.* 1. *de Anima c.* 13. medium eſſe neceſſarium, ut ſenſorium ſenſibilia admittere poſſit: *neque enim*, ait ille *Viſio fieri poteſt, niſi colluminato perſpicuo*: Et quia cùm narraſſet conditiones inſtrumenti, & objecti, non dicit eſſe pro illis neceſſariam colluminationem, ſed hoc tantum de medio pro viſione affirmat; & hoc, juxtà *Alexandrum*, lumen pro medio eſſe magis neceſſarium videtur affirmandum. Locus *Simplicii* jam allegatus mirè favet medio, cùm dicat, lumen quidem neceſſarium eſſe una cum colore videnti, ad hoc ut poſſit colorem recipere, alter movere inſtrumentum, ſed ad hoc ut utrumque adimpleatur neceſſe eſt medium eſſe diaphanum in actu, hoc eſt, lumine accenſum ſeu illuſtratum: Ergo neceſſitas luminis primùm reſpicit medium, quia medio illuſtrato, de conſequenti color ad actum reducitur, & vires ſuſcipit movendi medium, & ex hoc inſtrumentum, hoc eſt oculi pupillam.

Inſuper *Joannes Grammaticus* aliam rationem ſatis validam adducit. Animadvertens iſte magnus Ariſtotelis interpres definitionem coloris, nempe: *omnis color eſt motivus ejus quod eſt ſecundum*

ſecundùm actum perſpicuum : notat vocem *motivus* idem notare ac *perfectivus* : nam lux eſt perſpicui perfectio , in quantum de perſpicuo potentialiter, illud facit lumine , perſpicuum in actu. Colores augent perfectionem perſpicui in quantum illud ducunt ad operandum, id eſt, in quantum ipſos colores ad inſtrumentum ducunt : & hoc faciunt, inquit ipſe, favore perſpicui : ergo neceſſe eſt, prout ego opinor, illuſtrationem perſpicui præcedere opus coloris in perſpicuo. Et quoniam duæ perfectiones accidunt in perſpicuo, una quæ illi dat eſſe quoad perſpicuitatem, altera quæ dat illi actum ; certè opus eſt, ut priùs in illo imprimatur actus qui dat illi eſſe quantum ad perſpicuitatem, quàm alia operatio , quæ ad oculos colores præſentat. Sed ne ab Ariſtotelicis diſcedamus (quoniam in hac Ferrarienſi Univerſitate Ariſtoteles unicus Philoſophiæ occupat cathedras) ex ipſo *Philopono* aliam deducere fas eſt rationem : Si color agere debet, neceſſe eſt prius ſubjectum & diaphanum illuſtratum : ergo prius hoc diaphanum illuſtrari ſeu irradiari debet : & ſi color eſt perfectio, & quodammodo forma diaphani, evidens eſt, quod prius debet diſponi materia ad formam ſuſcipiendam : ergo lumen prius irradiat diaphanum, ut ad perfectionem diſponatur quæ illi debet a colore tribui.

Hæc & alia allegari poſſent in favorem medii ; nihilominus, ſi finem Viſionis conſideramus , qui eſt recipiendi in oculo colores, qui in corporum terminatorum ſuperficie exiſtunt, quod fieri nequit abſque lumine (*nam ſine lumine color non eſt viſibilis* , ut dicit Philoſophus) nec poteſt apparere diaphanum, & abſorbere & tranſmittere colorem ad oculos, multum valent ad demonſtrandum, lumen ad objectum intuendum, eſſe maximè & præcipuè neceſſarium.

Demùm aliquid de Modo dicendum remanet, quo producitur Viſio. Quicunque ſenſus noſtri , ut mihi videtur, a proprio ſenſibili aliquid patiuntur : quod & in viſione clarè patet ex *Ariſtotele L.* 2. *de Anima. part.* 74. & ex *Alexandro L.* 2. *de Anima. cap.* 38. atque ex aliis Peripateticis : nec non ex *Platone*, *Plotino*, *Galeno*, & *Macrobio*. Hoc poſito , ità diſtinguo : Vel viſio fit in oculo , vel extra oculum : ſi extra, prout opinatus

fuit *Galenus* ex teſtimonio *Piccolominei*, oculus ab objecto nihil patitur, & de conſequenti ipſe non eſt qui videat, ſed eſt radius ille, qui ſecum afferens facultatem videndi, ut dicit ille, ad objectum currit, atque ita viſio extra nos fieret: quod multùm inconveniens eſſet, & Recentiorum doctrinæ contrarium, ac Platonis, quem Galenus profitetur ſequi. Ratio propter quam ad hoc tam inconveniens credendum inductus fuit *Galenus* (ut ex *lib.* 7. *de placit.* videre eſt), hæc eſt: Percipere nequivit tam clarus alioquin Magiſter, quomodo verbi gratia Montis culmen, aliæque res magnæ molis, in pupillæ foramen tam exiguum ingredi poſſent: & ideo ut propria rerum forma, & magnitudo agnoſceretur, opus duxit ut extra fieret viſio, hoc eſt ab extra perciperetur objectum. Si viſio in oculo fit, ut rationabiliter credimus, hoc duplici modo evenire poteſt; vel quia radii humani oculi ad objectum ſe conferunt, & id ad pupillam reducunt; vel quia objectum abſque oculorum attractione ad ipſam pupillam ſe confert, Ulterius id, quod extra ſe mittunt oculi vel eſt ſpirituale, vel corporeum, & unà ſimul id in ſe recipit: Illi qui pro corporeitate ſtant, ſunt *Democritus*, *Empedocles*, *Leucippus*, & *Epicurus*; qui dicunt quod quædam corpuſcula, ſeu parva Idola a rebus viſibilibus vibrantur, & ad oculos perveniunt. Aſt quomodo non imminuuntur objecta, ex hac frequenti, & continuata vibratione? Magnus ſane Olympus eſt, qui ad Cœlum uſque ſerena fronte pertingit, ſed ſpatio tantorum annorum in quibus ſe oculis humanis præbuit cur non imminutus eſt? certe hoc pacto Pygmæus montium effectus eſſet: Ulterius quomodo fieri poteſt quod ex tanta Idolorum varietate, & corpuſculorum quæ humanos oculos feriunt, non oriatur quædam confuſio, ita ut corpuſculum huc, Idolum illuc ſedes non perturbent ſuas, & qui Amaſiam ſuam conſpicere credit, potius felem, aut ſimiam intueatur? Inſuper ſi Idolum dum in ſuam rem abit, ab impetu venti diſtraheretur, evaneſceret ſane, noſque abſque ulla viſione relinqueret. Prætermittamus igitur hujuſmodi ſomnia, & opininioni adhæreamus illorum, qui dicunt, omne id, quod ab oculis exit, & quod ad oculos pervenit ſpirituale eſſe.

Si ergo Viſio fit radiorum promanatione, & illorum reditu cum objecto ſimul in forma ſpirituali, ecce jam ſumus in Academia. *Plato in Timæo; Alcinous de doctrina Platonis cap.* 10. *Macrobius L.* 3. *Saturnal. c.* 14.; *Plutarchus* 4. *Placit.*, *Plotinus de Viſione*; *Joh. Picus lib.* 1. *de doctrina Gentium. C.* 15. *Sebaſt. Foſſius explic. Timæi*, & alii Neoterici unanimiter cum Antiquis aſſerunt, in inſtanti ob oculis vibrari radios collucentes, qui concorditer cum lumine perſpicuo pergunt ad objectum, ad quod aciem intendit oculus: cumque illuc pervenerint quandam formam, & imaginem ſpiritualem ſumunt, atque ope perſpicui illico, ad inſtar ſubitanei motus lucis quaſi imperceptibilis, eam ad oculum perducunt, & per humores illius pertranſeundo per refractionem, & decuſſionem ut vocibus Philoſophicis utar, ad retinam pervenit, & ad opticos nervos, atque ideo fit Viſio: ita & taliter, ut, juxta Platonis opinionem, non ſolum detur exitus lucis ab oculis, ſed etiam ingreſſus, ut ita dicam, ſpiritualiſati. Sed ſi per pauciora, & abſque tot egreſſibus & ingreſſibus hoc fieri poteſt, quare tot incommoda oculis adferre volumus? In uſu quorumcunque aliorum ſenſuum, objecta quodammodo petunt à ſenſibus, ut ab iis recipiantur per modum hoſpitii; & in Viſione, quæ cæteris ſenſibus præſtat dabimus hanc ſervitutem petendi & emendicandi objecta? Quoad me hoc non credendum puto. Inſuper ſi ſenſus, ut monuit *Alexander*, pati debet a ſenſibili, vibrare ab oculis radios *non eſt pati, ſed agere*: Et ſi opponerent, ſenſum pati redeunte radio cum objecto, ego cum dicto Authore reſpondebo, Viſionem non fieri *in tempore*, ſed perfectè in inſtanti; ergo in inſtanti eodem ſenſus erit agens, & patiens: agens vibrando radios: patiens recipiendo eoſdem una cum ſpecie, ut ita dicam, ſpirituali objecti ſi denique dicimus, Viſionem fieri a ſuſceptione ſpiritualis imaginis objecti, diſputabimus hoc cum Ariſtotele, & Alexandro, nec non cum tota Peripateticorum ſequela. Dicunt iſti, quod ſicuti perſpicuum in potentia in ſe recipit perfectionem, ſeu mutationem perfectivam a lumine ſuperveniente, ità perſpicuum in actu movetur & alteratur a colore, quaſi a novo lumine, quæ alteratio complementum dat perſpicuo, quia illi

dat

dat operari, hoc eſt, aſſumere in ſe imaginem, & ſpeciem ſpiritualem objecti, & illam pupillæ præſentare; in qua cum color mutationem faciat quæ jam facta fuit in perſpicuo externo, Anima (dicit *Alexander*) fit videns, & ſentiens. Confirmat deinde *Alexander* Magiſtri ſui opinionem aliis rationibus quæ omittuntur, quia quiſque poteſt illas in proprio fonte adinvenire, eaſque conſiderare.

Galenus præter omnes hanc ſententiam impugnavit, & opponit, ut diximus, impoſſibilitatem portandi montes tam magnos in parva pupilla: & quidem rationabiliter hanc impugnat, cùm neque parvam muſcam tolerare poſſit vel aliud exiguum animal: ſed ſuſcipere in ſe imaginem ſpiritualem rei magnæ molis, *non formaliter*, *ſed repræſentativè*, ut dicitur in ſcholis, nullius impoſſibilitatis eſt; ſicuti neque impoſſibile eſt, neque inconveniens ſpecies ejuſdem rei licet prægrandis, uno & eodem tempore ſimul a pluribus oculis ſuſcipi, quia eodem pacto in plurimorum hominum phantaſia res eadem tota imprimitur, & radicatur. Atque hìc, nihil a propoſito argumento recedens quæro: Quomodo fiat Viſio Amantium? ſolutum jam fuit Problema a *Marſilio Ficino in Convivio Platonis*, hoc pacto: Dum Amatores invicem ſe reſpiciunt, oculiſque feriunt, ex illorum oculis radii nonnulli coruſcant, qui ſecum ducentes ſpirituales exiliſſimoſque vapores, a puriſſimo humano ſanguine genitos, immediatè penetrant intima cordis, & hoc pacto miſerrimi Amantes dando & recipiendo.

- - - - *Longum combibunt amorem.*

Sed hæc eſt communis Amantium viſio invicem ſe conſpicientium: ego ſuperaddo novos ignes, & dico: Mulier amata videt *per extramiſſionem*. Vir amans *per intromiſſionem*. Videt illa *per extramiſſionem* quia extra oculos mittit laqueos, ſcintillas, ignes, lampades, ſagittas, fulgura, ictus enſis, tormentorum bellicorum, infirmitatem & mortem, ut vocibus utar Poeticis & vapores. Miſer igitur qui amat dum viam ad cor ſibi aperit per tot vias. De laqueis *Petrarcha*.

Quando i belli voſtr'occhi mi legare
Da due begli occhi, che legato m'anno:

qua

qua metarphora uſus eſt *Propertius* inquiens

Cinthia prima ſuis miſerum me cepit ocellis :

& prius adhibita fuit monente Caſtelvitrio, a Melæagro Poeta Græco. De Favillis idem *Petrarcha.*

Torno dove arder vidi le faville,
Che il fuoco del mio cor fanno immortale.

& alibi dixit ;

Vive faville uſcian di due bei lumi.

De Igne quoque dupliciter ſcripſit idem Poëta ;

Si frale oggetto a ſi poſſente fuoco ;
Come al ſol neve, e come cera al fuoco.

De fulgure item alibi ;

Nel mio Sol le faville e il chiaro lampo.

& Ferrarienſis *Guarinus* noſter ;

Al lampeggiar dell' uno e l'altro ſguardo

Item *Propertius* de fulgure ;

Fulgurat illa oculis.

Et idem Petrarcha ;

Veggio i begli occhi e il folgorar da lunge.

Torquatus Taſſus pariter quem Ferrarienſem dicere auderem ob longum Ferrrariæ incolatum, & ob ſtudia poëtica ibi exercita ; dixit ;

Lampeggiar gli occhi, e folgorar gli ſguardi.

Sed de *Dante Aligerio* nihil ? Hic de fulgure dixit ;

Ma quella folgorò nello mio ſguardo.

De ſagitta & Veru audiatur *Petrarcha.*

Il colpo è di ſaetta, e non di ſpiedo.

Ergo dari poteſt quandoque oculos mulieris irratos tendere poſſe jacula. De ictu Baliſtæ incendiariæ fortaſſe loquutus eſt idem *Petrarcha* tribus in locis.

Quel colpo, ove non valſe elmo nè ſcudo;
Non trovo ſcudo, ch'ella non mi ſpezzi;
Contro la qual non vale elmo, nè ſcudo.

Ad rem facit id quod legiſſe memini *in lib. tertio Emblematum Italicorum Hieronymi Ruſcelli*, nempe quemdam Bernardum Adorni, ſibi in ſymbolum decreviſſe cupidinem explodentem Baliſtam igneam (*Moſchetto*) cui addidit tale lemma. *Hoc peraget*; quaſi diceret; id quod nequivi armis conſuetis, aſſequar hoc tormento igneo cui reſiſtere nequeunt neque Pelta neque caſſis. Quod ſi eques ille adeo fidebat in intuitu oculorum ſuorum, quid dicendum de oculis muliebribus adeò invincibilibus, & potentiſſimis.

De corporis ægritudinibus a fœminarum oculis provenientibus optimè loquitur *Petrarcha* ibi.

Qual ventura mi fu &c.

Pergerat Poeta ad levandum animum intuitu oculorum Lauræ Amaſiæ ſuæ, quæ lippitudine laborabat in dextero oculo, & illicò idem morbus ad Poetam pertranſiit: ita enim dicit.

Qual ventura mi fu, quando dall'uno
Di duo i più begli occhi, che mai furo,
Mirandol di dolor turbato, eſcuro,
Moſſe virtù, che fe'l mio infermo, e bruno.

ſequitur prope finem

Che dal deſtr'occhio, anzi dal deſtro Sole
Della mia donna, al mio deſtr'occhio venne
Il mal, che mi diletta, e non mi dole.

Anti-

Antiquis temporibus verò ſcripſerat *Ovidius*.

Dum ſpectant læſos oculi, læduntur & ipſi,
Multaque corporibus tranſitione nocent.

Vellutellus ita interpretratur carmina Petrarchæ: Naturaliter evenit quod ſi quis intuetur oculos læſos alicujus, æger fiat ſimiliter in oculis eodem modo.

Tela etiam mortis vibrari ab oculis pulcherrimæ Puellæ confirmatur in cantionibus ejuſdem Etruſci Poetæ.

Che queſto colpo, di che Amor m'ha morto:
Dagli occhi voſtri uſcio il colpo mortale.

Ac eodem pacto quo Baſiliſcus

E doglia e morte dentr'agli occhi porta.

Quod carmen ita interpretatus eſt *Andreas Geſvaldus*: *Cùm ſit* manſuetæ, & placidæ naturæ, nihilominùs tanta virtute pollet in oculis, ut aliquem attentè intuens, occidit. Atque hæc ſufficiant pro ludicro ſolatio de Viſione Amantium.

INDEX
DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO I. *De Capillis.* pag. 287
DISS. II. *De Peponibus, Italicè Meloni.* 293
DISS. III. *De Sturione.* 296
DISS. IV. *De Acetariis.* 299
DISS. V. *De Ceraſo, & Malo Armeniaco.* 304
DISS. VI. *De Mellis præſtantia, & ejus uſu apud Veteres.* 308
DISS. VII. *De Longa Inedia.* 328
DISS. VIII. *De Antiquo Uſu Foculi Menſarii, & Canum Cuſtodia.* 331
DISS. IX. *Locus Petronii Arbitri perpenſus.* 336
DISS. X. *De Antiquorum Veſte Cubitoria, & Convivali, ſeu Cœnatoria.* 339
DISS. XI. *De Potu calido.* 354
DISS. XII. *De Vino.* 358
DISS. XIII. *De Viſione.* 364

FINIS.

OLAI BORRICHII

DISSERTATIO

DE LAPIDUM GENERATIONE

IN MACRO, ET MICROCOSMO

Cui acceſſit

ADDITIO EXC. D. DOCTORIS

JOSEPHI LANZONI

MED. FERRARIENSIS.

CLARISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

VIRO

OMNIUM VIRTUTUM GENERE INSTRUCTO.

INTER ERUDITOS PRIMO.

D. HIPPOLYTO

à MONETIS

PHILOSOPHIÆ & MED. DOCT. PRÆSTANTISSIMO;

FERRARIENS. MED. COLLEGII DECANO;

nec non

ALMI GYMNASII LECTORI ORDINARIO

IN ANIMI SUI OBSEQUIUM

D. D. D.

ADDICT. ET DEVINCT. FAMULUS

HIERONIMUS FILONUS.

AD LECTOREM.

DE lapidum generatione in Macro, & Microcoſmo ſcripſit diſſertationem tam utilem Olaus Borrichius, ut Theophilus Bonetus ea Tomum Primum ſuæ Medicinæ ſeptentrionalis condecorare deſignaverit. Aſt quia modo in ea incidimus tempora, quibus aliqui ſunt Medici artem ſine libris facientes, quaſi Natura in ipſis a nativitate ſcientias quam lacte immiſiſſet: Hoc autem non ex ignari animi malo, ſed ex Avaritiæ praviſſimo more procedere certo ſcio; Ideo decrevi Diſſertationem hanc, utpote mole parvam, ſicque parvo pretio vendendam, impreſſioni tradere: ut omnes poſſint abſque magno nummorum detrimento hac frui, veramque, & curioſam lapidum generationem habere; Addidi & ego aliqua, quæ ad Diſſertationis calcem invenies Amice Lector, & ſcias velim hoc in gratiam Impreſſoris tantum fuiſſe, qui quotieſcunque aliquid reimprimit, nova ſemper aliqua ut addantur ſtudioſorum in gratiam petit.

Laboribus igitur, & Borrichii, meiſque legendo fave, ſi enim ſereno vultu hæc, qualiacunque ſint, excipies, alia cito, LEO lubente, & fortaſſis meliora habebis. Vale.

OLAI BORRICHII

GENERATIO LAPIDUM

IN MACRO, & MICROCOSMO.

NIHIL certius quàm generari, hodieque tùm in ſubterraneis cryptis, tum in corporibus animalium, varii generis lapides, nihil propemodum incertius hactenus quàm quo modo generentur. Nec enim hic conſentiunt Naturæ Conſulti; Ita alii materiam lapidum agnoſcunt terram, alii certi generis aquam; nonnulli fumum ſubtilem terreum; quidam miſtum fumo vaporem, ſunt qui ſuccum lapidificum, ſunt qui partes materiæ ramoſas, ſunt qui læves & glabras comminiſcuntur. Efficiens aliis calor eſt, aliis frigus, aliis ſal, quibuſdam ſpiritus (quem vocant, non explicant) lapidificus, nonnullis forma quædam ſubſtantialis (ſed & illa inenodabilis) quæ ſibi ex apta materia

materia, domicilium conveniens fabricetur. Mihi, cui nec refellere aliorum opiniones libet, nec ſine experimentis admittere, ſimplicius videtur procedere Natura, quàm vulgò creditur, atque ex ſola vulgatiſſimi uſus aqua, in regno ſuo jam conſtituto lapides producere, cùmque in generatione illa fortuitis ſæpe occurſibus ſucci terreſtres & mineralia permiſceantur hinc colorata marmora, & gemmarum illa varietas enaſci. Quòd ſi quis Naturæ nomen, ut vagi ſenſus, abhorreat, dicam, ſolam duntaxat aquam materiam eſſe lapidum. Efficientis autem titulum vendicare ſibi videtur arctior illa particularum aquæ quies in locis tranquillioribus, in quibus illæ cum mutuis ſibi ſenſim occurrant faciebus, nec turbentur ab externo aëre, ſed potiùs leni preſſu e lateris ejus firmentur, propter ſimilitudinem facile cohærent.

Atque ut à materia lapidum ducantur exordia, non utar Thaletis, aliorumque ſummorum Philoſophorum auctoritate; non advocabo Homeri teſtimonium, ſed ab ipſis ſanis ſenſibus, & clariſſimis experimentis auſpicabor. Vix eſt in tota Europa (ut alias terræ partes nunc mittam,) montoſa regio, quæ antrum non oſtendat jam nativum, jam manu excavatum, in quo aqua pura, communis, inſulſa per poros, rimaſque terræ deſtillans, ſponte in lapidem aliqua ſui parte coagulatur; partimque in ſtirias variæ magnitudinis denſata è fornice ſpecus dependet, partim in fundo concreta maſſas diverſæ molis & figuræ illapſu ſuo effingit. Ipſe ego ſimiles cryptas duas in Anglia, in Galliis duas, in Alpibus & Italia plures attentè inſpexi; nec inſpexiſſe contentus, quantum licuit preſſius expendi. In Anglia ergo ad Bathonium oppidum, thermis Bladudianis celebre, in monte vicino ſpelunca ſe aperit, ab incolis loci ad ſaxa ædificiorum excavata, in qua aqua pedetentim defluens in marmor ſubflavum concreta cernitur. Magnificentior Ukiſiana ad Wellis urbem caverna, ſed & horridior, & quantum videre licet, nativa, in qua parietes alibi quaſi mille adamantibus diſtincti reſplendent, alibi vaſtæ molis ſtiriæ ſaxeæ, allapſu guttarum aquearum quotidiano grandeſcunt, & ſi auferantur, brevi nova ſobole repullulant. Fundum autem ſpeluncæ aſperant in-

gentes maſſæ lapidis albi, à deſtillantibus guttis formatæ, quæ & in dies ſua capiunt incrementa. In Galliis infiniti juxta mecum conſpexere ſimilem ad urbem Turonium cavernam, non illam tamen nativam, ſed vetuſtam latumiam ex qua ſaxa olim ad ædem ſacram D. Martini honori extruendam tranſportata. Sed verò Turonienſem cryptam ſuperat varietate, tum Gorgonea illa Ukiſiana officina, tum Gallica altera Sinonenſis ab oppidulo Richelieu non ita procul remota, ubi in manu excavatis elegantiſſimis porticibus, aqua ſimpliciſſima ſenſim depluens, non in ſtirias modò vertitur ſaxeas, hyeme quidem breviores ob internum tum Montis teporem, æſtate ferventiſſima longiores, ob interiorum frigus, ſive motum languidiorem, ſed & guttæ in fundum cryptæ deſtillantes in maſſulas abeunt piſis, amygdalis, piperi longo, aliiſque tragematis aliena facie perſimiles. Nec ab his abludunt Italicæ illæ, tum Piſas inter, & Lucam, in montanis conſpectæ, tum notiſſimæ Tiburtinæ; unde bellaria illa ſaxea, incolis CONFETTI DA TIVOLI nuncupata, quæ tum in Piſana porticu horto Medico incumbente, tum Romæ & Tibure magna varietate oculos paſcunt. Non attingo Baumanni cryptam in Germania, non alias paſſim curioſis obſervatas.

Hic non dubito futuros, qui prætexant ejuſmodi cryptarum aquas vehere, vel fumos ſaxeos, vel ſuccos indurantes, vel ſalium compingentium multitudinem; nec is ſum, qui negem ſive ſalium, ſive vitrioli, ſive alia atque alia ramenta aliquando in Deucalionea illa metamorphoſi fortuito adeſſe; ſed in hoc duntaxat perſiſto, ad ordinarias materiæ lapideſcentis leges talia non requiri, adeoque parum decorum Philoſopho, ſupervacua fingere, cùm ſola communi aqua (quæ tamen non omni ſale caret) in anguſtiis viarum quieſcente totum negotium abſolvi poſſe res ipſa quotidie loquatur. Explorata enim omnibus ſenſibus aqua cryptarum, fontanæ ſimillima deprehenditur; nil evidenter ſalinum linguæ offert, nil coloratum oculo, nil aſperum tactui, nil ſulphureum nari, nil ultra ſolenne, ſtreperum auribus. Nec poſt diſſipatum vi caloris humorem invenitur ſedimentum aliud, quàm quod aliæ dulces aquæ poſt ſe relin-

relinqunt. His accedit potentiſſimum argumentum quòd in Ukiſiano antro quiquid aquæ ob moræ brevitatem in lapidem non ſolidatur, dum è rupe eluctatur, rivulum formet unde hominibus, & beſtiis ſubjecti pagi miniſtratur quotidiana potio, ſine ulla de calculo inde nato querela, id quod aſſeverantius faſſi ſunt loci Incolæ. Similia de Sinonenſi crypta confirmavere Oppidani. Eſt autem Sinon, ſive, ut Incolæ appellant, *Chinon*, oppidulum quidem minutum, ſed clarum natalibus *Rabelæſii*, hominis ingenioſiſſimè vani, clarum adventu Amazonis illius Aurelianenſis, quæ ibi primum Regem deſperationi proximum, & ab Anglis toties fuſum, in ſpem novam erexit, non infelici ſucceſſu. Hujus ergo cryptæ aqua in ſubjectam urbem quotidie defluit, ſolidatiſque in quieto antro bellariis ſuis, potum cætera civibus innoxium largitur. Atque ut inexpugnabilior hæc ſententia judicetur, lapideſcentes aquas dabimus, quas nemo, opinor, mortalium exiſtimabit vel ſaxeo, vel ſalino, vel lapidifico principio turgere. Tales ſunt aquæ pluviæ ordinariæ, quæ in vetuſtos fornices templorum, pontium, portarum delapſæ, & tenuiſſimas laterculorum inter & calcis intervalla, rimulas offendentes, ſe inſinuant, tardéque proſerpentes in interiori tandem fornicis tholo quietem à ventis frementibus inoffenſam nactæ ſucceſſu temporis guttatim concreſcunt, & in ſtirias ſaxeas addenſantur. Tales læto proventu vidi dependere ex artificiali Porticu lateritia palatio Epiſcopi vicina Lugduni ad Araris & Rhodani confluentem, manibuſque his avulſas reſervo: tales inſpexi in porta Mommelliani in Sabaudia caſtelli, tales in vetuſtis quibuſdam Galliæ templis. tales in ruderibus agri Romani. Quis enim ulla veri ſpecie arbitrabitur, vel in pluvia aqua (neque enim huc faciunt pluviæ lapideæ) Gorgoneos circumferri ſuccos, vel eoſdem in lateritio muro multis ignibus peruſto, deliteſcere.

Reſtat credere, quamvis aquam, dummodo, poſtquam per anguſta eluctata eſt, imperturbata ab aëre quiete fruatur, poſſe, immo ſolere in lapidem converti, ea ſcilicet parte, quæ à pondere ſuccedentium guttularum loco ſuo non excutitur: Sed ut quietis illius effectus clariùs ſubjiciatur oculis, ita phænomenon

nomenon concipio : Aqua in anguſtis montium terrarumque rimis diſcurrens proprio pondere (vel, ſi mavis, ab elatere aëris leviter preſſa) vergit deorſum, & qua patet via, deſcendit atque id quidem, ſi via anguſtior eſt guttatim. Hæ guttulæ, niſi citiùs quàm convenit, ab aliis ſuccedentibus, aut loci calore interpellentur, æquales illas, læveſque facies ſuas leni aëris appulſu arctius ſibi conjungunt, mutuiſque amplexibus coaleſcunt, & è fluido ſtatu in firmum facilè vertuntur more ferè ſtiriarum glaciarum, niſi quòd glacies ob ſubitam violentamque congelationem paucioribus cohæreant punctis, eoque citiùs iterum diſſolvantur. Neque hic gluten aliquod fingendum, quo partes coaleſcant, cum omni glutine fortius ſibi adhereſcant partes æquales, læveſque, quoties ſibi duntaxat applicarunt, juxta illud *Hippocratis l. de dieta* : Concors concordi adhæreſcit & antiquorum illud : Ὅμοον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. Ita duo plana adamantum, chalybis, vitri, eboris, ebeni, ſi accuratiſſimè lævigata ſunt, prævia ſola applicatione facierum cohærent tenaciſſimè, de quo plurima exſtant experimenta *Boylei*, *Gærickii* & aliorum. Aſſervantur in arce Regia Hafnienſi duo plana ahenea diametri pedum circiter quatuor, à *Gyntelbergio* non ita pridem ſtudiosè polita, quæ ſi ſibi convenienter apponantur, in directum trahendo vix a quatuor lacertoſis diſtrahentur bajulis. Nec id tantùm in planis ſuccedit ſed & ſi concavis politis polita applicentur convexa, de quo eruditè Illuſtris *Boyleus*. Eſto, hæreant plana firmiùs ſi inungantur vel vini ſpiritu, vel oleo amygdalarum, vel quocunque tandem liquore, illa tamen aſcititia tenacitas non aliunde pendet, quàm quod, cùm plana illa nondum ſint plana abſolutè, liquor hic inania adhuc inter utrumque planum ſpatia impleat, adeòque ſuperficies reddat planiores. Nam eſſe in politiſſimo licet marmore, adhuc penè infinitas cavitates minutas, quas nequeat æquales reddere, argumento fuerit, non tantùm pulvis ipſe, cujus beneficiò expolitur ut adhuc plurimis inhorreſcens angulis, quemadmodum evidenter docent microſcopia, ſed & marmor jam planiſſimum ejuſmodi perpicillo inſpectum; Oſtendi & illud vel muſca, quæ per latera inclina-

inclinati deorſum, marmoris etiam planiſſimi facillimè deſcendit, lapſura in præceps, niſi ope hamulorum, quibus cruſcula ejus armantur, in rimulis ejuſdem ſuſtineret greſſum. Hæc omnia eò tendunt, ut monſtrent particulas aquæ, ut è fluido ſtatu in firmum demigrent, non egere peregrinis additamentis vel ſalium, vel ſuccorum indurantium, ſed in propriis ſuis corpuſculis quietè ſibi occurrentibus acquieſcere, immò quò plus heterogeneorum adfuerit, hoc minùs firmiter ſibi agglutinari. Et ſola hæc ratio mihi videtur eſſe, quod adamantes firmioribus ſibi adhæreſcant juncturis, quàm gemmæ coloratæ; quippe in cæteris gemmis ſolidiſſimam illam per minima conjunctionem impediunt heterogenei colores at in adamante germaniſſimo nihil, ut in quo facies faciebus æqualiſſimè reſpondent, Fingat autem aliquis particulas aquæ, vel anguillarum more incurveſcentes, vel alterius figuræ, non adverſabor, dum conſtet, quod evidens eſt, ſuperficies earundem facilè ſociari, adeòque neceſſariò ad planum accedere. Quoties hæc plana lineis ubique rectis coëunt, pellucet lapis; quoties obliquis obſcuratur; quoties variat pororum amplitudo, variat quoque pondus, quod & ipſum ab admiſtis mineralibus ſæpè variatur.

Nec deſperaverim poſſe induſtriam Naturæ myſtam in crypta à ſe convenienter fabricata aquam in lapidem vertere. Nec illa de procurando ibidem perpetuo aquæ ſtillicidio difficultas inexpugnabilis erit. Vocari enim in uſum poſſunt Sardoa illa ſaxa, quæ Genuæ viſuntur plurima, bibula, & cribris anguſtiſſimis ſimilia, ex quibus mortaria formantur percolandæ aquæ opportuna Quale quidem Hafniæ mihi ſpectatum in Ædibus Illuſtr. Comitis de Rebolledo Legati Hiſpanici qui cùm podagricis vexatus doloribus vinum averſaretur, lympham, quam potabat, priùs ſollicitè per mortarium illud ſolebat colando tranſmittere, ut in alveo coli hærerent fæces, limpidiſſima autem aqua tranſiret. Itaque infuſa ſaxeo huic colo lympha, veſpertino tempore, hora decima ante meridiana poſtridiè jam clariſſimè guttatim tranſierat. Quod ſi vel ita citius permeet, quàm negotio opportunum, remedium facile erit, fundi craſſitudo major. Sed iſta curioſis. Obduces, deſtillare in variis cryptis lym-

lymphas, nec tamen ideo in ſaxum indureſcere. His ut non repugno, quòd in celebri illa, & ſpatioſa, quæ Trajecto ad Moſam imminet, crypta viderim ejuſmodi ſtillicidia in ſolam aquam terminari, ita adjicio, obſtare alicubi moram denſandis particulis neceſſariam, alicubi fumos ſubterraneos, applicationem facierum mutuam turbantes, alicubi laxitatem ſpeluncæ, alicubi etiam oſtium utrinque patens, atque adeo nimis obviuur per flatibus, ſæpè tellurem cavo incumbentem juſto laxioribus eſſe poris quàm ut, lapſantibus guttis, permittat interquieſcere. Nec eſt, quod obturbent exempla in ſpeciem contraria, quæ docere videntur aqua primum omni recedente, fieri rerum indurationes, ut in argilla oſtii fluminis Amazonii quæ ſub aquis molliſſima, ſi aëri exponatur, in ſiliceam ex *Pellepratio*, vertitur duritiem; item corallia Braſiliana, de quibus *Piſò* & *Marcgravius*, quæ ſub undis mollia, in aëre mox obrigeſcunt, Equidem ſi his exemplis debetur fides (nam aliud coralliis in mari Maſſilienſi contingere certum eſt) nihil inde exſculpitur aliud; quàm alia etiam corpora ex aqua magnam partem nata æqualium eſſe facierum, eoque fluctuum motu non amplius interpellante, cùm ſibi relinquuntur facilius coire, & more particularum aquæ indurari.

Cæterùm cùm lapides & internubila generentur, ubi perpetua inquies, cùm in quavis penè humani corporis parte, ubi continua humorum, vaporùmque diſcurſatio, cùm in ſummis rupium faſtigiis, ubi tot fulminum, nimborumque tumultus, in eam nonnulli fortaſſe deſcendent ſententiam, calorem, & quietem in producendis lapidibus partiri operas & utcunque genio diſſideant, in loco tamen negotio vices alternare. Nec iſta priorem ſententiam evertunt; calor enim, more ſuo, diſſipat, diſcerpit, & motu concitato angulos corporum minutiorum figurat aliter, & ſæpe ex accidenti, quod dicitur, complanat; indurare autem in ſaxa propriè nihil poteſt; verùm quoties contingit partes materiæ à calore reddi planiores, toties ubi ille fecit officium, ſuperveniens quies indurat, & in lapidis naturam cogit. Notavi ad calorem ſpeculi cauſtici *Vilettii*, quod in arce Regia hic aſſervatur, oſſa bubula è veſtigio in lapidem vitrei

generis

generis obſcurari faceſcere, ſed verò, quamdiu ſpeculum ſuos ejaculabatur radios, nondum lapis erant, ſed tantum radiis quieſcentibus. Ideo autem calor non ſemper hic neceſſarius eſt, quia ſi planæ jam ſua natura ſunt particulæ, ſponte per quietem, aut certe motum leniſſimum coaleſcunt, quod aquæ ſolet accidere. Quæ ergo ſaxa e nubibus præcipitantur (quales Mediolani mihi oſtendit Illuſtr. *Septalius*, erutum, ſe preſente, è coxa Capucini ad altare fulmine icti) haud aliter ferè generantur, quàm in cryptis ſubterraneis. Illud tantum intercedit diſcrimen, quod in cryptis partes denſandæ jam tum planæ ſint, in nubibus autem tandem planæ evadant ab incidente violentius fulmineo calore. Neque verò deſunt in nubibus præter aqueas, particulæ ſulphureæ, ſalſæ, immò terreæ, quæ à calore ſubito complanari poſſunt, cum quævis aqua pluvia, ſi evaporet, eas oculis ſubjiciat; Sed eadem ſine his ſolidatur, ſi relinquatur ſibi; Omnis enim aqua communis ſtillatitia paulatim abit in bracteas terreas ſubtiliſſimas, luciḋiſſimas, quod alibi demonſtravi

Veniamus nunc ad lapides in humano corpore genitos; utcunque ibi varios diſcurrunt humores, vaporeſque calidi, iſtic tamen etiam à quiete, obſtructionum illa & podagræ, & calculi matre ſolidantur. Neque vero abſoluta quies ad lapidum generationem requiritur, ut quæ nec adeſt in cryptis ſubterraneis, ſed moderatior, & minus interpellata. Et quidem quod ad renes; quoties ſerum ab arteriolis eorumdem per tubulos ſibi convenientes, adjuvante tum diaphragmatis motu, tum proprio pondere, & impreſſo jam ante à micantibus arteriis impetu, eluctatur in pelvim; aliquando pars tubulorum ſtrictior eſt, quam ut deſtillatio ſeri opportunè fiat, ſæpius autem locis aliquot ſtrictior eſt interior illa pelvis tunica, ureterum alveo interno communis, ideoque dum quies, & pauſa hic præter naturam in tranſeundo per anguſtias ſero præſertim pituitoſo conceditur, neceſſe eſt particulas ejus quaſdam ſibi agglutinari, & ſenſim capere incrementa, eo propemodum modo, quo lympha ſubterraneis in cryptis, aut, ſi mavis, ut urina ad latera matularum quieſcens, aut denique ut humores oris ad dentium

 radi-

radices impingentes, ibique per quietem, maximè nocturnam, in tartarum durum coagulari. Neque mihi quidem aliud eſt hæreditaria ad calculum renum diſpoſitio, quàm vaſorum aliquot in renibus anguſtia nimia, à parentibus in liberos quoſdam ſubinde propagata. Sed cùm humores in omnibus propemodum humani corporis partibus, variis de cauſis in præter naturalem nonnunquam demigrent quietem, non mirum eſt penè ubique calculos ſubinde deprehendi. Clar. *Sylvius* inventis in glandula pineali calculis, ut certè me præſente, reperit frequenter, jocari ſolebat: convenire eos animæ Carteſianæ, ut illa his inſidens tanquam è throno marmoreo partibus ſubjectis diceret. Erat enim Carteſii Aſſeclis infenſior. Quod ad calculum veſicæ, iſtuc cum *Fernelio* propendeo, vix ullum eſſe veſicæ calculum, qui rudimenta non arceſſat à renibus, quæ utcunque initio minuta, per ſomnos & ſedentariam vitam, perque diætam craſſiorem facilè ingrandeſcunt, more pilæ, quæ in nivibus humidioribus diù volutata in formidandam pueris molem exſurgit.

Sed quid fiet ſaxis in ſummis rupium jugis? quid iiſdem per telluris faciem variè ſparſis; equidem illud primum in ambiguo eſt, an Alpium, Pyrenearum &c. Cacumina poſt orbem conditum ſaxea fuerint, atque adeo in ipſa induruerint rerum creatione; fac tamen induruiſſe poſtea, quid vero ſimilius, quàm ſummum tum (ut eſt hodieque non paucis in locis) eorundem corticem terreum extitiſſe, per quem collatæ ſenſim nivales, pluviæque aquæ, ut in cryptis invitante loci quiete, in ſaxa abierint? & hos cortices jam terræ motus, jam moles incumbentium nivium, jam aliæ cauſæ potuerunt ex eo tempore ſedibus ſuis excuſſiſſe. Lapides autem per agros, paſcua, ſylvas diſſeminatos quis demonſtraverit non ab initio rerum terra itidem obtectos fuiſſe, & ſupervenientibus pluviis, ventis, terræ motibus, inundationibus, aut ipſo denique univerſali diluvio nudatos? profectò ſub Dio natos eſſe nullum hactenus indicium eſt, utcunque conceſſeris, potuiſſe forſan ſub Dio, ex allapſu quieto pluviarum capere nonnihil incrementi. Sed cùm tellus initio

mundi,

mundi, divino Spiritu velut fermentata, laxior hinc inde & cavitatibus diſtinctior fuerit, ſi conjecturæ noſtræ locus, in eas ſe paulatim ingeſſere deſtillantes aquæ, ibique longa quiete ſenſim obriguerunt. Quin & lapides in alveis fluminum hodie conſpuos primordio rerum ſub terreo quodam operculo natos fuiſſe veriſimile eſt, quod in diſcurentibus perpetuo & ſine obſtaculo lymphis ſatis apta generationi quies vix queat inveniri; Hæc de ordinaria lapideſcentium lege dicta ſunto. Cùm autem ex muſeis curioſorum partim, partim ex hiſtoriis, partim denique ex fontium quorundam, fluviorumque inſpectione doceamur jam integros homines, jam vaccas, pullos volucrum, piſces, ligna, chirothecas, nidos avium, & alia, in ſaxa diriguiſſe, idque in patente quandoque aëre, non rarò in aquis, ſubinde etiam in tellure, de his orta, opinor, ſentiendum; volitare ſæpè in aëre, ſæpe in aquis aliquando & in terris fumos quosdam ſaxeos æqualium facierum, qui ubi ſatis copioſe inciderint in obvium corpus, poros ejus farcire, & lapideam ei duritiem inducere. Atque ut potentius rem ita ſe habere perſuadear non tantum efficiunt ſitientia Africæ, & regionum aliarum ſicciorum, quæ cùm arenarum ſuarum moles tot jam ſæculis hinc inde jactaverint, fieri non poteſt, quin plurimæ earum particulæ minutiores, tam longo attritu læves atque æqualium evaſerint facierum, adeòque facilius inſederint meatibus obviorum quorumcunque; & hodieque inſidere poſſint; ſed & pulmones latomorum, qui poſtquam in cædendis ſaxis occupati fuerint aliquandiu, tantum ſenſim fumi illius ſaxei per anhelitum recipiunt, ut in bronchiis ſuis à morte veros lapides nonnunquam oſtendant, de quo exempla apud *Schenckium* proſtant & alios. Hæc ramenta ſaxis excuſſa, cùm maximam partem, ut rationi conſonum, inæqualium ſint ſuperficierum, ſive ut loquuntur, irregularia, non mirum eſt plures pulmonum in lapicidinis ab iiſdem vulnerari, quàm ſolidum corpus in ſe recipere: Quoties autem, nimis aperto laryngis operculo, æqualiora ſubeunt pulmones ramenta, eodem propemodum modo in lapides ibi ſolidantur, quò in li-

 bero

bero aëre, & cætera lapideſcunt. Similes fumi lapidum & arenarum, cùm à ventis huc illuc ſpargantur, neceſſe eſt eosdem quandoque & in undas incidere, & his comitibus in telluris gremium nonnunquam penetrare, unde & his elementis ſuæ ſunt peculiares quandoque indurandi poteſtates. Quia autem fontes nonnulli perpetuo has cuſtodiunt leges, credibile fuerit vel in eorum vicinia adeſſe arenas ejuſmodi minutiſſimas quæ novum undis miniſtrent pabulum, vel à ſubterraneis ignibus nonnullas ſaxorum atomos leviores perpetuò verſus terræ corticem propelli, & in fontium horum origines terminari, illud fortaſſe non absre fuerit adjeciſſe, in muſæis ſæpè etiam oſtendi ea in ſaxum indurata, quæ perpetuò ſaxa fuere. Vidi in nobili Pinacotheca fragmenta nonnulla aſſerum imaginariorum, quæ præmonſtrator ſine omni hæſitatione ex ductibus venarum judicabat ex ligneis in ſaxea migraſſe, quales tamen ductus in Alpibus jam antea conſpexeram eſſe ſaxeos, immo tota rupes ſimilibus ductibus & undulis conſtantes. Deſtinaveram hæc pluribus perſequi, ſed quia in Actis his agendum preſſius nec ab experimentis longius ſecedendum, ſatis erit indice digito mentem hic ſignaſſe; *Intera qui optimè conjecerit, optimus cenſetur vates.*

APPENDIX

QUÆ hactenus de aquæ in lapides mutatione diſputata ſunt, non eò tendunt, ut perſuadeant non dari alios indurandi modos in rerum natura, ſed ut innuant, non requiri ſuccos peculiares, ſpiritusve lapidificos, aut ſalia condenſantia ad generationem lapidum; quanquam enim inter indurandum ingerant ſe ſubinde varia oleoſa, lenta, ſalſa, ſæpè tamen ſine eorum miniſterio negotium abſolvitur & quò eorum plura adhæreſcunt, eò plerumque minus tenax conſolidatio eſt. Alioquin quemadmodum aquæ particulæ æquales in locis oportunis, facilè in ſolidum corpus abeunt, ita & omnia propemodum fugacia, &

etiam

etiam partium inæqualiſſimarum ſiſtuntur induranturve, ubi mutuo attritu ramos, angulosque ſuos nimium extantes perdiderint, adeoque more particularum aquearum facies faciebus aſſociarint; Id quod multiplex me docuit experientia; ex quo penu nunc ſequentia depromuntur.

Rec. Olei camphoræ } ana *q. ſ.*
Olei vitrioli }

Miſce, *& per retortum vas vitreum alacri igne propelle, ut omne, quod exſudare poteſt, tranſeat, in excipulum: reliquias in fundo nigrantes igni violento admove, deprehendes conſtantiſſimas, utcunque ante paucas horas fugatiſſimè extiterint.* Secundò: *cape oleum quodvis ſtilatium, deſtillet iterum calore paulo vehementiori, & in fundo partem ejus jam fixam, omnibuſque ignibus diu inviciam offendes, de quo pluribus in tractatu de opio.* Tertio: *diſſolvatur in aceto ſtillatitio plumbum, & poſt moram aliquot dierum evocetur iterum acetum illud per balneum Mariæ; quod cùm aſcenſu illo ſatis tum prodat ſe volatilium eſſe partium, relinquatur ſibi æſtivis aliquot menſibus in vitro capaciori, non nimis ſtrictè obturato, concreſcet in ſuperficie ejus cutis ſpiſſior, ad ignem primùm inflammabilis, mox in pulviſculum fixum conſtantemque deſinens.* Quarto: *Sal ammoniacus inter fugaciſſima meritò corpora numeratur, nec minus fugit arſenicum ad præſentiam flammarum, jungantur tamen hæc duo ſollicitè, & quemadmodum vocant Chimici vulgo, ſublimentur, & multum cineris fixi in vaſe poſt ſe relinquent.* Quinto: *Nitrum ſulphuri incoctum magna ſui parte vertitur in inſipidum, ignemque contemnentem tophum, id quod & quondam* Plinio *obſervatum eſt.* Sexto: *Sal eſculentus (qui & ipſe facile in ſpiritum attollitur) ad* Aiguemorte *in Gallia ita ſenſim ſpicula ſua amittit ad ſolem æſtivum æqualiumque evadit facierum, ut cortices ejus in metis ſalinis more ſaxi indureſcant, & nulla poſt aqua diſſolvantur, maxima equidem ſui parte, quod præſens obſervavi. Obduces: cur ergo ſulphur argento vivo permiſtum, dum ſimul gradiuntur in ſublime, nil adeo argenti vivi ſolidatum in vaſe oſtendit? Quia robuſtiores ſunt anguli Mercurii, q àm ut à fumis inconvenientis ſibi ſulphuris loco ſtatim moveantur complanenturve.*

JOSE.

JOSEPHI LANZONI

PHILOSOPHIÆ & MED. DOCT. FERRARIENSIS.

ADDITIO
AD
OLAI BORRICHII

DISSERTATIONEM DE LAPIDUM GENERATIONE IN MACRO & MICROCOSMO.

TAM eruditè, & clarè, *Famatiſſimus Olaus Borrichius* in adducta Diſſertatione generationis lapidum hiſtoriam in Macro & Microcoſmo explicavit, ut nil aliud, quod ad id faciat, expectari poſſit. Nonnulla tamen ad majorem Tyronum eruditionem à variis Auctoribus decerpta, circa lapidum in macro, & microcoſmo generationem hîc ſubjectare cogitavi, certò ſciens *Clariſſ.*

Clariſſ. Borrichii ſententiam aliorum Doctorum cogitatis roboratam, nitidius & majori lumine litteratorum per orbem ſplendeſcere poſſe, & auctam aliorum ſententiis, ornatamque variis opinionibus per eruditorum Palæſtras, cæterorum omnium veluti Anteſignanam & Principem, decurrere.

Incipiamus itaque à lapidibus Macrocoſmi, ut poſtea deſcendamus ad Lapides Microcoſmi.

Lapidum enim genus magno in mundo, dictante *Schrödero*, aliiſque pluribus fit ex peritomate ſalino terreſtri, quod in nutritione rerum redundat, vique ſua lapidifica, in lapideam duritiem coagulatur, cui non aſſentit *Borrichius* noſter, & *Frider. Hofmannus* quantumvis *Pharmac. Schrôd. commentator*, unde enim probabitur hæc aſſertio, & quonam fundamento erit ſtabilita? Quis unquam, vel tantillum ex tot differentibus lapidum generibus, quod eorum fixationis ſit cauſa, ſalis extraxit? Quid ſalis in corallis demonſtrari, quæ juxta aliquorum ſententiam in aqua ſalſa, dum remanent mollia ſunt, indè verò educta indureſcunt? Quid ſalis evinci poteſt, ex fuſi Saturni corpore in Mercurii vivi corpus tranſire, quod in eo coagulationem efficiat? Principii equidem ſalini magna videtur eſſe potentia in quorundam corporum coagulatione expedienda, hæc tamen nullatenus provenit à peculiari vi lapidifica, ut docet *Frider. Hofmannus*, ſed ex illorum corpuſculorum figurâ & motu, quæ per naturam magis apta ſunt, quam alia plura concreta, ſeſe aliorum corporum poris inſinuare, eorumque particulas tam ſuismet quidem, quam ſibi invicem nectere, idque corpuſcula illa, quaſi cuneatim jungendo, vel rigidis, & gracilibus ſuis partibus, vel auctis ſuis angulis, vel aciebus plura eorumdem penetrando. Hic autem ignoſcat *Sennertus*, qui *lib. de conſenſ. & diſſen. Chym. cum Galen.* pronuntiat, ſalem cum ſulphure omnibus ineſſe mixtis; nam bonâ ipſius veniâ, probationes ſolidatas iſtius aſſerti optat ante citatus *Hoffmannus*; oſtendere enim oportet quomodo per mechanicam ſal, & ſulphur ex gemmis vel aliis lapidum generibus extrahi poſſit.

Statuendum igitur cogito cum ſanioribus Naturæ Interpretibus, omnes lapides fructus aquæ eſſe, cum mediante ſale cir-

culato, ut docet *Helmontius*, ſuam omnino fixitatem amittant; & in aquam tranſeant æqualem in pondere lapidibus, ex quibus emanavit: Hinc poſtea *Bernardus Paliſſy Philoſophus Gallus* ex aqua omnes lapidum generationes fieri deducit, duas ſtatuens aquas, unam materialem, aliam congelantem: Et *Robertus Boyle lib. de gemmis* primam gemmarum originem liquidam eſſe ſubſtantiam cogitat, quæ ſi cuidam tincturæ minerali, dum fluidæ, vel molles ſunt, imbuantur, colores pro ratione mineralis obvii acquirant. Terram verò plenam eſſe menſtruis, aliiſque variorum generum liquoribus, ſtatuerunt aliqui è fodinis, per quas vagantur, variè imprægnatis, qui quibuſdam caſibus vice menſtrui fungi, alio verò modo concurrere ad productionem corporum mineralium poſſint: Quemadmodùm verò omnia, quæ producuntur, ut docent: *Frider. Hofmannus*, *Tachenius*, *Vander Beckius*, aliique, ex aqua, & ſemine fiunt; ita lapides ex ſeminibus petrorſis fiunt, donec fluxu ſeminum maturato, partium corpora conſtituentium, ex aqua, ſivè ſale abundent, vel non, ita diſponant, & figurâ, & motu apta reddant, ut ex his ſtabile, ſolidumque corpus fiat. Ubi autem hujuſmodi ſemina petroſa in aquis deliteſcunt, quidquid illis injicitur, in lapillos condenſatur; de quo plura apud *Clar. Stenonem in diſſert. de ſolido intra ſolidum naturaliter contento.* Lapides hinc omnes ex aquâ tùm generari, tùm nutriri, deſcribit *David. vanderBeckius*, & in aquam ultimò reverti plurimis comprobat demonſtrationibus phyſicis in ſuis experimentis, & meditationibus circa naturalium rerum principia. Saxa vero tripliciter dividere *Helmontium*, patet; animalem lapidem alium vocando, alium vegetabilem, tertium mineralem; dicit enim ipſe duelech, ſeu calculum humanum, lapidem cancrorum Bezoar. *&c.* lapides eſſe animales; nucleos perſicorum meſpillorum *&c.* vegetabiles; ſilices demum, gemmas *&c.* minerales aſſeverat; quæ diviſio, an rectè tradita ſit videre eſt apud. *Eruditiſſ. Hofmannum comment. Pharmacopeæ Schröder.* videtur enim animales lapides potius oſſa ſaxea eſſe, quia cremantur, & multis ſubjacent mutationibus, quibus non ſubiectantur vera ſaxa, & pariter vegetabiles cremabiles ſunt, ut Gagates, qui lapis potius nodoſum eſt lignum,

quàm

quàm petra. Unde poſtea cùm pateat lapidum generatio in Macrocoſmo, hinc eſt, quod ex ejuſmodi principiis aqueis ſcilicet particulis, & ſeminibus oriantur gemmæ, quæ an in uſum medicum veniant videre eſt apud *Hercul. Saxoniam*, *Braſavolam*, alioſque. Hinc Granati, gemmæ ſcilicet rubro-lucidiſſimæ, in Bohemiâ, & Hiſpaniâ enaſcuntur; Hyacinthi in Sileſiæ, & Bohemiæ confinibus, ac in Oriente; Rubini, & Saphiri nobiliores in Inſula Zeylan & flumine Pegu, ignobiliores in Coria, Calecut, Biſnagar & Cambæia; Smaragdi in Oriente, & Occidente; Corallia, & Margaritæ ſub aquis marinis; Lapides Bezoar in ventriculis Caprarum & Simiarum; de quibus plura lege, Lector Amice, apud *Fr. Hofmann. comm. in Schröder. Pharm.* & *Jacob. Bontium*; nunquam enim cum *Serapione* & *Ariſtotele 2. meteor. cap.* 4. ex calore evinci poteſt oriri ſaxa, quemadmodùm oſtenditur de luto, quod ſolaribus radiis expoſitum induratur; gemmæ enim, & ſaxa reliqua in terræ viſceribus præter calorem gignuntur, immo in fluminum, & marium undis, ubi ſummus eſt error, calorem & ſiccitatem aſſignare impoſſibile eſt; ut confirmat Clar. *Riverius Praxeos med. lib.* 14. *cap.* 1.

Ast hic relictis magni Mundi lapidibus, ad Hiſtoriam Mundi parvi, id eſt, hominis lapidum generationis gradum faciamus, quos in variis poſſe naſci partibus oſtendunt obſervationes Medicorum, hinc in veſica fellea cadaveris unius Lictoris triginta lapillos ſe inveniſſe, carbunculi adinſtar pellucidos, teſtatur *Georgius Scharpius*; *Helvigius* de aliis idem confirmat; *Hieronim. Mercurialis* lapides in inteſtinis exiſtentes dolores colicos cauſantes obſervat, necnon idem demonſtrant *Andreas Cnœffelius*, *Lucas Schroockius*, *G. Fabr. Hildanus*, *Jo. Schenckius*, *Greg Horſtius*, *Marc. Donatus*, *Gothofred. Moebius*, aliique non ignobilis famæ Auctores quorum lapidum in humano corpore productionem vario explicant varii.

Hippocrates enim *lib. de aëre*, *aquis*, *&* *locis*, quem plures Medici ſequuutur, ait, ex humore craſſiſſimo, ac bilioſiſſimo in renibus, aut aliis humani corporis partibus, manante, ac ſtagnante, paulo poſt coacervari calculum, materia enim pi-

tuitoſa, & craſſa ad calculorum generationem faciens, maximè accuſatur à *Galeno* cum aſſeclis vel ut alii Recentes materialem cauſam fœculentam, limoſam, tartareamque dicunt, efficientem verò calorem materiam illam exſiccantem, & indurantem, atque in lapidem convertentem; quæ doctrina ſi vera eſſet, ſequeretur in cerebro, & ventriculo, ubi tales humores maximè redundant, frequentius calculos fieri; nec opponere valet, illis in partibus calorem non eſſe ſufficientem ad concretionem faciendam, nam ex *Hippocratis*, & *Galeni* doctrina calor remiſſus actione diuturniori ſufficit ad concretionem efficiendam; & hinc, monente *Riverio*, ratio petitur, cur Senes ad calculorum generationem ſint magis diſpoſiti, cùm juvenes renes habeant longè eis calidiores.

Nonnulli, inter quos *Th. Burnetus*, a dicta abhorrentes opinione, ſtatuerunt cauſam materialem eſſe lapideſcentem ſuccum, efficientem verò ſpiritum lapidificum, ſeu calculoſam diſpoſitionem, quam renibus eſſe infixam volebat *Fernelius*. Succum lapideſcentem vocant humorem quendam innatâ, & peculiari vi præditum, ut in lapidem convertatur; & hunc probare conantur ex generatione lapidum, quæ fit in Macrocoſmo; ſiquidem ex pluribus conſtat Hiſtoriis, & præcipuè ex ſupra notata diſſertatione *Clariſſ. Borrichii*, aquas quorundam fontium in ſaxa converti, & quæcunque injiciuntur, ligna ſcilicet, animalia *&c.* intra paucos dies ipſas cruſtâ lapideâ obducere; liquores in montium cavernis in ſtirias, & columnas mutari, ac denique quandam vini particulam ſaxeam duritiem acquirere, nos quotidie videmus, quæ doliorum parietibus adhæreſcens tartarum dicitur; tum etiam in ipſis urinis quæ claræ, ac limpidæ redduntur, poſtquam refrigeratæ ſunt, in lapideam quandam ſubſtantiam concreſcere, & matulæ parietibus adhærere frequenter conſpicimus. Hinc in capite, & matrice vaccarum lapides aliquando reperiri teſtatur *Plinius*, & in felle ac pulmone Bovum *Cardanus*; neque miror, locis in iſtis quòd gignantur lapides, dum etiam fœtus integer in utero materno lapidefactus in Galliâ viſus fuerit à *Clariſſimo P. Borello*, de quo fœtu liber doctiſſimus

mus de Lithopædio extat, & videre eſt in *Eyſſonio de fœtu lapidefacto*, quin, quod mirabilius eſt legitur apud *Aventinum in hiſt. Bavariæ* XL. Paſtores cum vaccis lapidefactos fuiſſe in aquis quibuſdam è cavernis erumpentibus, de quo plura apud citatum *Borellum*, & *Becherum in Phyſic. ſubterranea.*

Hinc *Franciſcus dele-Boe Sylvius* verus medecinæ practicæ ſplendor, poſtquam faſſus eſt nondum innotuiſſe, in quo calculos efficiendi vis conſiſtat, ſuam aperit ſententiam dicendo ſolvi calculos omnes, quales ille hactenus offendit, in ſalis petræ, aut nitri acido ſpiritu, unde concludit à ſpiritu acido tali, non poſſe calculorum expectari coagulationem, ergo ab alio, illi ex parte ſaltem ſubcontrario. Quod ſi quis varia conſideret quæ concretionem rerum naturalium promoveant, reperiet auſteris eam ineſſe vim, unde ab eis glutinoſitas, & tenacitas rerum fluidarum produci ſolet, quibus ſi jungantur terreæ, ſalinæque volatiles partes, aliquid calculis non valde abſimile exſurget: Propendet itaque *Sylvius* in hanc ſententiam, ſcilicet, concreſcere materiam terream, & ſalinam volatilem, glutinoſæ junctam, humoris auſteri ope in calculos, quæ vis auſteri coagulantis infringitur, inquit ipſe, ab acido acri, quale in nitri ſpiritu adinvenitur: Calculos autem humanos non tantum intra corpus produci poſſe, verum extra, idem docet *Sylvius in append. Prax. medic. tract. 5., ubi agit de cachexia*; ſæpius enim videre eſt urinam limpidam excerni, in cujus fundo ne quidem poſt horam unam, vel plures, ullæ ſubſident arenulæ, verum aut eodem, aut ſequenti die (ut paulo ante notavi) plurimæ tum in fundo, tum in lateribus matulæ concreſcunt, ac ſe promunt conſpectui arenulæ ut plurimum flaveſcentes, aut rubentes, rarò albicantes; quemadmodum verò ex urina excreta ſecedunt aliquæ partes, quæ ſenſim coagulantur in arenulas minores, variæ tamen magnitudinis, & duritiei; ſic putandum eſt idem omnino contingere in ipſis renibus aut veſica, aliiſque partibus; & arenulas ibi genitas ſenſim augeri donec in magnos creſcant calculos, ni priùs exturbentur, vel excernantur.

Generationem autem genuinam calculorum in humano corpore

pore in hoc conſiſtere cogito, relictis omnibus ſupra allatis opinionibus, quod terra volatilis ex fracido ſuo feminio prognata recipiat occurſantem urinæ ſpiritum, cui ſi obviet aqua illa ardens, lucta oboriatur, & permeent ſeſe intimè, perque atomos in ſe operentur, quoadusque calculus condenſetur, quod etiam confirmat *Clar. Frider. Hofmannus*, exiſtunt enim in corporibus noſtris fodinæ, non illæ quidem ad ædificandum inſtructæ ſed potius ad diruendam totius corporis fabricam.

Calculi poſtea humani pulverem vim ſummam lithontripticam ſervare docent nonnulli; immò alii pro Bezoardico potenti calculum ponunt; pulverem enim calculorum maximè ad ſudorem facere aſſertit *Jacob. Bontius* cum admixta Theriaca, aut Mitridatio, addito tantillo olei deſtillati ſuccini, aut juniperi; demum calculi humani ope mitigatam vidit philtrorum perniciem Clar. *Henr. ab Heers obſervatio* 13. Non autem calculis tantum, ſed & lapidibus omnibus Macrocoſmicis magnas, & ſublimes ineſſe virtutes plurimi Naturæ ſcrutatores docent, inter, quos præcipuè extat *Jo. Helmontius* ubi de medicamum poteſtate tractat ſua naturali præſtantia.

Hic autem ſubnectere huic additioni ad *Olaum Borrichium*, mihi liceat nonnulla notatu digna circa miniſterium, quo aliqui conantur Chirurgi calculos grandiores, è corpore humano extrahere, quod opus Nephrotomia, ſeu Lithotomia dicitur à Medicis, quæ nihil aliud eſt quam ſectio renum vel veſicæ ad calculum extrahendum facta, quam operationem agnoviſſe Antiquos Medicinæ profeſſores habetur ex *Hippocrate lib. de internis affectibus*, ubi ait: *Quando vero intumuerit, & extuberaverit ſub hoc tempus juxta renem ſecato, & extracto pure, arenam medicamentis urinam cientibus curato* ex quo bene patet Lithotomiam primis cognitam fuiſſe magiſtris, unde *Avicenna* hujus operationis pluries mentionem facit: Ego autem cum *Baccanello & Sylvatico* impoſſibilem iſtam functionem cogito, licet adſint plures, inter quos præcipuè *Rouſſettus & Chiuccius*, qui hoc opus conantur defendere; quoniam oportet penetrare per muſculos, dorſum, oſſa magna, nervos, arterias, & magnas venas, ex

quo

quo certum periculum arguitur, & ſalus ferè nunquam ægri acquiritur; & ſi ſalus per hanc operationem haberetur, tamen adhuc bona, & ſalutaris operatio non eſſet nam iſta calculos genitos tollit, ſed non à viſceribus, & à maſſa cruoris particulas illas & ſemina petroſa, de quo ſupra dictum eſt, expellit, & annihilat: Unde hanc cognoſcentes veritatem, lithotomiam tanquam inutilem, immò damnoſam eſſe cogitarunt nonnulli ſaniores Practici, inter quos numerari poteſt Clar. *Raimundus Joh. Fortis*, *Bernard. Verzaſcha*, *aliique* plurimi in praxi medica verſatiſſimi; ideòque *Tulpius l. 4. obſerv.* 27. Nephrotomiam ceù operationem ſummè periculoſam planè rejicit dicendo! *An rectè, an perperam ea inſtituatur, viderint illi, quibus notus eſt cùm ipſorum renum, tum calculorum inibi concreſcentium ſitus: qui, ut non ſemper ſunt hujuſmodi, ſic diſcrepant interdum evidenter formâ, loco, numero, ac magnitudine, diſperſiſque radicibus per renum carnem, inſident nonnulli ipſorum ſubſtantiæ, quam ut ſine omnimodâ ipſius dilaceratione, inde extrahi queant? Quid, quod diſſectis tubulis ad papillares proceſſus, ſivè glandulas ſerum provehentibus, neceſſariò conſequatur perenne ulcus, quod non minùs moleſtum eſſe arbitror, quam ipſum calculum in renibus permanentem; nequid jam dixerim de lumborum nervis, viciniis venis &c. quorum omnium anceps eventus facilè plus damni, quam emolumenti afflictis daret*, & ſupra etiam hiſtoria ab ipſo *Tulpio* fuit adducta, ubi calculus ſpontè ſuppuratione per lumbos exivit; ulcus autem relictum, nullo modo ſanari unquam potuit; ſine verò præjudicio credi poteſt, Nephrotomiam poſſe adminiſtrari, quando ren intumuerit, & elevatus fuerit, monente *Hippocrate loco ſupra citato*; in hoc enim caſu natura ſibi parat iter, & tali modo ſectos convaluiſſe teſtatur nonnullos *Schenckius*; ſed in alio caſu impoſſibilem eam omninò eſſe judico; optima enim eſſet ſi tutò poſſet fieri, ut ait *Ben. Sylvaticus cent. 3. conſult. 55. referente doctiſſim. Theophil. Boneto in Mercurio compital. l. 3.* ſed ad impoſſibilia nemo tenetur; licetque aliqui dicant, hanc fieri poſſe à natura, ergo & ab arte; tamen eſt contra; plurima enim fiunt à natura, quæ ab arte haud poſſunt, cujus exemplum habetur in hydro-

hydropicis, in quibus ſponte ortis in tibiis ulceribus ſanitas elucefcit, ſed ſi ulcera arte parentur, corumpuntur & mors ſupervenit de quo apud *Dom. Panarolum pent. ult. obſ.* 42. Scio tandem hanc operationem, Lithotomiam ſcilicet, feliciter eveniſſe in quodam nobili Medunenſi morte à magiſtratu damnato, & hanc paſſo operationem gratiato, referente *Ambr. Pareo Chirurg. magno l.* 24. *cap.* 16., ſed quia hîc Nephrotomia velut deſperata in condemnato fuit facta, ideo non imitanda, nec ſequenda, ut paulo ante dicebam.

Plura verò de hac operatione chirurgica ſi cupis, *Lect. Amice*, conſule *Gothofred. Moeb. Fundam. Med*, *Hieronymum Fabritium ab Aquapendente*, *de chirurgic. operat.*, *Antonium Philip. Chiuccium in ſuo prompt. Chirurgico parte* 2., *Jo. Van - Horne Microthecnæ pag.* 142. *alioſque.*

QUaliacunque autem de lapidibus in magno, & parvo mundo, hæc breviter ruditerque à me *Clar. Olai Borrichii* diſſertationi addita ſint, accipias velim ſereno vultu, *Lector Benevole*, nec arrogantiam ignari mei calami damnes; cuperem enim te certum eſſe, me non ad docendum, ſed ad diſcendum ſcribere, & ut magis Auctorum, quorum opiniones adduco, dictata in philoſophicis academiis refulgeant. Scio multos fore fortaſſis, qui malignis ſaltem verbis, quia aliò non poterunt, mea hæc ſcripta inficient, iſtos autem ad meliora ſcribenda provocare non audeo, aſſerere enim juſtè poſſem eos de illis eſſe, QUI DICUNT SED NON FACIUNT. Verùm talis abſit à me inſolentia, meritò enim me arrogantem redarguent, & indoctum, & imperitum declarabunt. Neque me latet (& hoc mihi pro ſumma laude oſtentare fas ſit) ignaviam meam eſſe magnam; nam ſumma ſemper fuit gloria, SEMET IPSUM NOVISSE.

F I N I S.

HEN-

HENRICI

à

MOINICHEN

DOCTORIS MEDICI REGII HAFNIENSIS

OBSERVATIONES MEDICO-CHIRURGICÆ

Miſſæ ad

THOMAM BARTHOLINUM

Nunc demum à

JOSEPHO LANZONO

MEDICO FERRARIENSI

Scholiis adauctæ.

CAPUT I.

Dolor dentium periodicus.

FRranciſcus Donadonus Medicus Venetus, ſemel quot annis laborat dolore dentium ſuperioris maxillæ; qui in abſceſſum abit, è quo concocti puris cochlear unum effluit dolore penitus evaneſcente. Varia olim tentavit utpote, purgationes, venæ ſectiones, anodyna, & alia, modò nihil conatur, niſi quod ſtatim ac dolor invadit, tumenti gin-

givæ emollientia, ac maturantia imponat ad citiorem incluſæ, peccantiſque materiæ exitum, quem in gingiva lancetta ſollicitat: dicta puris quantitate elapſa, nullus amplius præſentitur dolor, ægro ſtatim convaleſcente.

SCHOLION LANZONI.

ACutiſſimos inter dolores meritò ponitur odontalgia, hæc enim ſecundum *Celſum* multos ad deſperationem portavit; hinc *Borellus* de Ruſtico refert tanto dentium dolore vexato, ut pro mortuo ſæpè habitus fuerit; Quamobrem poſtea tam varia hinc indè ab Auctoribus in odontalgia laudantur remedia, ut integrum volumen ſola illorum narratione haberetur; Primò enim unicum eſſe remedium *Diemerbroeckius* fatetur ad dentium dolores fugandos ſanguinem detrahere ex arteria, quæ vitalem ſanguinem dentibus ſuppeditat; quod confirmat *Vitus Riedlinus*. Oleum Buxi præſtantiſſimum eſſe affirmat *Burnetus*. Acetum camphoratum in ore detentum ad dolores dentium fugandos conferre tradit *B. Montagnana*; fruſtulum tabaci maſticatum dolorem dentium ſanare obſervavit *Riverius*; Os Bufonis ſolo contactu odontalgiam tollere docet *Joh. Helmontius*, etſi dentes ſint cavi, ac doleant, præſtans eſt Oleum Cariophyllorum in cujus ℥. j. Camphoræ ℈. ß. ſolutus fuerit ſi *Joh. Harttmanno* credimus; *Joh. Heurnius* fœminam pipere aquatico denti dolenti indito, protinùs dolorem ſedaſſe fatetur; laudat idem Auctor Sandaracam albam in aceto coctam; *Fernelius* ſequens adhibet remedium, nempe:

℞. Roſmarini } ãã. m. j.
Hederæ arboreæ }

coque ex poſca, & tepidè ore retinetur. *Petr. Borellus* Betonicam naſo inditam curaſſe dentium dolorem affirmat. *Riverius* topicum ſequens præſcribit:

℞. Aloes ℨ. j.
Camphoræ ℈. s.
Aquæ vitæ ℥. ß.

&

& cum bombace dentibus apponat. *Sennertus* ſequentes pilulas commendat id eſt :

℞. Radicis Pyrethri ℥. j.
Serpentariæ
Filicis.
Oxylapathi
Aluminis uſti } ãã. ʒ. ß.
Mellis q. s. f. pilulæ.

Cnœffelius tincturam ſequentem parat quæ dentibus dolentibus medetur, ſi dimidium cochlear hujus tincturæ in ore per dimidium quadrantem horæ contineatur, poſtea iterum expuatur, ſi opus ſit, ſecunda, & tertia vice uſus reiteretur, cujus deſcriptio eſt :

℞. Radicis pyrethri
Ligni Saſſafras
Seminis Hyoſciami } ãã. ℥. ij.

Caryophyllorum
Maſſæ pilularum de tribus } ãã. ʒ. j.

inciſa, & contuſa infunde in ſp. n. ſedativ. ſimp. ℥. vj., ſtent per dies tres in digeſtione vel diutiùs, filtra tincturam adde extract. ſedat. liqu. Citr., ſeu tinctur. gran. quiet. ad placitum.

Emplaſtrum ſequens maxillæ felici eventu applicat *Jo. Ferd. Hertodt. in crocolog.* :

℞. Opii aceto diſſoluti
Croci pulveriſati } ãã. ℈. j.
Maſtiches ʒ s.
Gummi Carannæ ʒ. ij.
cum balſ. maſtic. f. emplaſt.

Alii opium internè propinant cujus opii partes in vaporem ſolubiles ad aſcenſum impelluntur, ut ait de *Nic. de Blegny*, à viſce-

viſcerum calore, adeo ut ad cerebrum uſque impulſi, ejuſque partem in qua nervi ſcaturiunt, valent, quantumvis craſſi, ſat alte eorum ramos pervadere ad intercipiendos ſpiritus animales, qui nimio impetu, ac confusè delati ad partes interiores cùm malè affectæ ſunt in illis dolorem pariunt; At verò etiamnum per experientiam notum eſt id cuti, ut plurimum incaſſum admoveri, ſi dolores arthritici mulcendi, luis venereæ, aut rheumatiſmi comites, Cùm vero id tantùm contingat, eo quod illius medicamenti partes ea ſubtilitate, non pollent, & penetrandi vi, qua ſubire valeant exilia nervorum filamenta, quæ ad integumenta pertingunt, ſequitur inde non poſſe id inferri in nervulos dentibus ſenſum impertientes niſi interiùs aſſumptum fuerit illos ſubingreſſurum qua parte originem è cerebro ducunt; Unde liquet cur opium denti carie eroſo immiſſum dolorem ejus non ſedet; *Beguinus* Oleum heraclinum paratum ex corylo non aliter ac Oleum ex lignò guaiacò utiliſſimum eſſe cenſet ad dolores dentium ſopiendos. *Oſwaldus Crollius* decoctum radicis hyoſcyami cum herba perſicaria in aceto, elotione calida, dentium dolorem efficaciter ſiſtere ait; Tandemque *R. P. Chriſtini*, obſervationem allatam *D. à Moinichen* imitatus mulierem quandam à dolore dentium liberavit pungendo gingivam denti vicinam ad ſanguinis exitum.

CAP. II.

Pleutitis in abſceſſum cruris deſinens.

Laudati Donadoni curæ commiſſus fuit Pleuriticus quidam, cum interna viſcerum inflammatione inſigni, qui poſt venæ ſectionem parum expuit, octies ſcilicet vel decies. Hunc ſequenti die inviſens ab omni febre & pleuritide immunem reperit, ſed cum abſceſſu ad ſiniſtrum crus, qui tandem apertus legitimum pus effudit.

SCHO-

SCHOLION LANZONI.

IN internis viſcerum inflammationibus neceſſaria ſemper eſt S. M., hac enim neglecta vix fauſtum eventum ſperare licet; Cæteris ergo permittentibus, rectè venæ ſectio ſtatim adminiſtratur, ut fecit *Cl. Donadonus* in allata hiſtor. *D. Moinichen* quod jubet *Hippocrates* 2. *de vict rat. in acutis*, & confirmant *Foreſtus*, *Schenckius*, *Riverius*, *Rolfincius*, *Sennertus*, *Bruel*, *Franci*, & alii; hinc *Riverius* in uno ægro eam ſepties adminiſtravit feliciter; ſectio enim venæ in Pleuritide incipiente prodeſt ait *Williſius* eo quod ſanguinem alicubi in circuitu præpeditum a nimia cohibet effervescentia; præſertim vero quia vaſa hac ratione valdè deplentur, ac humores quoſcunque exterminatos prius, adeòque ſanguinem in parte affecta ſtagnare inceptum denuò excipiunt, & fluxilem reddunt; Cùm igitur hoc remedium ſit præſtantiſſimum in pleuritide nunquam eſt ommittendum, etiam in Uteri geſtatione, in puerperio, in menſium fluctione; docuit enim experientia gravidis etiam in octavo geſtationis menſe, immò etiam in infantibus, & ſeptuagenariis, ſanguine per baſilicam lateris affecti, miſſo oportune ſuccurri, ut alias docui in *meis Animadvers.* Hinc *Hippocrates* 2. *de vict. rat. in Acutis* inſignem regulam, & in praxi utiliſſimam poſteritati tradidit, ut mittatur ſanguis uſque ad coloris mutationem, ſi nimirum prima, vel ſecunda venæ ſectione ſanguis appareat crudus, & aquoſus continuanda ſingulis diebus, aut bis in die, ut ait *Riverius* vacuatio donec ſanguis detractus appareat rubicundus; ſi verò initio appareat rubicundus iteranda eſt venæ ſectio donec niger aut lividus appareat, licet autem hujus præcepti obſervatio in praxi ut plurimum ſuccedat, tamen aliquando coloris illa mutatio pertinaciter non eſt expectanda, ſed priùs a ſanguinis miſſione deſiſtendum, cum ſcilicet, aut vires ſunt debiles, aut æger habitu raro, aut valde reſolubili præditus, aut tempus calidiſſimum; & quamvis die critico nihil movendum ſuadeat *Hippocrates in Aphor.*, tamen ſi morbus ſit in præcipiti, ſeròque vocetur medicus, die etiam critico ſan-

guinis miſſio inſtitui poteſt; *Fabritius Hildanus* enim vocatus ad pleuriticum ſeptima morbi die ſanguinis miſſionem ſtatim tentavit, & ſic præter ſpem ægrum ſanitati reſtituit; In vena autem ſecanda delectus venarum habendus eſt; melior enim eſt venæ ſectio ejuſdem lateris cum parte affecta, quam oppoſiti, cauſamque latere in arteriis, non in venis ait *Vallæus method. medend:* quod etiam affirmavit *Duretus* in *Hollerium*, ut & fecit *Riolanus in Enchirid.* Præter autem venæ ſectionem multum in curatione pleuritidis facit Oleum cucurbitarum oblongarum Ego enim juſtè confiteri poſſum, pauperem quendam Ferrarienſem pleuriticum ſanaſsè ſola venæ ſectione, ac inunctione lateris affecti Oleo noſtro cucurbitarum calidè impoſito.

CAP. III.

Abſceſſus cruris per urinam expurgatus.

Romæ non ſemel obſervatus eſt abceſſus cruris per urinæ vias expurgari, ut mihi fidem fecit Johannes Trullus Medico-Chirurgus Pontificius: Is namque in Xenodochio S. Spiritus magnum cruris abſceſſum quem medicamentis maturans, decreverat poſtridie cultello aperire, aſt dicto die adveniens diſparuiſſe videt, ſine ulla in cute apertura; quærens ab ægro, an evacuationes aliquas præterita nocte paſſus eſſet, audit eum copioſiùs lotium rediddiſſe, quo viſo, fœtidum in matulæ fundo pus offendit; Idem aliàs obſervatum à Stephano Trullio *ejuſdem Xenodochii Chirurgo ordinario laudati Trulli germano.*

SCHOLION LANZONI.

Natura multoties nobis incognitas ſibi aperit vias, ad expulſionem puris in corporis partibus collecti; ſic *Joh. Rhodius cent.* 2. *obſ.* 89. de puero narrat brachii dextri ulcere, cum convulſione vexato, qui pus merum per alvum excrevit illæſo ventriculo; & *Borellus* ægrum habuiſſe fatetur, qui poſt capitis

pitis dolorem, cui irritè remedia habita fuere, tandem ſubitò curatus fuit ruptione vomicæ cerebri, & pure emiſſo per os, nares, aures, & oculos; Hinc *Cl. Franciſc. Maria Nigriſolus Medicus noſter Ferrarienſis* in praxi facienda vidiſſe refert Artificem quendam tumore inſigni brachii affectum, qui una nocte purulentam materiam per vomitum excrevit & ſic liberatus fuit à tumore; Paritèrque *D. Hippolitus à Monetis* teſtatur Fabrum quendam fuiſſe, qui ingenti tumore in thorace afficiebatur multis cum febribus: dum enim pus conficitur febres fiunt, ac dolores, monente *Hippocrate in Aph.* hic una nocte magnam quantitatem purulentæ materiæ per alvum excrevit, a quo integrè liberatus fuit.

Hinc diſcant medici adhuc multas inveſtigandas reſtare vias in microcoſmo, ideòque inſanum eſſe dicere: omnia agnoviſſe, & detexiſſe *Galenum.*

CAPUT IV.

Uteri prolapſus amputatus.

I*Nveteratum uteri prolapſum, aliis fruſtra tentatis amputatione non ſemel curavit* Mich. Angelus Rota Medicus Venetus meus anteſignanus in praxi; Antonius Molinettus Anatomicus Patavinus *operationem hanc aliquoties perfecit felici cum ſucceſſu.*

SCHOLION LANZONI.

UTeri procidentiam poſſe fieri negat *Joh. Van Horne microtechn. pag.* 166., verùm ut aliquid pro *Scholio* huic obſervationi addamus; Videndum eſt, an ſecto Utero vivere poſſit Fœmina; Quo circa certum eſt multos fuiſſe Auctores, qui fœminis Uteros, vel corruptos, vel ſphacelatos evellere; *Volckamerus* enim hiſtoriam Virginis narrat, cui fuit reſectus Uterus, & vixit; *Saxonia* Venetiis Ancillam vidit, quæ ſibi ipſæ ampu-

putavit

tavit Uterum, quia in nimiis laboribus ſæpiùs procidebat; *Wierus* hoc accidiſſe pecudum caſtratori, qui filiam meretricem Utero violenter extracto more pecudum caſtravit, ut deinceps ad prolem inepta eſſet; Ulteriùs in monſtris quandoque deeſt, ut *Columbus* vidit in fœmina, cui nulla matrix, nec vaſa ſeminalia, nec teſtes erant; In quibuſdam per gangrenam conputruit matrix, nihilominùs ſuperſtibus, ut confirmant *Gattinaria*, *Rouſſettus*, *Severinus*, *Paræus*, *Carpus*, *M. de Gradi*, *Schenckius*, & alii plures, ideò Uterus ad vitam non eſt neceſſarius quemadmodum mecum tradunt *Welſchius*, *Bartholinus*, *Riverius*, & alii.

In amputatione verò Uteri, requiritur hemorrhagiæ cohibitio, ex vaſorum reſeratione metuenda, ac omnimoda extirpatione cancri, & gangrænæ, à quibus novorum ſymptomatum metus imminet; Ad exactam autem prioris harum circumſtantiarum obſervationem, comprimenda eſſe vaſa, ait *Nic. de Blegnii in Zodiaci Gallici Anno primo. pag.* 224. uterum alluentia, facta ſtricta ſuprà Partem amputandam ligatura; Poſteriori, ut ſatisfiat, neceſſe eſſe partem hanc ad inferiora quantum ſatis eſt detrahere, ut ne particula vitii ejuſque radicum ſuperſtes ſit, leniter tamen, ne cæteris partibus, quibus connectitur vis aliqua inferatur: Tandem ſecuritatis gratia, quidquid tranſverſi digiti latitudine infrà ligaturam poſitum fuerit reſcindendum; ferro deinceps candenti parti à qua pars ægra ſeparata fuerit admoto; & tali modo *Wierus* curavit fœminam ſphacelo Uteri affectam.

CAPUT V.

Stipticitatis Alvi remedium.

STipticitatem alvi ad tertiam ſeptimanam durantem ſolo ſeri caprini copioſe aſſumpti uſu curavit Donadonus.

SCHOLION LANZONI.

CLar. *Samuel Ledelius* narrat Virginem magnam alvi ſtipticitatem paſſam, mercurio crudo ad ℥. ij. ſumpto ſalutem adeptam

adeptam fuiſſe; *Hagendornius* de viro refert, cui ob ingentem alvi obſtructionem venter tumore intumeſcebat, ſanato Tartaro emetico ſumpto ad gr. vj. *Ph. Salmuth.* novit hominem, qui intra trium hebdomadarum ſpatium ſemel tantum alvum exònerabat, & ſemper tanto nixù, ut etiam ſanguis è naribus proſiliret; & *Riverius* de Religioſo narrat, qui alvi ſtipticitate affecto butyro ſumpto convaluit; Hinc in obſtructionibus alvi pertinacibus, cùm malum conclamatum ſit, variis remediis utuntur Practici, ut folle *Hippocratico* cujus adhibitionis deſcriptionem tradit *Amatus Luſitanus* quam commendat *Alexander Trallianus*; Et *P. Borellus cent.* 2. *obſerv. med.* 14. in alvi ſtipticitate, torreatur, inquit, mica panis, oleo olivarum irroretur, & mane deglutiatur, & videbitur effectus præcipuè, ſi bis, aut ter idem fiat; Alii glande plumbea argento vivo illinita deglutita, multos liberatos fuiſſe ab alvi ſtipticitate aſſerunt; hæc autem remedia ſunt extrema, quæ deſperatis, & conſuetis medicamentis non juvantibus, exhibentur, exitus enim anceps eſt, ut ex obſervatione deprehendit *Bonetus* in fœmina quæ alvi ſtipticitatem patiens globum plumbeum deglutivit, ſed fruſtrà; Obſervavit autem *Jonſtonus Prax. Lib.* 6. alvum interdum moveri ſine magno medicaminum apparatu, ſed ſola ſternutatione, ac tuſſi, vel ſi æger nudis pedibus humi obambulet; ſic *Platerus lib. primo obſ.* ſcribit, ſe in quibuſdam, alvi excrementa, quæ ob duritiem excerni haud poterant, tuſſi, & ſternutatione concitata ejeciſſe; & pariter *Hierem. Thriverius comm. in Aphor. Hippocratis* ait ruſticos ſe noſſe, qui, nudis pedibus humi obambulantes, pertinacem alvum ſolvunt; Hinc *Braſavolus* nonnullis ſorbilibus ovis ſumptis ventrem ſolvi refert; quod procul dubio evenire ſcribit *Sennertus Prax. lib.* 3. cum in cruditatem nidoroſam ova, quod in quibuſdam ſolet accidere, degenerant, quam Natura per alvum ejicit; Tandemque *Scribonius Largus* quem commendat *Joh. Fortis* ſcribit, ſervum cujuſdam Unguentarii, clyſtere parato ex oleo in quo decocta fuit ruta addito aphronitro ad ſeſquiunciam, indito liberaſſe; quod remedium valet etiam flatus diſcutere, ac iliacam paſſionem tollere, ut aſſerit *Galenus de ſimpl. med. facultat.*

CAPUT VI.

Mercurii crudi Virtus.

I*Lluſtriſſimus Malapiero Senator Venetus, ab iliaca paſſione multis fruſtrà tentatis, mercurio crudo convaluit, id jubente* Donadono, *idem à* Mich. Angel. Rota *non ſimplici vice expertum, & Lodini à* Scarbugio. *Civis Venetus poſt longam alvi obſtructionem mercurio crudo exhibito globulum vermium excrevit, & convaluit.*

SCHOLION LANZONI.

NArrat *Borrellus obſ. cent.* 2. civem Lumberienſem ſibi manus violentas inferre cupientem, libram dimidiam argenti vivi deglutiviſſe, ſed tamen ſine noxa, quod autem contra vulgarem ſententiam eſt, valde enim nocuum creditur; At modo crudum ſit pondere ſuo ſubito tranſit ad anum, & Catalauni illum pueris contrà Vermes, quos mirè fugat, propinant, ita ut non venenatus, ſed medicinalis crudus mercurius eſt; unde mundificat cruoris maſſam, & præcipuè ab inquinamento venereo; in lue gallica enim ſpecificum eſt, & primarium quidem monente *Hoffmanno comm. in Schröderi. Pharm.* adeò ut ſi ad ultimum hic morbus pervenerit gradum, ſalivatione opus habeat, quæ à Mercurii uſu promovetur; hinc in Peſte etiam felicem præſtare effectum mercurium crudum, aſſerunt *D. Jo. Michaelis*, *Athan. Kircherus in Scrutin. Peſt.* & alii; In lumbricis fugandis tam in ſubſtantia ſumptus, quam odoretenus, prodeſt; ſi ſcilicet in aqua bullierit inde ſumatur; Difficilem promovet partum, ſic *Matthiolus Epiſt med.* affirmat ſe vidiſſe obſtetrices laborioſè parturientibus ℥. j. mercurii felici eventu potandum dediſſe; In iliaca paſſione, & colica *Augenius*, *Paulus Ægineta*, *Riverius ac Marianus Sanctus* Argentum vivum laudant; Et de ejus uſu in dyſenteria optimè diſſerit *Plinius in hiſt. animal.* Externè autem Mercurius inunctus ſcabiem ſanat; ſed caveatur, ne nimis

mis adhibeatur, ſalivatio enim oris putredinem inducit monente F. *Hoffmanno*; Reſolvit tumores, fugat Pediculos inſtar incantamenti ferè; in lue Venerea in forma Unguenti adhibetur, quod paratur ex Mercurio, & pinguedine Porcina; Huc cingulum ſapientiæ *Rulandi* pertinet, quod eſt pannus lineus unguento ejus modi illitus; & *Bartholinus* cum *Ettmullero* lumbis applicatum illud certe ſanare ſcabiem, ac pediculos fugare aſſerit; Pro Coſmetico aliàs in variis lentiginibus, & faciei maculis certum eſt experimentum, penetrando enim ſubitò vitioſas aciditates ſub cute latentes abſorbet; Modus autem parandi hic eſt; ℞. Mercurii q. s. ſubigæ cum ſucco limonorum, & cum pinguedine quadam redigatur ad formam linimenti; notandum tamen eſt, coſmetica mercurialia duo habere incommoda; Primò enim rugas cuti contrahunt, & cito ſeneſcere faciunt; Secundò inimiciſſima ſunt gingivis, & dentibus, & partibus circa palatum ſtantibus; hinc ulcera oris, & fœtorem, immò vacillationem dentium cauſant; ſic Hebræam vidi, quæ horum coſmeticorum uſu ulcera multa in ore, ac dentium putredinem ſummam patiebàtur; Cæterum externè in caſibus chirurgicis, ulceribus nimirùm deſperatis, ac imminente gangræna, mercurius ſacra quaſi anchora eſt: Si verò ob magnam Argenti vivi adhibitionem oris partes malè ſe habeant aliquibus; his prò cura ſit moneta aurea ore detenta, ſic moneta albeſcet, & hoc reiteretur, donec omnis mercurius ſit extractus.

CAPUT VII.

Topicorum frigidorum damna.

TOpicum potens, *& actum frigidu eryſipelati ſub Alis à Barbitonſore Venetiis applicitum, gangrænam, & mortem intrà horam Ægro attulit.*

SCHOLION LANZONI.

QUantùm noxia ſit frigidorum in morbis curandis intempeſtiva, ac incongrua appoſitio non ſolùm narrata monſtrat hiſtoria, verùm quotidiana oſtendit experientia; elapſis enim menſibus muliercula quædam, applicatione aquæ frigidæ in Angina mortem certè Patienti acceleravit; ſic etiam *Helwigius obſerv.* 48. paralyſim à frigore excitatam vidit, quam feliciter curavit; *P. Borellus cent.* 3. *obſ.* 24. quendam obſervavit ſummo frigore gangræna affectum in digitis manum, & pedum, ità ut digitos fère omnes amiſerit; quin, & Ægrum ipſe Auctor habuit, qui nimio frigore in dolorem, tremoremque pedum maximum inciderat, præcipuè dum ad ignem accederet, quare cùm id à ſanguinis inflammatione, & ventilatione prohibita, clauſis à frigore poris ortum ducere cogitaviſſet, ſanguinis miſſionem in malleolis præſcripſit, tanta cum utilitate, ut pauciſſimis diebus ſanatus fuerit; Pariter ex frigido immiſſo clyſtere mortem ſecutam obſervavit *Th. Bartholinus cent.* 1. *obſerv.* 76. Hinc. *Fabricius Hildanus* de quadragenario narrat, qui æſtatis tempore cùm maximum frigidæ hauſtum bibiſſet ſcroti gangræna correptus fuit; Et *P. Alpinus* ope repellentis aquæ frigidæ gangrænam in inflammatis partibus excitatam aliquandò fuiſſe ſcribit; unde repellentia potiùs obſtare, quam prodeſſe in inflammationibus poſtea concludit; immò tantum abhorret à frigidis *Borellus*, ut uſum glaciei à multis laudatum in Potu, ille non parum vituperet experientia edoctus in quibuſdam torminibus, colicis doloribus, & dyſenteriis Fato functis, ob glaciem deglutitam deliciæ gratia.

C A P U T VIII.

Dolor Arthriticus repulſus.

OBortis mulieri Venetæ circa genu graviſſimis doloribus arthriticis topicum refrigerans repellens, à Chirurgo inexſperto admodum fuit

fuit adhibitum, undè graviſſima ſupervenere, & magna ſymptomata: in conſilium poſtea vocatus F. Donadonus, *illicò venam in pede juſſit ſecari, & poſt iteratas ejuſdem frictiones veſicas ad genu imponi curavit, moxque ad dictum locum revulſa materia, ſolus in genu remanſit dolor, cæteris quibus antea urgebatur ſymptomatibus omninò evaneſcentibus.*

SCHOLION LANZONI.

COnvenientiſſimam eſſe Venæ ſectionem in Arthritide ſtatuunt multi; morbum enim abbreviat docente *Riverio* ſanguinis miſſio, ſi ſtatim ab initio celebretur, quod commendat *Crato apud Scholtzium;* non ſolùm verò ſanguinis miſſio in Arthritide prodeſt, verùm, & multa ab Auctoribus laudantur remedia; *Eric. Mauritius* enim lapidem lazuli ad expellendam Podagram commendat, cujus remedii ratio vide in *Boneti Med. ſeptentr. tom.* 2. *lib.*6. *ſect.* 3. *Ettmullerus* ait chamædrim, & chamæpytim Chiragram curare; Moxam Sinenſem antipodagricam eſſe tradunt *Elsholtzius*, *Bartholinus*, *Borrichius*, & alii, Trifolium laudat *Sim. Scholtzius*, novit enim iſte vir Matronam, quæ folia iſta in aqua decocta; & calidè parti affectæ applicata in Arthritide vaga admodum deprædicabat; Parat Unguentum Antiarthriticum *Franc. Joſ. Burrhius* magnæ efficaciæ, de quo apud. *Jo. Georg. Trumphum*, & *Bonetum cit. loco.* Cauterii ope multos ſanatos eſſe ab Arthritide narrant *Georg Franci*, *Glandorpius*, *Spigelius*, *Heuſchius*, quapropter dicebat meritò *M. Aur. Severinus de efficac. medic.* ignem eſſe remedium omnibus doloribus; Urinam propriam potam nonnullis commodo fuiſſe meminit *Willis cap. de Arthrit.* Spiritum Salis Ammoniaci *Maurit. Hofmannus* laudat; *Sim. Scholtzius* emplaſtrum ſequens mirè deprædicat ℞. Olei Commun ℥. vj. Smegmat. Veneti ℥. v. minii, ceruſſæ, ana ℥. ij. Camphoræ ℈. j. Aluminis ℈. v. miſce coque lento igne & fiat emplaſtrum Aquam Arthriticam ſequentem proponit *Frid. Hofmannus in Theſ. Pharmac.* ℞. Thuris, maſticis, mirrhæ, Bdellii, Gummi Ammoniaci, opoponacis, Mumiæ, aluminis, Salis Ammoniaci ana, ℥. j. tartari ℥. j. ß.

baccarum Lauri, Juniperi ana, ʒ. v. Vitrioli Romani ℔. j. ß. mellis ℔. ij. Spiritus Vini ℔. viij. Juniperi ℔. ij. digere triduo, & deſtilla per Arenam cum duobus cohobiis, deſtillato adde Caſtorei ℥. v. camphoræ ℈. iiij. Spiritus ſalis ʒ. vj. miſce quæ cum petiis applicata dolores arthriticos compeſcit. Vinum chamædryos maximè facere ad curam Arthritidis ait *Michael. Doringius in Epiſt. ad Sennertum.* Ad articulos roborandos, & reliquias humorum in iis diſcutiendas commendatur Vinaceorum uſus, de quibus libellos conſcripſere *Altimarus*, *&* *Baccius*; Comprobante felici eventu *D. de Mayerne Tract. de Arthrit.* ait, hyoſciamum cataplaſmatis forma addita caſia, camphora, croco, ſpermate Ceti, & adipe humano admoveri parti affectæ poſſe, tanquam præſtantiſſimum Anodynum; Tandemque mihi narravit D. Gubernator Ripæ Tridenti cum ibi Anno 1687. menſe Junii eſſem, experientia edoctum ſe fuiſſe, optimam eſſe ad fugandam Arthritidem aquam Florum ſambuci.

CAPUT IX.

Icteri Remedium.

Vetula icterica aliis nihil proficientibus, ſucco Cichorei condenſato convaluit.

SCHOLION LANZONI.

Icterum fuiſſe ſanatum edendo omni mane pugillum unum Abſinthii ait *Rein. Solenander conſ.* 15. *ſect.* 5. Syrupum è ſucco Marrubii optimum eſſe ad icteri curam obſervat *Foreſtus*; Urinam pueri aliquando icterum ſanaſſe bibitam tradit *Platerus*: & Radicem Urticæ laudat *Geſnerus*, in curatione morbi regii. Hinc Aliqui credunt Pediculos num. xj. icteritiam tollere cui remedio fidens quidam ictericus pediculos devoravit, monente *G. Han-*

næo

næo in Act. Danic. An. 74. ſed infelici eventu, diſparuit enim morbus, ſed ſucceſſit palor, atrophia, & Mors: Aperto cadavere, obtulit ſe in Ventriculo monſtroſæ magnitudinis inuſitata pediculorum in unum conglobatorum Colonia: Si quid autem contra icterum valent Pediculi, expediunt certè omne illud negotium ſale ſuo Volatili, quo præſtat ut & inimicæ amoliantur obſtructiones, & noſtris corporibus neceſſarii alacrius ſe moveant liquores; Narrat *Joh. Lud. Hannemanus* quendam, ſe ab Ictero liberaſſe excipiendo urinam propriam panno lineo, & eam aëri exponendo decreſcente luna; donec linteum exſiccaretur; *Caſpar Kölichen.* aſſerit ictericos nonnullos liberatos eſſe, decocto Fragariæ pro potu ordinario adhibito: *Andr. Cnœffelius* ſequenti emulſione mulierem ictericam liberaſſe affirmat; ℞. Aquæ centaurii, cichorei, fragorum, ſambuci, ana ℥. vj. ſeminis melonum, cucurbitæ, ana, ℥. j. papaveris albi, ℥. j. ß. nucleorum Perſicorum ʒ. j. miſce fiat emulſio cui Adde ſyrupi Fragorum ℥. j. Spiritus cinnamomi, ℥. ß. miſce denuò; *Quercetanus* ſtercus Anſerculi multos liberaſſe ab icteritia fatetur; *Herm. Nic. Grimmius* Salem Vrinæ icterum fugare ait *in Comp. med. Chimic. Sennertus*, *&* *Hertod*, pul. lapid. fel. Bovis commendant; *R. P. Chriſtini* ſe quendam ictericum ſanaſſe Pulvere ſtercoris gallinæ affirmat; In Belgio Ruſtici feliciter icterum curant eupatorii cannabini decocto referente *D Regemort*, *&* *Joh. Raio in Catalog. plantar.* & tandem *Hoefer. in Herc. med.* lapidem bezoar pulveriſatum commendat in Ictero etiam nigro, ut & facit. *Crato*, *&* *Burnetus in Theſ. Medic.*

CAPUT X.

Calculi per lotium, & vomitum.

P*Uella Venetiis* 25. *Annorum calculos formæ diverſæ*, *&* *magnitudinis cum lotio excrevit*, *quibus ſimiles etiam vomitu ejecit* Donadono *referente.*

SCHO-

SCHOLION LANZONI.

CAlculos excretos cum lotio in præſenti hiſtoria fuiſſe calculos Veſicæ unicuique innoteſcit; ejectos autem per vomitum calculos in ventriculi capacitate genitos fuiſſe judico, docui enim in *Addition. ad Ol. Borric. diſſert. de lapidib.* lapillos poſſe in variis corporis partibus oriri: & hoc clarè demonſtrant medicorum obſervationes, *Prævotius* enim calculum nuce avellana majorem tuſſi rejectum vidit; *Zacutus* calculo per tuſſim rejecto ceſſaſſe ſpirandi gravitatem obſervavit; hinc de calculoſa tuſſi ſcripſit, *Alexander Trallianus*, *Ægineta*, *&* *Gordon*. Plurimos etiam in pulmone lapillos habuiſſe narrant *Columbus*, *Trincavellus*, *Solenander. C. Piſo*, *Panarolus*, *Hildanus*, *Bartholinus*, *Schenckius*, *Rhodius*, & alii plures. Hìc Ferrariæ Anno 1682. cum D. Joh. Baptiſta Juſtino Præceptore meo dilectiſſimo ego Virginem obſervavi, quæ per vomitum multos lapillos coloris cærulei excrevit, & ſic à ſtomachi continua paſſione liberata fuit; quin etiam oſſiculos per tuſſim à Phthiſico excretos vidit *Joh. Schmidtius.*

CAPUT XI.

Pleuritis ſine Venæ Sectione curata.

JOſephus Aromatarius in Pleuritica nobili levem advertens ſudorem, omiſſa ſanguinis detractione, quam non multum amat, & purgatione, ſolum Cornu Cervi in aqua rutæ caprariæ exhibuit, ægra feliciter reſtituta; quod ſe pluries, & proſperè tentaſſe fidem, fecit Mich. Angelo Rota, *& mihi: Clariſſimum virum Romæ novi, qui ſpiritu quodam thoracem, & pectus in Pleuritide inunxit, & ſine Venæ Sectione vel purgatione laborantes reſtituit maximè in morbi principio.*

SCHOLION LANZONI.

SImilem hiſtoriam refert *Carol. Raigerus* de Puella quadam pleuritica ſine Venæ Sectione curata tantummodò medicamen-

tis

tis Anti-pleuriticis, & præcipuè oleo lini, quod tantoperè laudat *Geſnerus*; imò narrat *Clar. Hipp. à Monetis Medicus inſignis noſter Ferrarienſis* ſub ſua cura ſe habuiſſe quendam Artificem, qui multo caſu bibito oleo lini citò convaluit à Pleuritide; Hinc *G. Wolffg. Wedelius* ſine Venæ Sectione ſolum Antimonio diaphoretico antipleuritico carminativo ſuo proprio pleuritides ſanari poſſe fatetur; Et *Herm. Nic. Grimmius* corticem *Favo de Portada* à Luſitanis dictum miræ efficaciæ eſſe in hoc edomando morbo teſtatur; Sanguinem Hirci ſecundum *Helmontium* præparatum multi laudant inter quos *Cnœfelius*; Oleum noſtrum uſuale ex cucurbitis longis confectum præſtantiſſimum eſſe remedium in Pleuritide docet quotidiana experientia; Quin Romæ uſitatiſſimum ſequens Unguentum eſt ℞ Butyri vetuſtiſſimi, Unguenti altheæ, pulveris tormentarii ana, ℥. iij. ſeminis cimini, pulveris erucæ, ana, ℥. ß. Succi Urticæ ℥. ij ß. coque in Unguento Altheæ, & Butyro ad ſui conſumptionem inde paulatim adde pulveres. Ultimo loco tandem pulverem tormentarium & lento igne fiat Unguentum. Modus autem utendi eſt, quod locus affectus cum pauxillo Aqua vitæ tepidæ leviter manu fricetur, deinde Unguentum in quantitate nucis avellanæ, calidè applicetur manu benè confricando; ac inde foveatur duobus foliis braſſicæ, quæ in patella frixaria cum butyro calefacta ſint, & poſt ſingulas ſex horas renovetur Unguentum; quo medicamine multi ſunt liberati; Pulverem ſtercoris columbini commendat *Panarolus Pent.* 4. *obſ.* 14. Decoctum tabaci laudat *Epiphanius Ferdinandus hiſtor.* 32. Raſuram dentis apri *D. Burnetus*, Fuliginem camini ad ʒ. j. exhibitam *Riverius*, & tandem *Oſwald. Crollius* maxillam piſcis lucii, & conſolidam regalem maximè præſtare ad pleureſim curandam aſſerit.

CAPUT XII.

Oſſa Embryonis ex abdomine extracta.

N. *Urſinus quidam Venetiis mihi retulit puellam ab Amaſio compreſſam, ut pro Virgine haberetur medicamentis fœtum in utero*

occidiſſe; Poſt aliquod tempus apparuit in abdomine tumor durus, & rubens, cui cauſticum impoſuit idem, quod ubi vires exeruerat, coſta fœtus volſella extracta eſt, quod poſtea factum eſt cum omnibus reliquis embryonis oſſibus. Convaluit, & viro nupta plurimorum puerorum mater evaſit.

SCHOLION LANZONI.

MOrtui fœtus oſſa per alvum excreta vidit *M. Donatus, & Tulpius, & M. Cagnatus;* quin & per umbilicum excreta oſſa fœtus extincti obſervavit *R. P. Chriſtini.* Hinc per vomitum etiam Abortum rejectum fuiſſe narrat *Juſt. Ortolf. Maroldus,* nec non *Th. Bartholinus* vomitu laborioſo infantis oſſa ejecta eſſe in quadam muliere neſcia, ſe utero gerere, docet, idemque tradit *B. Montanus & Salmuth*; *Eraſm. Bartholinus* felem per os parere vidit, de quibus curioſa nonnulla collegit *Illuſtris Bonetus Med. Septentr. tom. 2. lib. 5. ſect. 6.* Per os infantis oſſa projecta fuiſſe ait *Caſp. à Reies.* Per hypochondria in fœmina exorta ibi fiſtula, ex ea primum infantis Calvariam, dein oſſa alia fuiſſe extracta habetur ex *Alex. Benedicto*; Tandem ex iliorum abſceſſu Utero rupto corruptam infantis putrilaginem exiviſſe narrat *M. Cornachinus* Vid. *Thom. Bartholini lib. de inſol. Viis hum. part.*

C A P U T XIII.

Vulvæ clauſæ apertio.

P*Uella romana à primo ortu clauſa, niſi quod exiguum eſſet foramen, vix piſum capiens pro urinæ ac menſtruorum egreſſu, aſſiduis Amaſii precibus commota, ipſius libidini nimium dedit, rata nullum conceptionis periculum futurum, quippe cujus vulvæ labia à nativitate conjuncta & unita penem non admittebant: Cæterum fricationis hujus debitas dedit pœnas, ex ipſo præter ſpem gravida facta; Quinto à conceptu menſe tumentem puellæ ventrem advertens mater*

ter Jo. Trullium *adit*, *& poſtquam omnia ipſi expoſuiſſet, opem ejus implorat, ne in partu tandem gravius vitæ periculum ſubiret filia; eam itaque inviſens Trullius cunctis examinatis, unita vulvæ labia ſectione dirimit; ipſa autem debito tempore filium peperit; nec abſimile dum Venetiis eſſem contingit; unita ab ortu vulva labia in tribus Puellis Romæ ſectione curavi.*

SCHOLION LANZONI.

TAles mulieres ab ortu clauſas tales etiam manentes poſt prægnationem, demonſtravi in meis Animadverſionibus concipere poſſe, cum enim ex ovo homo gigniatur, ſufficit, quod tranſmittatur, ad teſtes Mulierum aura ſeminis viri fœcundans, ut docet *Graaſſius;* mulierem autem ſimilem clauſam; & ſectione ſanatam obſervavit *Joh. Helwigius*, & poſt eum videre *Meibomius*, *Binningerus*, *Grulingius*, *Meckeranus*, *Roobnuſius*, & ante hos, mulieres tales curavere *Hildanus*, *ab Aquapendente*, *Foreſtus*, *R. à Caſtro*, *Ronſeus*, *Platerus*, & alii plures. Hinc *P. Borellus* unam vidiſſe teſtatur mulierem matrimonii ſolutionem petentem, curatam, & *S. Schulzius* aliam taliter imperforatam ſanatam pluries peperiſſe fatetur; nec non *Jo. de Muralto* de Virgine imperforata refert, quæ tumorem in vulva ſuſtinuit capitis magnitudine, cum retenſione ac ardore urinæ; Aperto tumore lancetta, ſanguis fæculentus exivit, hinc imperforatam vulvam novacula diviſit *cit. Doctor*, & turundam plumbeam zona firmatam immiſit, & ſic ſanata fuit: Præter operationem manualem tales fœminæ poſſunt ſanari uſu peſſariorum, & aliis remediis, quæ brevitatis cauſa prætermitto, curioſos ad *cap.* 3. *ſect.* 1. *part.* 1. *lib.* 4. *Sennerti* remmitto; Notandum tamen in ejusmodi operationibus magnam diligentiam adhibendam eſſe, ne vel partes verſus collum lædantur, vel quæ ſeparari debent intactæ maneant; ne ve foramen nimis anguſtum ſit; quod poſtea in matrimonio conſtitutis nocere poterit, & tandem ne partes diviſæ iterum coaleſcant.

CAPUT XIV.

Aneuriſma ſponte ruptum.

L*Eonardus Pezoli auriga aneuriſmate poplitis menſes aliquot laboravit quod ſua ſponte ruptum fuit, ſubſequente magna hæmorrhagia, quæ tandem ſine ullo medicamento inhibita eſt, vulnere poſtmodum ſolo cerato diapalmatis uſu evaneſcente. Id incommodi jam patitur, quod pes ille extenuatus, & retractus, altero brevior ſit, nec ad libitum amplius extendatur; in inguine adhuc præſentitur obtuſa arteriæ micatio, quæ in femore nulla eſt, quamvis cutanea Vena per internam femoris partem manifeſtè conſpiciatur; Illuſtria aliquot Aneuriſmatum exempla; nobis ſuppeditabit* Trullius *in obſervationibus brevi edendis.*

SCHOLION LANZONI.

ANeuriſma rupta ſanari ab Arte poſſe tradunt *Dioniſ. Pomaret*, *Riverius*, *Bartholinus*, *de Muralto*, *Bogdanus*, *Horſtius*, *Roonhuſius*, aliique; ergo & à Natura ſanari poterunt, hæc enim illam in ſuis operibus ſuperat longè; De Aneuriſmate in Pectore orto à vomitorio ex Antimonio meminit *Jo. Rhodius cent. 2. obſ. 36.* & de quodam ludimagiſtro fertur à *G. Fabricio Hildano* qui ob ſcabiem ſanandam baſilicam dextram à Barbitonſore incidi curavit, qui venam non tantum, ſed Arteriam lancetta feriit, ut mos eſt ignarorum Barbitonſorum, qui ſæpe vice ſalutis mortem ægris important negligentia; Hinc paulatim aneuriſma exortum eſt quod poſtea feliciter curavit *citatus* Doctor; curationem vero, curioſe Lector, lege apud *Th. Burneti Theſ. Med. Pract. lib. 1. ſect. 22.* Compreſſione tantum Aneuriſma ſanatum fuiſſe notat *N. Tulpius*, & purgatione *Fabricius Hildanus*, & *Bonetus in Merc. comp. lib. 1. pag. 13.* Laudat *Sennertus* ſequens medicamentum ad ſanandum Aneuriſma ℞. Thuris part. ij. Aloës part. j. ß. miſce cum albumine ovi conquaſ-

ſato

ſato & pilis leporinis exceptum Vulneri Arteriæ imponatur; Denique *R. Joh. Fortis conſult. tom.* 2. ait Ceratum de Pelle arietina, oleum Saturni & balſamum efficaciſſima eſſe ad Aneuriſmatis curam.

CAPUT XV.

Callus Penis, & ulcera.

NObilis Gallus poſt congreſſum cum Meretrice Romana corripitur gonorrhœa, cui bubones ſupervenere, & ulcera penis, tandem ſecundum colis longitudinem neſcio quid duri filum æmulantis ab utraque parte dextra ſc. & ſiniſtra advertit, quod à bubonibus eò protenſum videbatur; durities hæc ſenſim increſcens latior evaſit, at magis in parte ſiniſtra, ad quam etiam in tentigine contorquebatur virga non ſine doloris ſenſu; Poſtquam varia imprimis hydragoga, & melanagoga uſurpaſſet, uſu decocti ligni guaiaci cum ſarsa parilla optimè convaluit: Alium vidi penis callum, & nodum Venetiis decocti uſu etiam reſolutum, & curatum.

SCHOLION LANZONI.

PEr quæ quis peccat, per ea, & punitur ait Proverbium, quod manifeſtum fit à præſenti hiſtoria *D. à Moinichen*; Hinc ope congreſſus Venerei cum meretricibus Lue infectis gallica homines ulceratos ſphacelatos, inflammatos, ac ſectos proprios viderunt non ſine dolore penes; Sic ſordidos plures ſcortatores in membri jacturam incidiſſe obſervavit *G. Fabricius Hildanus.* Et narrat *D. Manche* referente *N. de Blegny Zodiac. Med. Gall. An.* 1. puerum octennem mediante coitu fœtidam gonorrhæam; callos, & ulcera, in pene contraxiſſe, à quibus difficiliter liberatus fuit; & ego hic Ferrariæ ſæpe vidi Virgas ulceratas, inflammatas, ac gangrænatas ob commercium cum Meretricibus, quos affectus curatu difficillimos eſſe ait *Sennertus Pract. lib. 6. part.* 4. Denique *Petr. de Marchettis* varias fiſtulas propè

urethram cum effluxu urinæ non ſolum ex ſcroti pluribus locis, ſed etiam ex inguinibus vidit in Cæſare Quaioto Rhodigino, quem præter ſpem, ut ipſe ait Doctor ſanitati reſtituit: erat enim in caſu deſperato.

CAPUT XVI.

Aurium vermes.

AUrium vermes vidi Romæ magnitudine eorum, qui in nucibus reperiuntur, horum aliqui injecta prius aliqua quantitate Spiritus vini ad exteriora auris prorepentes volſella extracti ſunt; alii aſperſo mercurio ſublimato dulci interfecti.

SCHOLION LANZONI.

NOn in inteſtinis tantum, ſed in omnibus corporis humani cavitatibus vermes generari poſſe obſervant Doctores; *C. Raygerus* enim narrat de Fœmina in ſuburbio Poſonii habitante, per longum tempus capitis, auriumque dolore vexata, è qua ex una Aure vermes multi extracti fuere à Chirurgo; quos vermes ortos fuiſſe in Auris ulcere vult Auctor citatus, quemadmodum ſæpè naſcuntur vermes in aliis ulceribus dummodò non expurgentur; Hinc gryllum in aure Ruſtici obſervavit *Andr. Cnœffelius*; qui extractus fuit ope olei grillorum ad modum olei Scorpionum facti. Vermes poſtea in Vena emulgente vidit *Prævotius*; in trunco venæ cavæ deſcendentis *Andr. Spigelius*; in vena baſilica brachii *Renodeus*, & *Rhodius*; in habitu corporis *Zacutus*; & *Alb. Mandeſloſ.*; in dorſo *Vit. Riedlinu*; in umbilico *Borellus* & *N. de Blegny*; in naribus *R. P. Chriſtini*, in Cerebro tandem *Wormius*, *Bartholinus*, *Schenckius*, *Verzaſcha*, & *Benivenius*.

C A-

CAPUT XVII.

Syringæ abuſus.

In retentione urinæ ſyringa minus dextrè, & ab imperitis in veſicam immiſſa, graviſſima induxit ſymptomata, convulſionem, inflammationem, & alia; ſuppurationem ab ejus errore in perinæo obortam aliquoties vidi, quæ in gangrenam tandem degeneravit nulla arte emendabilem; Ad extirpandas carunculas in urethram multi cereolas audacius immittunt corrodentibus medicamentis delibutas, quorum nimia mordicatione non ſolum deperditionem ſubſtantiæ in urethra vidi, verum etiam gangrænam, quæ non ipſum modo perinæum, ſed & in ternam utriuſque femoris partem infecit, ac fœdo ſphacelo in Ægri perniciem conſumpſit.

SCHOLION LANZONI.

In immiſſione ſyringæ maximè animadvertendum eſſe ait *Scultetus tab.* 40. ne in immiſſione fiſtulæ argenteæ valvula carnoſa, quæ vaſorum ſeminalium commune orificium in meatum urinarium deſinens claudit, violetur; quæ valvulæ læſio dignoſcitur ex intruſionis difficultate, dolore; ac ſanguine emanante; his enim ſignis apparentibus retrahenda eſt paululum fiſtula, rurſuſque leniter intrudenda, donec valvula intacta veſicam ingrediatur, per eamque urina reddatur; & ne ſuccedant mala in hiſtoria à noſtro *D. à Moinichen* narrata; Hinc *Sylvius dele Boë* prò cathetere feliciter candelam ceream ſubſtituit; quæ candela in carunculis extirpandis componitur à *Sennerto* ſic ℞. Viridis æris, Auripigmenti, Vitrioli, aluminis rupei, anna, ℥. ij. omnia hæc aceto acerrimo perfuſa inter duos porphyrides lapides accuratiſſimè ducantur, ac in lævorem tenuiſſimum redigantur Solique æſtivo exponantur; hæc rurſus exſiccata aceto affuſo ducenda ſunt, & læviganda Solique exponenda quouſque pulvis ſubtiliſſimus evadat; Poſtea ℞. olei roſati. ℥. iv. lithargyrii

gyrii ℥. ij coque donec emplaſtri conſiſtentiam acquirant, tunc ab igne ſepone & adde præſentis pulveris ℥. ij. & ſpatula miſce quouſque medicamen duriuſculum evadat ita ut candelæ cereæ hæreat, nec diffluat &c. quas candelas ad ejiciendas Pudendi caruncŭlas mirè laudat *Petr. Borellus cent.* 1. *obſervatione* 79. Tandem *Job. Van-Horn Microtechn. chirur. pag.* 238. candelas ad tollendas caruncŭlas parat ex amalgamate Mercurii cum unguento diapompholygos, quod medicamen carunculæ ita applicatur, ne alias partes lædat. Plura apud *Riverium Centur.* 2. *obſerv.* 14. de curatione Caruncularum virgæ videri poſſunt.

CAPUT XVIII.

Hydroceles curatio tuta.

HYdroceles facilis eſt curatio per ſimplicem punčturam, aſt ſemper revertitur, niſi ſicciori diæta redundantis aquæ copia abſumatur ut in nonnullis obſervavi. Solertiores Chirurgi, quo omnem recidivæ metum tollant facta punctura cereolum ad digiti longitudinem pro turunda immittunt, eoque peritonæi proceſſum leviter vellicantes aliquam inflammationem in ſuperiore ipſius parte inducunt; poſt cujus ſuppurationem magis unitur, ac contrahitur proceſſus, nec tam facilis, ut antea recipit humorum in eam prolapſum; ſunt qui pro cereolo plumbeam immittunt cannulam, at ejus infelicia vidi experimenta, quippe acrius pungendo, majores produxit inflammationes, undè (ut nihil de ſymptomatica dicam febre, quæ interdum, præter utriuſque expectationem ægrum è medio tollit) major ad eam partem factus eſt humoris confluxus, ita ut totus teſticulus eum imbibere coactus, ſarcocele tandemlaborare inceperit.

SCHOLION LANZONI.

HYdrocelem, ſeu teſtium hydropem in parte decliviori ſcroti lancetta appertam ſanaſſe Chirurgum quendam notat *P. Borellus obſ. cent.* 1. & *Joh. van-Horne, Scultetus, & Hildanus* ſectionem

ctionem commendant in hydrocelis curatione; ſuadendo tamen ut inciſio in ſcroto pro aquoſo humore deponendo fiat in decliviori parte; Huc cauterio appoſito quendam ſexagenarium ſanatum ab Hydrocele vidit *Veſlingius* monente *Rhodio cent.* 3. *obſerv.* 28. non ſolùm autem ſectione, & cauterio ſanantur hydroceles, ſed & Emplaſtro tali ℞. Stercoris Capræ ℥. j. ß. cochlearum cum teſtis contuſarum ℥.j. cimini pulveriſati, ſulphuris, ana, ʒ. ij. miſce fiat Cataplaſma parti affectæ applicandum, & ſæpè renovandum, quod bonum habuiſſe effectum expertus fui in quodam hydrocele laboranti; *Riverius* puerum hernia aquoſa laborantem ſanaſſe ſcribit ſequenti cataplaſmate, ℞. Farinæ ℔. ß. decoque cum vino generoſo ad pultis conſiſtentiam, deinde adde oxymellis Simplicis ℥. iij. fiat emplaſtrum admovendum mane; & ſerò; *Joh Lotichius* infantem ſimili affectum morbo ſanavit præſenti medicamine ℞. Emplaſtri de baccis lauri, Stercoris capræ ana, ℥. j. ß. Cochlearum contuſarum cum teſtis ℥. ß. ſeminis cimini, ſulphuris, ana, ʒ. ij. olei rutæ, chamomillæ, ana, q. s. miſce fiat emplaſtrum. S. A. Quin *Martin. Rulandus curat.* 82. *centur.* 8. Oleo ſulphuris quam citiſſimè hydrocelem fugaſſe calide inungendo ſcribit; Tandem *Joh. Riolanus Meth. med.* optimum eſſe ſcribit in hydrocele fovere ſcrotum decocto Anethi, rutæ, meliloti & adhibere emplaſtrum confectum ex fimo bubulo, caprillo, & columbino.

CAPUT XIX.

Verrucæ penſiles.

CAnonicum Brixienſem Venetiis novi in cujus corpore plurimæ erant verrucæ, quarum aliæ penſiles, aliæ planæ; & latæ atro rubentes; harum nonnullæ ſpontè excoriabantur; indolentes erant, niſi durius tractarentur, tum enim leviter dolentes atrum fundebant ſanguinem, ac tandem pus. Solo vino eas abluere ſolitus erat in indice ſiniſtræ manus uvam habebàt penſilem nucis avellanæ magnitudine, fungi inſtar ex anguſta baſi enatam, hac liberius contrectata vi-

icnæ partes obſcuro rubore tingebantur, qui gangrenæ metum ipſi non ſemel incuſſerat; noluit autem aliud ipſi admovere, quam ſubtilem petiam vino tinctam; Aſthmaticus in curru dum vehementius concuteretur Ruri obijt.

SCHOLION LANZONI.

PEnſilis Verruca *Acrochordon* dicitur, quod de cauda velut de chorda pendeat; & generatur à Sanguine, vel potius ab ejuſdem ſero craſſiore dependet ſi Lucæ *Schroockio* fides habenda eſt, dum is per exigua vaſcula cutis delatus concreſcit, nec in venulas tranſumptus ad univerſale principium reducitur, ſicque in ſpatiis intermediis ſubſiſtens, & novo ſubinde accedente adcumulatus in ejuſmodi corpus verrucoſum præter naturale vertitur; cujus extirpatio bona eſt, quæ fit per vinculum, ſic enim ſenſim, ſenſimque meatus præter ordinem naturæ generatus alimenti adductor in gracili radice anguſtatur, atque conſtringitur, & conſequenter ulterior nutrimenti affluxus inhibetur, parteſque iſtæ vitali cruore ſuccoque nutritio privatæ quaſi emoriuntur; Varia hinc contra tubercula commendari ſolent remedia, & circulatorum etiam induſtriam multum exercent Verrucæ, quæ quidem contemni ſemper nequeunt, ſæpè tamen fallere comperiuntur, & plus in oſtentatione quam effectu poſſident; plurimis etiam eorum illud *Galeni lib.* 10. *de ſimpl, med. facult.* accommodari poteſt, qui an murium domeſticorum ſanguis verrucas decidere faciat, ne quidem experiri voluit; Ut autem ſubito verrucæ decidant lotium parat *D. Videl. med. Delph.* ex aqua communi in qua ſal Ammoniacum ſolutum fuerit; quod remedium expertus fuit bono eventu in Famulo Legati Hollandiæ innumeris verrucis abundante *P. Borellus*; Et telas Araneorum ad hoc effectum laudat *Mouſetus*; Denique verrucas ſponte evaneſcere *Celſus* teſtatur ſcribens; *Nonnunquam ſubitò decidunt*: idque è *Braſavola Joh. Schenckius lib.* 5. *obſ. med.* comprobat.

Cal-

CAPUT XX.

Calculus Emulgentium.

Carolus Lana Medicus Brixienſis reperit in puero decem Annorum calculum in emulgentibus venis ad pugni magnitudinem.

SCHOLION LANZONI.

IN omnibus ferè humani corporis partibus calculos inventos fuiſſe hiſtoriæ medicorum paſſim demonſtrant; collegit multas vir ſummæ eruditionis *Phil. Jac. Sachs in diſſert. hiſtor. reſp. ad D. Major. de Cancris, & ſerpent. petrefact.* Hinc *Thom. Fienus lib. Chirug. & Vit. Riedlinus* in fronte calculum enatum viderunt; in cyſtide fellea plurimos calculos invenerunt *G. Scharpius F. Queccius, Helwigius, Wolckammerus, Cnæffelius, Hildanus, Raygerus, Schefferus, Moebius, & alii;* in inteſtinis lapides obſervarunt *Joh. Rhodius, Pareus, Frigimelica, Capivaccius, Hollerius, R. Fonſeca, Zacutus, Saxonia, Maſſarias, Minadous, Trincavellus, Sennertus, B. Silvaticus, Marc. Donatus P. à Caſtro,* & alii. In corde cadaveris unius militis nos Anno 1682. invenimus calculum ad grani piperis magnitudiuem; in inguine tres calculos piſa ſuperantes, & in pube proſpexit *Jo. G. Wolckammerus;* in ureteribus ſabuloſam obſtructionem obſervarunt *Sylvius de le boe, & Helwigius:* in ureteris medio calculum ovi columbini molem penè æquantem inveniſſe fatetur *Dom. Panarolus pentecoſt.* 4. *obſerv.* 31. & *Clar. Segerus*, urethram lapillis, & aqua obſeſſam ultra pollicem ampliatam invenit ceù refertur *in Ann.* 2. *Miſc. Curios Germ. obſ.* 23. In meatu urinario calculos pluries adinueniſſe jurat *Kerckringius;* in uteri Vagina inventos fuiſſe calculos narrat *Regn. Graafius de Mul. organ gener. inſerv.* In Ultero poſſe oriri calculos oſtendit *Th. Bartholinus cent.* 4. *Hiſtor. Anatom.* 64.; in meſenterio calculum natum vidiſſe affirmat *Hollerius;* in pulmone, hepate, liene, ac ventriculo la-

pillos inventos fuiſſe meminit *R. P. Chriſtini Pract. cap. de Calcul* Tandemque in naribus, ſuperciliis, auribus, ac muſculis calculos vidiſſe in cadavere illuſtris Viri, teſtatur *Henric. Ruſus in obſerv. communicatis.*

CAPUT XXI.

Acus deglutita ex crure prorumpens.

F*Oemina Venetiis acum deglutiens quadriennio nil paſſa eſt, tandem pungens in cruris interna parte dolor cum levi tumore obortus*; Pater Anton. Molinetti *accitus primo die diachylon ſimplex admovit, tertio die apicem cutem perforantem volſella extraxit.*

SCHOLION LANZONI.

DEglutitas fuiſſe caſu aciculas, & per urinam ſine noxa excretas obſervarunt *Alex. Benedictus*, *Langius*, & *Claudinus*, & de ſimili caſu jam memini in meis Animadverſionibus nuper impreſſis hic Ferrariæ; ex ventriculo perforato aciculam exire jam deglutitam mentionem facit *Benivenius*; Per cervicis latus circa aurem dextram *Caſp. à Reies*; ex crure erumpentem aciculam vidit *Rod. à Caſtro* quemadmodum notavit *Clar. noſter H. à Moinichen. in allata hiſtoria*; cui improvidæ factæ deglutitioni laxantibus, & lubricantibus ſtatim occurrendum eſſe docet *Hier. Reuſnerus obſ. med. 56.* Hinc notat *Th. Kerckringius* Ancillam acum deglutiviſſe quæ appoſito magnetis fruſtulo fuit extracta. Plumbum panno affixum pro ſignaculo infantem deglutiviſſe refert *G. Wolffg. Wedelius*, qui feliciter curatus fuit à *D. Baldaſ. Gloſio* Acetum deſtillatum propinatum fuit, quod compagem Saturni ſolvendo illum in ſaccharum commutare valet; Nummos deglutitos feliciter evacuatos fuiſſe ferunt *Helwigius*, *Galenus*, *Foreſtus*, *Borellus*, *Amatus Luſitanus*, *Joh. Mich. Felix Platerus*, & alii plures; Spicam ſiligineam deglutitam, & per coſtarum interſtitium excluſam fuiſſe narrat *Th.*

Barto-

Bartholin. cent. 2. obſerv. Anat. rar. 27. Deglutitum nucleum feliciter rejectum vidiſſe ſcribit *D. Sala* referente *Sam. Ledelio.* Tandem de quibuſdam cultrivoris varia collegit curioſa valde *inſign. Bonetus Med. ſeptentr. Tom.* 1. *lib.* 3. quem poteſt legere amicus Lector.

CAPUT XXII.

Calculus Veſicæ circa acum oſſeam collectus, ac concretus.

FEmulcæ cuidam Puellæ Venetæ prominulo capite oſſeæ acus (qua ad diſcernendos, ac firmandos capillos Italæ utuntur) collum uteri per laſciviam tractanti, ac fricanti, tota acus præter opinionem in veſicam urinariam illapſa eſt: at quia à dicta Puella digitis iterum apprehendi, vel extrahi non potuit, ibi relicta, poſt aliquot menſes lotii difficultatem peperit ſubinde cruenti: Urgentibus ſymptomatibus Cl. Anton. Molinetum Præceptorem *meum meritiſſimum conſulens ægra, ſive immemor, ſive verecunda cauſam mali diſſimulavit, quam tamen ipſe facile detexit, cum diligentius exploratis his partibus, durum quid ac oſſeum, ſed mobile extra veſicæ cervicem prominens offenderet, quod tamen ob magnitudinem ſtatim extrahere non potuit; optimè igitur expiato corpore pudendiſque emollitis collum veſicæ dilatavit, & calculum circa acum concretum eduxit; quem mihi ſæpius monſtravit.*

SCHOLION LANZONI.

LIgna, oſſa, ac animalia etiam intergra ab aquis in ſaxeam duritiem commutata fuiſſe demonſtravit *Ol. Borrichius*: hinc legitur apud *Aventinum in hiſtor. Bavariæ* quadraginta Paſtores lapidefactos fuiſſe in aquis quibuſdam è cavernis erumpentibus de quibus *P. Borellus*; mirum ideò non eſt ſi, in Puella à *Moinichen* data hiſtoria, acus oſſea in veſicæ cavitate ſaxea ſuſtantia circumfuſa fuerit; mirum profecto autem eſt, quod longo tempore acum oſſeam in veſica latuiſſe ſine ulla veſicæ ipſius læſione nec ullo quidem Puellæ incommodo; acus enim oſſeas, qui-

quibus noſtræ utuntur mulieres ad diſcernendos capillos valdè longas ſemper detexi, unde veſicam pungere ſaltem, ſi non perforare debebat; verum multa ſunt, quæ à natura fiunt, & cognitioni noſtræ haud intelligibilia videntur: quemadmodum docebam in Schol. ad 3. obſervationem: Chirurgos autem paſſim legi, calculos ingentes veſicæ, ac aliena etiam in veſicæ capacitate exiſtentia ſectione facta feliciter extraxiſſe; in *Actis Philoſoph. Angliæ anni 1666. m. Junii*, enim habetur de Chirurgo, qui ex veſica Adoleſentuli unius ſectione exemit nonaginta calculos exiguos, ſingulos diſſimiles figura, magnitudine, angulis, & lateribus eorumque aliquos ita fuiſſe detritos, ut ſuper aliis quaſi fluerent, nacti lævitatem incredibilem, fertur; & *Sennertus* extractum fuiſſe calculum à veſica mediante ſectione fatetur eximiæ magnitudinis, à qua ſectione maximè abhorret *Fabritius Hildanus de lithotom. veſic. c.* 22. quamtumvis verò calculi veſicæ per inciſionem exemptio periculoſa ſit; ut notat *Bruno in Lexic. Caſtell. pag.* 792. attamen, & præter periculi metum, & tutò poſſe fieri docent *Fabricius ab Aqua pendente*, *Pareus*, *Rouſſetus*, & alii plures; Tandem notandum, ſectionem nunquam inſtituendam Luna exiſtente in Scorpione juxta Præceptum *Ptolomei*, ſi *D. Panarolo* fides habetur; qui Auctor hoc probat exemplo cujuſdam Religioſi, qui hoc tempore ſectus obiit, nec pariter in Canicula ſecandam eſſe Veſicam docent alii, verum, quando poſſibilis alia cura non eſſet, hæc operatio meo judicio, & inſtituenda eſt Luna in Scorpione exiſtente, atque canicula; ego enim de illis ſum medicis,. qui urgente neceſſitate *Hippocratis* conſilio utor, *eadem die*, *&* *eadem hora &c.*

CAPUT XXIII.

Naſi Reſtitutio.

ANtonius Molinettus *in publica lectione Patavii teſtatus eſt, Patrem ſuum egregium Chirurgum Venetiis naſum, cuidam*

in ſcelerum pœnam publicè amputatum, calente pane per medium fiſſo excepiſſe; de eodem Patre ſ:o publicè etiam retulit, quod Polono cuidam naſum reſtituerit ſecundum methodum Taliacotii.

SCHOLION LANZONI.

REfert *Hollerius inſtit. chirurg. lib. 3. cap. 5.* Ruſticum quendam hominem ſanaſſe, cui naſus deciſus erat, applicatione herbæ tuſæ, & vino nigro tritæ millefolii dictæ, hinc omnia ruditer etiam colligavit, unde celeriter reſtitit profluens ſanguis, & vulnus pulchra cicatrice brevi temporis intervallo coiit; & *Fabritius Hildanus centur. 3. obſerv.* 31. ſcribit, Anno 1590. cum Dux Sabaudiæ Genevenſibus Bellum inferret, incidiſſe in manus militum puellam caſtam, quam cùm ſtuprare fruſtrà tentaſſent, naſum ira perciti abſciderunt: Poſt annos duos venit Lauſannam ad Dom. *Johan. Griffonium Chirurgum feliciſſimum*, qui naſum reſtituendum ſuſcepit, & omnium cum admiratione reſtituit cujus operationis, & curationis primus inventor fuit *Gaſpar Taliacotius* in Bononienſi Gymnaſio Profeſſor; Emplaſtro autem ſequenti utitur felici ſucceſſu in ſanandis, atque agglutinandis naſis diſciſſis *Ambr. Pareus* nempe ℞. Thuris, Maſtiches, Boli Armenæ, ſanguinis draconis, ana, ℥. v. albuminis ovi q. ß. pro incorporatione inde adde aluminis rupei, reſinæ pini, ana ʒ. ij. De narium abciſſarum, & fractarum cura legatur *Hippocrates 2. de Articul. à text. 36. ad text. 46. & Sennertus Pract. lib. 5. cap.* 12. *nec non Caſp. Taliacotius de curtorum Chirurgia per inſitionem.*

CAP.

CAPUT XXIV.

Nova Herniæ curatio.

NUperum Hiſpanorum inventum eſt, inteſtinales hernias curare ſine ulla teſtium amputatione, qui dilatati proceſſus ſecundum longitudinem ſimplici ſectione facta affecti lateris teſticulum in capacitatem abdominis intrudunt; indeque injecta punctura aurea vulnus conſolidant; cæterum quia poſt hanc curam ſteriles omninò redduntur, ſi in utroque fiat latere conſilium Romæ expetitum eſt circa matrimonium, an licitè contrahi poſſet ab iiſdem utpote generandæ proui ineptis? cujus difficultatis ſolutionem in obſerv. ſuis ſpondet Cl. Joh. Trullius.

SCHOLION LANZONI.

TAlem curandi Hernias modum peritiores Chirurgi minimè laudant, tùm quia teſticulus, ſi eo majus fuerit foramen, facilè excluditur, & æger antiquum obtineat, vel quia teſticulus, ſi major fuerit foramine coarctatus dolore afficitur, unde inflammatio, vel ſterilitas, vel mors ſuccedit monente *Sculteto Armam: Chirurg.* Hinc herniam curatam feliciter fuiſſe ſequenti empiaſtro narrat *Nic. de Blegny in Zodiac. Med. galic. Ann.* I. ℞. Olibani, vel thuris maſculi, gummi Ammoniaci, opoponacis ana, ℥. ij. diſſolve in q. s. Aceti ſtilatitii; inde ℞. piperis albi, ſeminis ſinapeos foliorum buxi, ana ℥. j. ebuliant omnia in aquæ fabrorum cotylis tribus uſque ad duarum tertiarum conſumptionem, coletur decoctum, & fervens adhuc affunde gummi diſſolutum: cuncta hæc ſimul commixta lento igni appone & ſinantur digeri per duas horas, demum igne per gradus adaucto ut ferè ebulliant adde ℥. ij. olei lumbricorum ut ebulli permittendo quouſque omnis humiditas exhauſta ſit: addita poſtea ſemilibra picis nigræ puriſſimæ ad ignem liqua ut omnia

nia incorporentur, & in emplaſtri conſiſtentiam abeant; quod alutæ inducendum pro uſu. *Pareus* Chirurgum quendam herniam ſanaſſe notat exhibito magnetis pulvere in cibis ſumendo; Enterocelem aſſumpta limatura ferri atque emplaſtro magnetico appoſito in ſe ipſo ſanatam narrat *Thom. Campanella*, quam tamen curandi rationem fruſtraneam eſſe oſtendit *Athan. Kircherus lib.* 3. *de Magnete*, quamvis hoc remedium non per magnetiſmi rationem, ſed propter vim ſiccandi admittat *Auctor Enchirid. med. pract.*, qua ratione autem id probari debeat, videatur *Hieron. Welſchius in notis ad obſerv.* 65. *Reuſneri.* Emplaſtrum ſequens contra Herniam laudat *Frid. Hoffmannus in Theſau. Pharmaceut.* ℞. Sulphuris, Therebintinæ ana ℥. j. olei cocti maſticini ℥. ß. croci martis adſtringentis ʒ. ij. Terræ ſigillatæ ʒ. vj. Terræ vitrioli dulcis ℥ ß. corallii rubri præpatati magnetis præparati ana ʒ. ij extracti conſolidæ majoris Ariſtolochiæ rotundæ ana, ℥. j. miſce fiat maſſa emplaſtri & extendatur ſupra alutam; Tiliam fiſſam ſanaſſe Adoleſcentem ab Hernia ſcribit *Ol. Borrichius* ex uſu conſolidæ, & perfoliatæ curatas hernias vidit *Chriſt. Rœslerus;* ſequenti pulvere propinato multas curavit hernias inteſtinales *Joh. Fernelius* ℞. Corticis mirabolani indici chebuli, ana, ʒ. j. ß. naſturtii portulacæ, plantaginis ſumach, ana, ʒ. ß. coralii rubri, lapidis hæmatitis charabes, ana, ℈. i. ſacchar. ℥. iv. miſce fiat Pulvis Oleum deſtillatum è ligno fraxini hernias tollere docet *Crollius lib. de ſignaturis.* Balſamum nobile ad hernias dat *Beguinus in Tyrocin. chymico* quod fit hoc modo ℞. Florum ſulphuris ℥. iij. myrrhæ, mumiæ, ana ℥. j. axungiæ Serpentis ad duorum, digitorum, ſupereminentiam, benzoini ʒ. ij. Vas optimè claudatur, omniaque bulliant ad ignem Cinerum: ſic intra duas, aut tres dies omnia faceſcunt in balſamum rubicundum fœtidum, & cavendum eſt diligenter ait Auctor ne Balſamum inter coquendum aduratur; Tandem crimen eſſet ſilere caſum de hernia tranſplantata, ſi non ad aliud, ſaltem ad eruditionem à *Geòrg. Franco* narratum de quodam viro Hernioſo, qui ovum gallinæ adhuc calidum è nido ſumptum ruptum eſorbivit, & teſtam evacuatam urina ſua imple-

 vit,

vit & in camino ſuſpendit, & dùm urina exſiccabatur pariter hernia detumebat, urina finita, evanuit hernia, quod etiam multoties obſervaſſe ſecum fatetur *D. Samuelem Geidelin. Medic. Argentoratens. feliciſſimum*, & Amicum ſuum intimum.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Dolor dentium periodicus. pag. 401
CAP. II. *Pleutitis in abſceſſum cruris deſinens.* 404
CAP. III. *Abſceſſus cruris per urinam expurgatus.* 406
CAP. IV. *Uteri prolapſus amputatus.* 407
CAP. V. *Stipticitatis Alvi remedium.* 408
CAP. VI. *Mercurii crudi Virtus.* 410
CAP. VII. *Topicorum frigidorum damna.* 411
CAP. VIII. *Dolor Arthriticus repulſus.* 412
CAP. IX. *Icteri Remedium.* 414
CAP. X. *Calculi per lotium, & vomitum.* 415
CAP. XI. *Pleuritis ſine Venæ Sectione curata.* 416
CAP. XII. *Oſſa Embryonis ex abdomine extracta.* 417
CAP. XIII. *Vulvæ clauſæ apertio.* 418
CAP. XIV. *Aneuriſma ſponte ruptum.* 420
CAP. XV. *Callus Penis, & ulcera.* 421
CAP. XVI. *Aurium vermes.* 422
CAP. XVII. *Syringæ abuſus.* 423
CAP. XVIII. *Hydroceles curatio tuta.* 424
CAP. XIX. *Verrucæ penſiles.* 425

CAP. XX. *Calculus Emulgentium.* pag. 427
CAP. XXI. *Acus deglutita ex crure prorumpens.* 428
CAP. XXII. *Calculus Veſicæ circa acum oſſeam collectus, ac concretus.* 429
CAP. XXIII. *Naſi reſtitutio.* 430
CAP. XXIV. *Nova Herniæ curatio.* 432

JOSE-

JOSEPHI
LANZONI,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS.

Nec non S. R. I. Academiæ Leopoldino - Carolinæ Naturæ Curioſorum Socii &c.

ANIMADVERSIONES VARIÆ
AD
MEDICINAM,
ANATOMIAM, & CHIRURGIAM
maximè facientes,

ATQUE OB

MEDICINÆ TYRONUM UTILITATEM,
in hunc modum collectæ.

LAUSANNÆ,
Sumptibus MARCI-MICHAELIS BOUSQUET ET SOCIOR.
MDCCXXXVIII.

AD LECTOREM.

AD *ſummum ferè Præſtantiæ faſtigium Anatome ſemper Duce, & Comite Fortuna, Medicina pervenit, quæ non ſolùm ab Antiquis ſublevata cultoribus, ſed quoque modo ab hodiernis exculta Magiſtris inter cæteros ſcientiarum ordines fulgidiſſima micat. Quid enim ob adeptum cordis munus, ob detectos lymphatici humoris fontes, ob inventos chyli canales, & ob apertè viſas variorum corporis humani fermentorum actiones, non habet, & non oſtentat? Vera enim Phyſica morborum omnium tùm internorum, tùm externorum cauſas infallibiliter monſtrat; & monſtratas deperdit: Quidquid enim de Fermentatione Medicina deſideravit, invenit in* Clar. Willis, *omnia quæ in Autopſia exoptavit, habuit in* oculatiſſ. Bartholino, Blaſio, Diemerbroeckio, *& aliis, quos futura nominabit Ætas; Quidquid in Philoſophia excupivit, clarè demonſtratum collegit à* Sapientiſſ. vander Beckio, Boyle, A. Le grand, Hortio, *& aliis doctiſſimis Viris; quæcunque in Chymia expectavit, completa vidit ab* Acutiſſ. Grimmio, Helmontio, Crollio, Tachenio, Schrodero, I. Le Mort, Hofmanno, *aliiſque; omniaque tandem in Praxi deſiderata, dilucidata reperiit à* Famatiſſ. Sylvio de le Boe, Rolfincio, Riverio, Boneto, *aliiſque plurimis; è quorum Auctorum ſcri-*

ptis quiſque ſcit quot circumveſtiatur Medicina decoribus : Sed Proh. Calamitas ! talibus præcedentibus Auctorum monumentis nonnulli ſunt qui res Medicas magis etiam apertas, velut imperceptibiles damnant ; & tantum nomine Medici, malunt errorem unum Antiquorum infinitis erratis defendere, quam unam veritatem modernorum experientiis, rationibuſque concommitantibus proſequi ; At iſtos perdant numina, & parce tu, Amice Lector, *ſi nimis in hæc antiquitatis mancipia linguam deporto ; nam erga ea tanto afficior furore, ut quodlibet, quod ſui dedecoris eſſet verbum libentiſſimè facerem : Scias verò me, has Animadverſiones typis mandaſſe, quia alios vidi proprios impreſſioni tradentes labores, oſcitantes enim alios ad oſcitandum invitant. Ulterius impreſſiones, ut loquar ſenſu* Aug. Maſcardi *ſunt morbi peſtilentes, velut & contagioſi, alios enim inficiunt ; Te autem,* Lector Benevole, *precor, ut ſi aliquem audiveris meum hoc opuſculum verbis malignis lacerantem, ei parcere velis, & riſum prorumpere ; eſto enim certus hominem in hoc mundo non eſſe, qui de malevolis detractoribus, & mommis rideat, ac ego facio ; Interim me ama, & meis laboribus parce, quod ſi feceris ſecundam Animadverſionum mearum partem habebis.* Vale.

JOSE-

JOSEPHI LANZONI

PHILOS., & MEDICINÆ DOCTORIS FERRARIENSIS.

ANIMADVERSIONES VARIÆ.

ANIMADVERSIO I.

De Epilepſia.

EPilepſia, morbus comitialis Herculeuſque dictus, non quòd Hercules eo laboraſſet, ut Antiqui magis fingunt, quam aſſerunt, ſed ob ejus virium magnitudinem, quæ nonniſi fortiſſimis remediorum præſidiis ſuperari poteſt nihil aliud eſt quàm totius corporis convulſio non perpetua, ſed interpolata cum mentis ſenſuumque læſione; partemque affectam primariò eſſe

Cerebrum, ſecundariò autem nervos ſtatuunt Doctores. In genere verò omnis Epilepſia oritur ab incluſis halitibus nitro-ſulphureis, ſpiritus animales ad inſtar pulveris pyrii, ſi Williſio credimus, explodentibus, qui fulguri ſimiles incidunt in Cerebri cellulas, aut inter Cerebri membranulas, aut meninges, & quandiù incluſi ibi manent, non ſolùm ſuis extenſionibus, ſed & vellicationibus juxtà ſuæ effervescentiæ naturam, ſaporem, & fætorem propter conſenſum membranarum totius corporis, epilepticas inducunt convulſiones, quàm quoque doctrinam docet citatus *Willis*, *Joh. Frider. Helvetius* aliique multi in hoc maximè ducti à rerum omnium magiſtra, quæ in vexatis, modò à pollice manûs, modò à pede, genu, brachioque, vaporem elevari, & convulſoriam hanc affectionem excitari planè jam demonſtravit, hoc referente *Hippocrate lib.* 2. *Prædict.*, *Zacuto*, *Boneto*, *Montano*, *Rhodio*, *Burneto*, qui quidem omnes medicinæ Proceres à vapore quodam maligno, ac occulta vi Cerebrum infeſtante, fontici iſtius affectûs cauſam agnoſcunt; quamobrem hic rejicienda aliorum Auctorum placita non puto, aſſerentium ex pituita acri, lympha acido-auſtera, melancholia præternaturali, pancreatico ſucco malignitate imbuto, epilepſiam excitari, dummodò tamen concedant auram illam malignam ab humoribus dictis conſurgere, & illas ſubſtantias pro remotis tantùm cauſis agnoſcere.

Habet & hic affectus remotiores cauſas, ex rebus nonnaturalibus deſumptas, ut inimicus ſiderum influxus narrante *Jonſtono*, *&* *Origano*, aër impurus, radii Lunæ, vina fortiora, excrementorum conſuetorum ſuppreſſio, ſicuti, & ex nimia lactis ingurgitatione Virginem epilepſia correptam vidiſſe teſtatur *Franciſc. Hildesheim.*; *Foreſtus* Hædorum carnes, Hepar Hircinum, & Coturnices accuſat; *Julius Alexandrinus* lentes damnat; *Salmuth.* ex candelarum extinctarum odore poſſe hujus affectûs oriri cauſam deprehendit; *Zacutus* ex bombardarum fragore epilepſia corripi poſſe teſtatur; *Joſeph Schifmannus*, immodicum coeundi vitium ſonticæ paſſionis cauſam accuſat; ſeroſam Colluviem *Carolus Piſo*; Vermes *Bartholinus hiſt.* 7. *centur.* 4. Secundinas retentas *Galenus*; *&* *Zacutus*; Lienis tumores *Tulpius*; Fracturam

Cranii,

Cranii, Cerebri abſceſſus, ſudoris critici ſuppreſſionem, araneæ morſum, poſſe morbum hunc efferatum excitare medicina concedit; tantaque demum hujus comitialis affectûs eſt cauſarum catalogus, ut integrum de his librum exigeret; Plura autem optanti monſtrabit *Galenus de locis affectis cap 5. Schenckius lib. 1. Gabelchoverus centur. IV. curat. 6.*, aliique plurimi, tàm antiqui, quàm recentiores. Sacram verò hanc paſſionem cupiens dignoſcere, advertet corpus ex improviſo aggreſſum, & in terram præcipitatum, ita ut pars, quæ primò alliſa fuit, livore, aut ut ſæpiùs contingit, vulnere afficiatur, ſtridorem dentium, oris ſpumam quæ tamen in aliquibus non apparet, capitis concuſſionem, & totius corporis convulſionem; Aliqui proprium pectus immaniter contundunt, aliis præcordia, & hypochondria intumeſcunt, ut notat *Chriſ. Willis*; nonnulli in paroxiſmo non cadunt, ut ſcribit *Marcellus Donatus*; alii audiunt, ut docet *Brunnerus*; multi ſedent, ut ſcribit *Dodonæus*; aliqui curſitant, ut *Eraſtus* vidit; ſtantque alii ut *Benivenius* affirmat: Cùm autem alia ſit Epilepſia ſympathetica, alia ſit idiopathica, hæreditaria, & proprio vitio acquiſita; idiopathicam, & hæreditariam iſannibiles, ſympatheticam verò, & proprio vitio acquiſitam curabiles neceſſarium videtur ex Practicorum obſervationibus inferre; quare hîc magnæ muliercularum, Barbitonſorum, Circulatorum, & Impoſtorum greges inſurgunt ad hanc, paucis tamen operibus debellandam affectionem; Ideòque *Valeſius*, & *Bartholinus* aliàs Auctores non contemnendi, hujuſmodi aſſociati gregibus, epilepticos ſurrexiſſe affirmant, ſi in eorum aures ſequentes verſus inſururrentur.

Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar Aurum
Hæc tria qui ſecum portabit nomina Regum
Solvitur à morbo Chriſti pietate caduco.

Hoc tamen ut ſuperſtitioſum naturaliter ab omnibus interdicetur, ni fortè velimus dicere ob clamorem in aures factum materiam morbificam tunc temporis fuiſſe diſcuſſam: *Hippocrates* autem ab hac afflictos paſſione conſolari conatur *ſectione* 2.

[apho-

aphoriſm. ſcribendo, *quicunque Juvenes comitiali morbo laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, & victuum quoque liberantur.* Unde læti ſtent juvenes morbo laborantes caduco, & mirabile dictu audiant de hoc morbo in canem tranſplantato, à *Felice Lanceloto* narratum de Ancilla quadam, quæ cùm in Epilepſiæ paroxyſmo caſu arctè ad ubera ſtrinxiſſet catulam, non ſine gaudio impoſterum, ſe liberatam, canem verò ſontico affectu diſcuſſam dignovit: Verùm quia raro contingit Epilepſiam tali modo corruere, ut dogmatico ſpectat medico, genuinam, & methodicam inſtituere curationem opus eſsè videtur, de qua legere poteſt *Sennertum*, *Williſium*, *Riverium* aliosque practicos.

ANIMADVERSIO II.

De igne è corpore emiſſo.

CLariſs. *Theophil. Bonetus in Medicin. Septentrionali. tomo. 3. lib. 3. de imo ventre ſect. 2 cap. 11. pag.* 517. mira refert exempla aliquorum, qui flammas è corpore viventi per vomitum emiſere, ſic de Polono Equite ſcribitur, qui poſt multæ aquæ ardentis aſſumptionem flammam evomuit magna ſodalium admiratione, ut narrat *D. Adolph. Vorſtius*, & *Thom. Bartholinus*: quin etiam de multis aliis legitur è ſpiritu vini ebriis, qui ſupini fuerunt ſiti, ut faciliùs flammas ex eorum ore prodeuntes efflarent ſine ſuffocationis periculo, ut notat *citat. Bartholin. lib. de luce Animal. optimè* conſcripto; ſed præ cæteris mirum eſt de quodam adoleſcente ſuccubo in peccato ſummè nefando; de quo narrat *Clariſ. Joh. Jacob. Piſani*, quod Chirurgus candenti ferro dum excreſcentias carneas circa anum adnatas reſectas prius combureret, repente exivit flamma ex ano, non ſine adſtantium riſu, & admiratione, qui crimen ejus planè ignem meruiſſe fatebantur, unde flammas demandaſſe ad aliorum exemplar dicebant; de quo plura legi poſſunt apud *D. Bonetum citato loco*, *Bartholinum de luce Animal.*; *Licetum*, *Gogleniun*, *Ruyſchium*, & alios curioſos non minus, ac utiles Auctores.

&

ANIMADVERSIO III.

De ſumma alvi ſtypticitate.

ANno 1687. menſe Maii vocatus fui ad quandam fœminam viſendam melancholico præditam temperamento Annorum circiter 60. febri duplici tertiana laborantem; cui Alvus tam adſtricta erat, ut intra decem dies tantum beneficium corporis eſſet paſſa, unde potione noſtra ordinaria ſolvente præſcripta nihil penitus dejecit; ita ut ſi corporis beneficium ab ea volui, opus fuit, ut ei darem Bolum ſequentem id eſt ℞. *Electuarii lenitivi*, *Diacatholici ana* ʒ. v. *v. pulveris Diagrydii gr. x. miſce fiat Bolus.* Et hoc ſumpto medicamine bis per Alvum purgata eſt; unde miram ſum in hac fœmina contemplatus ſtypticitatem; de qua re alios lege ſimiles caſus *Lector Amice in Medicin. Septentrionali Boneti lib.* 3. *tomo* 1. & apud *Th. Bartholinum*, *Hagendorium*, *Marcellum*, *Donatum*, *Gothofred. Chriſtian. Winclerum*, *Joh. Ludovic. Hannemannum*, *Joh. Schmidium*, *Joh. Georg. Volckamerum*, *Hertodum*, & alios Practicos.

ANIMADVERSIO IV.

An medicamenta opiata conveniant in menſium nimio fluxu curando?

OPtima eſſe medicamenta opiata in debellandis morbis eſt in confeſſo apud omnes; opium enim irritatos ſpiritus mulcet, dolores ſedat, fluxiones ſiſtit; ſomnumque inducendo morbi ſymptomata reddit mitiora; unde *Præſtantiſſ. Franciſc. de le Boë Sylvius*, ferè ſemper in quovis medicamine opium miſcet, ut ſcilicet, ſi aliquam pareret medicamen moleſtiam, opii potentia inſenſibilem reddat. Hinc eſt poſtea ut *Frideric. Hofmannus* inquiat opium in doloribus ubi ſuſpicio vel malignitatis, vel ſoporoſi affectus non adeſt, in diarhœis, dyſenteriis, hæmor-

rhagia, vigiliis nimiis coërcendis, & aliis affectibus ſopiendis felici cum ſucceſſu adhibeatur, hoc etiam confirmante *Clariſſ. Jacobo Bontio*, *Theod. de Mayerne*, *& Williſio*, qui ſcribit *in Pharmaceutica rationali parte prima ſectione ſeptima cap.* 1. Opiata medicamina pulſus, & reſpirationis vehementiam minuere, & ipſius inordinationes regulare, viſcerum ſpaſmos excretorios ſedare; ſudores, & urinas movere, in calculo, & podagra juvare, ſpaſmos convulſivos tollere, & alia quàm plurima edere juvamenta, ut Pharmaci divini nomine inſigniatur opium à *citato Williſio*; *& Gregor. Horſtio*, narrante de conjuge ſua doloribus frequenter infeſta colicis, & ſolo clyſtere, & laudano opiato ſanata: quare in præſenti Animadverſione inquirendum: An etiam opium in nimio fluxu menſium proſit; cujus affectus hiſtoria delineata habetur à Practicis. Advertendum itaque opiata medicamina conducere in hoc affectu; nam cùm Natura quaſi furibunda opere expellendi excedat, ut opus naturale ſymptomaticum evadat, hinc neceſſe eſt, ut motus naturæ ſiſtatur, quod poſt alia communia medicamenta per uſum narcoticorum fieri poteſt; notando tamen opiatis cautè utendum, quia mulieres natura quoad calorem innatum debiliores ſunt viris, ideo vehementibus ſtupefacientibus læduntur; non enim dubito quin urgente neceſſitate, benè conſideratis circumſtantiis, tribus granis Laudani opiati ritè præparati plus præſtemus ex voto, quam ſi potiones quam plurimis ingredientibus conſtantes adſtringenti virtute donatas iteremus, nauſeam abſque fructu pariendo, ait enim *citat. Hortius* menſtruis ſuperfluis omne reliquum medicaminum genus eludentibus dextrè per correctum opium ſuccurri; cùm enim, referente *Sylvio de le Boë* opium ſummam vim habeat impediendi, & compeſcendi vitioſam humorum efferveſcentiam, hinc ergo erit quod fluxus nimius menſium ſedabitur per opiata medicamenta cautè ſemper adhibita, fluxus enim menſtrualis à motu ſanguinis particulari dependet excitato à fermento uterino, de quo apud *Clariſſ. Graaf*, *Diemerbroeck*, *Charletonum* alioſque videre eſt.

ANI-

ANIMADVERSIO V.

De Phthiſi ab ulcere gutturis.

DAniel Ludovici referente *Boneto tom.* 1. *Medic. Septentrion.* narrat Senatorem quendam Hasfurtenſem in Franconia tabe extinctum eſſe ex exulceratione aſperæ arteriæ, cui ſimilis caſus ſequens eſt Ferrariæ Anno 1687. Adoleſcentula quædam nomine *Chriſtina de Panizis* 19. annum agens, boni habitus, & formoſa valdè, maximo dolore in aſpera arteria afflicta fuit, cum tuſſi inexplebili, per quam expuebat pauculam copiam ſanguinis. Ceſſavit inde ſcreatus, ſed non dolor, & febris invaſit primo putrida, inde hectica; Vocati in Conſilium Medici, ut opem miſeræ adoleſcentulæ darent, hecticam phthiſicam incipientem dicunt, ſed mirantur à quanam parte originem Tabes habeat, dum tantum de dolore in gutture, & oris inflammatione quereretur; ad oris inflammationem gargariſmata refrigerantia præſcripſere, inde venam pedis dextri ſecari juſſerunt ad uncias ſeptem ſanguinis effodiendas; pulveres antifebriles cum aquis cardui benedicti, & ſcorzoneræ propinarunt, necnon pertinaciam affectus videntes, lac caprinum cum Saccharo quavis manè præſtitere: ſed ſemper ægra in pejus ruebat; Medicis in mentem venit pulverem Chinæ Chinæ tradere, ut hujus pulveris potentia febriles æſtus compeſcerent, fortaſſis edocti à *Nicolao de Blegny Chriſtianiſſ. Majeſtat. Archiatro*, ſed fruſtrà, nam febris hectico more perſeverabat, & ſummo cum faucium dolore, ita ut nec ſorbillare ferè poterat patiens; Ad lac denuò recurrunt, & ægra die 24. Maii per tuſſim valdè moleſtam evomuit multam copiam ſanguinis ſatis purpurei; quem ſanguinem ſine dolore exire ipſa fatebatur; ob id adhibita fuere adſtringentia, & incraſſantia uſualia, & propinatum fuit Balſamum Sulphuris; ſed omnibus in vanum tentatis auxiliis tandem miſera Fato ceſſit extremo; monſtrando quod, heu nimis verum eſt! Phthiſes eſſe morbos irreparabiles.

ANIMADVERSIO VI.

An in Dyſuria, Stranguria; & Iſchuria diuretica ſint adhibenda.

ERror eſt apud aliquos medicinæ Tyrones ægris in ſtranguria, dyſuria, & iſchuria diuretica medicamenta propinandi, ut hac via fortè morbi cauſam avertant, ut qua data porta ruat: Verùm ægrotos præcipites agunt, & artem medicam malè faciunt, ſemper enim de malo in pejus ruunt affecti ſupradictis morbis, ut elapſis menſibus in quodam R. P. Auguſtiniano apparebat niſi à Medico ſanè primo meliori, ſaluti ſuæ fuiſſet ſatisfactum; Medicus enim primus eum diureticorum ope in miſerandum ſtatum conjecerat; Aſt ut iſtius veritas gratis non videatur aſſerta, breviter circa hoc aliqua notare fas fit, *Paſchalius* enim Autor non contemnendus *Practicæ ſuæ cap.* 50. monet Medicos, ut à diureticis abſtineant ægros, narrando de quodam, cui ab empirico propinatis diureticis, diabete inſanabili affecto; ut & accidit elapſis menſibus Ferrariæ in R. P. Zechino Ordinis Minor. Obſerv. S. Franciſci, & circa hoc notat etiam *Theophil. Bonetus*, nunquam tutò propinari ægris poſſe in morbis ſupradictis diuretica, quia præterquamquod moleſtatur Natura, ducitur quantitas humorum inconcoctorum, & ſanguinis ad renes magno cum vitæ diſcrimine. *Solenander* ulterius, & *Harttmannus* advertunt, ne in affectibus dictis ſumantur diuretica, quæ quia calida ſunt, & acria, & ſeroſum humorem à craſſo ſeparant, materias multas ad veſicam mandant, quare ſolent grave periculum inferre viis, qui veſicæ debilitatem patiuntur; quod eſt graviſſimum, inquit citatus Doctor, & capitale crimen, quod quotidiè committunt non ſine errore aliqui Pſeudomedici in ſuppreſſione & ardore urinæ; Unde melius in caſibus iſtis exiſtimatur maſſam ſanguinis demulcere, acredines mitigare, & impedimenta tollere, quæ & lactis uſu, & decoctis demulcentibus humorum acrimoniam, aliiſque ſimilibus à Practicis uſitatis, poſſunt tutò abſolvi, ſine vano ad medicamina diuretica recur-

ſu,

ſu, qui rarus ſemper debet eſſe in dictis affectibus, & ſi aliquando, morbo medicamentis aliis non cedente, diuretica adhibenda ſunt, hoc tamen ſumma cautione faciendum, & tam cautè, ut medicamenta potius nihil agant quam lædant; Hìc autem omittere nequeo remedium illud facilè in difficultate urinæ ab *Henrico ab Heer* relato, videlicet de ſacculo colo appenſo pleno pulvere vivi Bufonis in olla nova mediante furni calore exſiccati, quo remedio ſanatam fuiſſe fœminam fatetur, ſic à quodam Empirico edoctam.

ANIMADVERSIO VII.

De Cordis palpitatione.

PRoh Deus immortalis! quot modis ſuperbiam humanam caſtigatam voluiſti, modo enim Apoplexia; modo Hydrope aliiſque praviſſimis affectionibus, eam caſtigaviſti, ut diſcerent homines ſuam vitam eſſe inter calamitates conſtitutam, adeóque ambitione non imbuendam: Inter modos autem quibus utitur Cœlum ad affligenda corpora, præcipuum obtinet locum cordis palpitatio quæ, ſi *Williſio* credimus, eſt cordis motus inordinatus in vibrationum ejus crebritate, & obſervarunt Practici nonnunquam à vehementiori cordis vibratione coſtas infringi, ac in junioribus foras propelli, & protuberantes manere; eſt igitur cordis palpitatio, immoderata, & præter naturalis illius partis concuſſio vehementi diaſtole, ac ſyſtole moleſta, & oritur ut optimè notat *Clar. Sylvius de le Boe* à re quavis cor ad ſui contractionem inordinatè, ac inæqualiter irritante; quod ſi ejuſdem vis animalis potens exiſtat, hoc eſt copioſi ad cor ferantur ſpiritus, nihilque ejus contractionem impediat cum vehementi quaſſatione, coſtarumque verberatione palpitatio contingit; adeóque eſſentiam ejuſdem palpitationis in hoc conſiſtere cogito videlicet in motu illo modis omnibus inordinato, non tantum ſecundum magnitudinem, ſed frequentiam, & robur, ità ut tunc cor palpitare propriè ſit dicendum, quandò in omnibus

illis ſpeciebus ſimul ſumptis obſervatur pulſus inæqualitas. Cauſſæ hujuſmodi affectus poſſunt eſſe vel ſanguis vitioſus, puta, acris propter mixtos liquores acriores, nec à cruore temperari aptos, lympham præſertim, ſuccum pancreatis, ipſamque bilem, vel vapores, halitus, flatuſque acres unà cum ſanguine ad cor delati, vel venenum aliquod naribus attractum, ore ſumptum, aut forinſecus per poros, vulnera, vel aliter ſanguini admixtum, ac ſuam in ipſo acrimoniam ſervans, vel tandem aliquid in pericardio hærens, acre, & cor mordicans vel pungens; Hæc igitur, & ſimilia inæqualiter cor vellicantia cauſæ ſolent eſſe cordis palpitationis; quod verum eſſe tum uſurpatorum, omiſſorumque obſervatio, tum curatio hujus affectus, tum cadaverum ſectio per experientiam probant, vel ſaltem confirmant; Poteſt autem aliquando à ſanguinis in Arterias effluxu impedito procedere, ut oſtendit *Clar. Willis* una habita de hoc obſervatione in cadavere cujuſdam Theologi, ut videre eſt *cap. de Cordis palpitatione*; Hîc autem obiter advertendum cogito Hypochondriacos, & ſpaſmodicè diſpoſitos, inſultus iſtius affectionis per ſæpè ſubire; nam cùm laborent in ipſis plexus nervoſi, nemo enim eſt, qui neſciat Hypochondriam, generis nervoſi affectionem eſſe, reliquum eſt, quod ſpiritus iſtarum partium incolæ frequenter in ſpaſmos, & contractiones inordinatas tranſeant, atque cordis palpitationem irritati conficiant, de quo ſi quis fuſius videre optet, legat citatum *Willis*, & *Joh. Stephanum Bononiam*. Malum autem hoc ab ægri relatione cognoſcitur, manuque ſupra cordis regionem appoſita deprehenditur; eſtque hic motus in corde alias debilior, alias validior, & aliquando tam validus fuit, ut ab adſtantibus audiretur, ut referunt *Chriſtophorus à Vega*, *Sennertus*, & *Foreſtus*; dignoſcitur, & à pulſu crebro, celeri, & parvo, & quod ex quovis labore etiam leviſſimo palpitatio crebrior contingat: Prognoſis verò affectionis iſtius primò inſtituenda eſt periculoſa ob læſum cordis motum, quo vita conſervari debet, & frequenter ad ſyncopem deducit, tandemque hominem de medio tollit, unde *Galenus comment. Aphoriſm.* 41. *ſectionis* 2., ait omnes, qui juvenes cordis palpitationi obnoxii fuere ante ſenectutem extinctos eſſe.

Cor-

Cordis autem palpitatio alia eſt idiopathica, & eſt periculoſior, aliaque eſt ſimpathica, ut obſervat *Riverius lib. 8. cap. 2.* non tam perniciosa; & advertit *Sennertus* malum hoc ſæpiùs recurrens tandem hominem jugulare, & quidem ſi à pericardio affecto proveniat ad tabem ægrum deducere. Si proveniat à ſoluta unitate malum jam eſt deſperatum, ut etſi à cauſa venenata proveniat; ægrique enim tales raró ſanantur, ſed citò emoriuntur.

ANIMADVERSIO VIII.

An Paracentheſis in Aſcite conveniat?

MUlti ſunt Medicinæ Practici, qui Paracentheſim in Hydropis curatione commendant, multique qui ipſam tanquam vanam operationem rejiciunt; quare breviter perquirere in præſenti pagina mihi fas ſit, num in Hydropis curatione deceat? Paracentheſis enim nihil aliud eſt, quàm Abdominis perforatio punctim facta, quæ quidem punctio tanti eſt momenti, ut ſæpè ægros aliter deſperatos, ut nonnulli ferunt, in vita conſervaverit, aliquando autem mortem ægris acceleraverit; Unde ſi rationi credimus nunquam perforare Aſciticos debemus, tum quia Paracentheſis non tollit morbi cauſam, ſed tantummodo effectum, id eſt lympham in abdomine ſtagnantem, tum quoque quia hac mediante operatione ſpiritus vitales diſſolvuntur, & ſic faciliùs lux vitalis extinguitur, & æger citiùs perit; quod morbi cauſam non tollat, patet; nam lympha extravaſata morbum non cauſat, ſed à cauſa morbi dependet, ſcilicet ab acredine lymphæ membranas lymphaticorum vaſorum frangente ſi *Barbettæ* credimus; quodque ſpiritus hac data porta citiùs difflent probatur, nam in lymphatico humore, ut & in aliis multi ſpiritus inſunt, & ſic quo dato ſpatio ruunt cum vitæ diſcrimine, unde poſtea quoque Paracentheſis defenſores jubent paulatim lympham in Hydrope effodi, ne ſpiritus magna copia evolent, hoc docente cum omnibus ferè Practicis *Aquapendente*; Igitur prò certo tenendum in confirmato Hydrope vanam eſſe Perforationem,

nem confirmato inquam; nam ſi ullum haberet locum maximè haberet in incipiente conjuncta tamen cum aliis Medicis præſidiis, & internis medicaminibus; Scio autem nonnullos fuiſſe, ut teſtantur medicinæ Practici, qui iſtius ope operationis è manu Libitinæ hydropicos furati ſunt; ſed Auctores, inter mille Aſciticos, qui perforati fuere, quia unus ſanatus evaſit de ipſo tantum mentionem faciunt, alios in ſepulchro linquentes; Ideò non tentanda operatio ſi deſiſtere poſſumus, & aliis uti medicamentis, ut monet *Avicennas* dicendo. *Non audeas perforare abdomen quandiù poſſibilis eſt alia cura*; & ego poſſum fateri quod quotieſcumque factam vidi paracentheſim, vidi quoque paulo temporis intervallo ægros ad tumulum deferri; quibus perforatione prius extracta fuerat lympha; unde ipſi per foramen arte factum non tantùm humores proprios demandarunt, ſed Animam, & impatientes de illius exitu, novos aditus aliaſque portas præſtitere.

ANIMADVERSIO IX.

De nunquam ſatis laudata virtute Elixirii vitæ.

QUantum ſemper inter medicamenta profuerit elixir vitæ, omnes qui Apollineam agunt Artem, noſcunt, & clarè demonſtratur in caſu ſequenti; Anno enim 1685. die 10. Menſis Novembris, Filiola unius Barbitonſoris annorum novem cecidit in puteum, ex quo ſalva extracta illicò muta facta non loquebatur, nec dormiebat, nec edebat, ſed ſemper apertis ad Cœlum oculis ſuſpiria mandabat: me in conſilium vocant, & ſtatim guttulas nonnullas elixirii vitæ ſumendas præſcribo, quo ſumpto meliùs ſe habere incepit, & locuta eſt; hinc è vena manus ſiniſtræ miſſo ſanguine ad uncias quatuor ſana evaſit.

ANI-

ANIMADVERSIO X.

De Dyſenteria.

DYſenteria, eſt frequens, cruenta alvi dejectio cum ventris dolore, ac torminibus ab inteſtinorum ulceratione dependens. Modo ſine febre, ſed ferè ſemper cum febri, ſi *Riverio* credimus, quem ſequuntur omnes ferè Practici; ſi verò definitionem à *Lazaro Meyſſonnerio* petamus, in reſponſum habebimus, dyſenteriam eſſe impedimentum ſpiritus animalis dolentis ab acrimonia humoris exulcerantis, ſolventis, & difficultate in motu, conjunctum cum impedimento ſpiritus vitalis ſanguinem, qui circulatur ab arteriis meſentericis in portæ ramos retinere ſufficienter non valentis propter corroſas anaſtomoſes; verùm melior, & clarior prima meo judicio acceptanda magis videtur definitio, quæ eſt tanquam hujus affectus deſcriptio, qui referente *Galeno* quatuor habet differentias, una eſt cùm ſanguis purus per aliquam corporis partem abſciſſam proſilit, alia cùm liquor aquoſus loturæ carnis ſimilis per Anum exit, tertia cum melancholicus, & niger cruor excernitur, & quarta quæ propriè eſt dyſenteria, in qua brevibus intervallis, æger cum humoribus, & excrementis ſanguinem cum doloribus ejicit, cujus morbi cauſa proxima accuſatur inteſtinorum irritatio, & facultatis expultricis ſtimulatio, ab ulcere eorum proveniens; mediatæ autem, & remotæ cauſæ poſſunt eſſe, vel internæ, vel externæ; internæ verò vel adventitiæ ſunt, id eſt humores acres, vel in ipſis inteſtinis productæ; externæ autem poſſunt eſſe, quæcunque humores acres, & vitioſos parere poſſunt, vel jam genitis pravam illam diſpoſitionem dyſenteriæ excitandæ idoneam producere; inter illas primum locum tenent cibi acriores, vel corruptioni valdè obnoxii, ut fructus horarii, & alii omnes qui non ſatis maturi devorantur, & ad fructus debent reduci uvæ, & muſtum, illis enim ex nebulis, arenulis, ac vermibus multa inſunt quæ humores inficere valent; tandemque ad dyſenteriæ

cauſas contagium eſt referendum, cùm hac graſſante unum ab alio affici quotidiana demonſtret experientia, ut optimè docet *Thom. Bartholinus centur.* 2. *hiſt. Anatom.* 65.

Signa diagnoſtica ſunt frequens alvi dejectio cum dolore, ventris torminibus, præſertim in ipſo excretionis actu, & paulò ante excretionem; Aliquando, ut dixi ſupra, dyſenteriæ febris conjungitur, immò totas quas vidi uſque adhuc ſemper febri annexas agnovi, hoc etiam docente *Bernard. Verzaſcha;* dixi autem aliquandò, quia *Fernelius* dicit *non omnem dyſenteriam febris comitatur.* Interdum autem febris præcedere ſolet, nam per ipſam ad inteſtina propelluntur humores acres, ac vi, ut puto cantharidali, ac inteſtinis infenſa præditi, & ſic iſte affectus producitur: Plerumque appetitus adeſt proſtratus, nauſea, & vomitus frequenterque teneſmus replicatur; quod verò ad ſigna cauſarum attinet ex excrementorum inſpectione detegitur; In primis autem conſiderandum an maligna ſit dyſenteria, quod ex ſymptomatum ſævitia dignoſcitur, & maximum in morbi cura præſtat medico auxilium ſcire num tenuia vel craſſa inteſtina in hoc morbo afficiantur; Vulgus enim putat, quod ſi dolor ſit ſuprà umbilicum tenuia inteſtina, ſi verò infrà dolor ſentiatur craſſa affecta eſſe, ſed cum tenuia inteſtina, & ſuprà, & infrà umbilicum jaceant, ideò hoc non ſolùm eſt conſiderandum, ſed modum exitus materiæ, dolorem ipſum, ſi enim tenuia inteſtina læduntur dolor acutiſſimus urget; hæc enim ſenſu exquiſitiſſimè prædita ſunt: quando autem craſſa laborant non ita acutus dolor invadit; de quo plura apud *Clar. Rodolphum Burcardum* in eleganti de hoc morbo diſſertatione.

Prognoſis hujus affectus primò deſumitur ex *Hippocrate Aphor.* 23. *ſect.* 4. qui dicit dyſenteriam ab atra bile ortam lethalem eſſe; ſecundò ſi à bile dyſenteria naſcatur medicamenta admittat; ſi ab humoribus ſalſis contumacior ſit, quia propter materiæ lentorem diutiùs adhærentem gravius affligit; ex eodem autem *Hippocrate Aphoriſ.* 26. *ejuſdem ſect.* habetur quod ſi per dyſenteriam veluti carunculæ dejiciantur mortiferum eſt, quia profundum indicat Ulcus; At ſi dyſenteria non ſit morbus, ſed alterius morbi ſymptoma, V. G., febris malignæ, aut aliquo modo ac-

cedat acuto, ſemper mors eſt in propinquo, ut monet *Sapientiſſ. Th. Sidehamius cap. de dyſent. Londin. pag.* 245.

ANIMADVERSIO XI.

De ſummo capitis dolore cucurbitula fugato.

MIles quidam magno à dolore capitis per plures dies tormentabatur, ſed fruſtrà tentatis prius aliis remediis, tandem cucurbitulam magnam, eamque ſcarificatam ſummitati dorſi apponi juſſi; quo facto benè ſe habuit, & faſſus eſt, ſe dum cucurbitula applicabatur à morbo ſentire levari; qua de re Practicos hortor, ut hoc medicamine in doloribus capitis ſæpè utantur.

ANIMADVERSIO XII.

De miro capitis vulnere ſanato.

QUantum ſemper in rebus ſuis admirabilis fuiſſet natura, elapſa demonſtrarunt ſæcula in Medicis præcipuè obſervationibus; modò enim pus in brachii tumore collectum expurgavit per fauces: modò acus ſinè ulla difficultate per urinam dimiſit; modoque venenum ſumptum in alimentum mutavit. de quibus plena ſunt opera, & *Welſchii*, *Zacuti*, *Riedlini*, *Riverii*, *Schenckii*, aliorumque. Inter alias autem obſervationes infimum non habet locum ſequens à me viſa annis elapſis, & à *Clariſſ. Joh. Baptiſta Juſtino præceptore meo dilectiſſimo dum erat in vivis* feliciter tractata, in quodam Hebræo Ferrarienſi nomine Angelo Levi, qui per aliquot menſes tumorem paſſus fuit in poſtica capitis parte, ſine ulla unquam febri, nec dolore; Aſt nolens amplius in capite illum tumorem ferre ad Chirurgum acceſſit, qui primò lenientibus demolito, ut ſanies effoderetur cum ſcalpro aperuit Chirurgico, at ter quaterque comprimens

nihil niſi pauculas ſanguinis guttulas promanare proſpexit, ut poſteà timens de eo quod inde ſucceſſit pronus vocavit præceptorem meum, qui propriam non dimittens prudentiam, ſed totam adminiſtrans peritiam ei adnatam, ſaniem adinvenit valdè inferiùs latentem, quæ ſaliens, velut ſanguis ex arteria videbatur diffluere, adeo ut ipſe primo, poſteà ego ipſius ſaniei motum, & talem exitum ab arteriæ unius motu dependere aſſeruimus; ſed tempus nos toto Cœlo errare demonſtravit, nam tertio abhinc die volens præceptor ſpecillo vulnus ſcrutari, ejuſdem apice ſenſit, cranium perforatum, adeoque motum illum puris à motu cerebri membranarum dependere; Hinc ergo de morbi eſſentia certus ad vulneris dilatationem devenit. Aperto vulnere totum apparuit cranium non tantum fractum, ſed ubique carioſum, & à ſanie corroſum; Heu modo properent inſigniores medicinæ ſapientes, & eximii Chirurgiæ Profeſſores, & dicant quomodo potuit pus in Cerebro confici ſine febre, ſine actionum læſione, quomodo ſine dolore membranas, & perioſtria lancinare, & cranium tali modo corrodere; hæc enim ſunt de illis, quæ cum Socrate me cogunt dicere. *Scio quod nihil ſcio.* Aſt redeamus ad modum quo cura peracta feliciter fuit; Facta igitur ſeparatione unguentis uſualibus, & pulveribus purgato ulcere, ſquammiſque vitioſis oſſe ſpoliato, adveniente porrò ſarcoide, Ulcus in Cicatricem mutatum breviter fuit magno cum omnium admiratione. Hinc diſcant Medici ſe gloriari haud poſſe naturæ arcana cognoſcere, nam ſi hæc quæ manualibus eget adminiſtrationibus, & ocularibus inſpectionibus, talis fuit, ut mirabilis, & imperceptibilis ab omnibus putata extiterit, quæ poſteà ea erunt, quæ in interioribus corporum locis delitеſcunt.

ANIMADVERSIO XIII.

An in Diabete conveniant ſudorifica ?

IN multorum morborum curatione optimum eſſe ſudores ciere docent Medico-Practici, utpotè quia per ſudorem materia morbifica expellitur ſicque febres ſæpè curatæ viſæ ſunt ; an autem quoque ſudorifica in diabetis cura conveniant, notandum eſt Arabes laudare uſum ſudorificorum, ut iſtis divertant materiam à renibus in corporis ambitum, ſed hæc operatio ſuſpecta videtur *Raim. Joh. Fortis*, etenim vel in corporis ambitum ducere volunt ſeroſitatem jam in hepate contentam, aut rem potulentam nuper ebibitam ; ſerum autem perfectum educere nequeunt quia in venis non adeſt cum ferè ſint exſiccatæ, igitur attrahent rem immutatam, potulentam ſcilicet, ſed multò deteriùs eſt potiones immutatas diſtribui in omnia vaſa, & ambitum corporis quam per lotium educi, ut docet *Saxonia in prælect. practicis cap.* 34. Scio autem multoties aliquos à Diabete fuiſſe liberatos ſudoris uſu poſt communem purgationem adhibiti, qui ſequenti modo ſuſcitabatur, videlicet præbendo drachmam unam Cornu Cervi philoſophicè præparati ; inde propinando copioſam aquam gelidam ægro cucurbitis ad latera aqua calidiſſima plenis, impoſitis, hoc docente mutatis verbis *Theophil. Boneto.*, *& citat. Saxonia.* Addo inſuper ſudorem in principio hujus affectus inutilem omninò eſſe, tum quia moleſtiam ſummam ægro præſtat, & debilitatem, tum etiam quia natura ab eo quod agit moleſtata detrahitur, & avertitur ; unde ferè nunquam ſudore uterer in Diabetis curatione.

ANIMADVERSIO XIV.

De Spiritibus.

HUmani corporis partes ex triplici componi claſſe demonſtrat *Hippocrates Epidem. 6.*; ubi ait partes dividi in contenta, continentia, & impetum facientia, & per contenta humores intelligit, per continentia partes indicat, & per impetum facientia ſpiritus oſtendit, ex quibus partium ordinibus nullus nobilior inſurgit, ac tertius, ſcilicet ſpirituum claſſis, qui Animæ inſtrumenta proxima cùm ſint, hinc eſt, ut cùm illa nobilitatem ſuam oſtentare videantur; anima enim exercere non poteſt actiones corporeas utpotè materiales, quia ipſa tota ſpirituali eſt, niſi à ſpiritibus, ut à miniſtris illius mandata ad corporis actiones habendas adminiſtrarentur; unde citatus *Hyppocrates* hoc videtur confirmare dum *libro de corde* ſcribit mentem hominis in ſiniſtro cordis ventriculo inſitam eſſe, & reliquæ animæ, *Spiritibus ſcilicet* imperare; quare de ſpiritibus in præſenti Animadverſione breviter aliquid adnotare propoſui, ut ſcilicet meæ iſtæ de ſpiritibus obſervationes ſpirituoſæ appareant. Notandum autem talis univerſalitatis eſſe ſpirituum doctrinam, ut mundum animal magnum appellaverint ſapientes, quapropter univerſali ſpiritu per auras undequaque diſperſo eum donavere, quem mundi Animam Platonici ſtatuerunt, & *Helmontius* fermentum nominavit, ex cujus beneficio vivimus, nutrimur, & nobis ſimile gignimus: ſed quia noſtrum eſt de Microcoſmo, non de Macrocoſmo diſerere, ideò ad mundi parvi ſpiritus, relicta mundi magni Anima calamum transferamus, de quo orbis ſpiritu qui cupit plura legat *David. Vander Bech. experim. circa rer. nat. princip. lib. 2.* & *P. Angeli in Luc. magic.* Cùm autem ſpiritus duplex ſit, unus ſcilicet, qui à Parentibus in generatione ſuppeditatur, aliuſque qui continuò primum fovet, ac generatur aſſiduè in corporibus, ideò ambos examinare opus eſt. Primus itaque inſitus dicitur à Doctoribus in ovi cica-

catricula, ut in Animadverſione de ovo dicam, implantatus, & innatus, qui in principio generationis noſtræ continetur, cujus beneficio vivimus, unde ab hujus ignis vitalis ceſſatione mors ſubſequitur, ut optimè explicat *Clariſſ. de le Boë Sylvius*, dicendo in principio ſui operis, *moritur homo quando extinguitur in eo vitalis cordis ignis*; quod autem iſte ſpiritus in cordis ſacrario ad inſtar flammæ micet, ac ſplendeat facilè patet præſertim ex textu *Hippocratis* Libro ſupra citato ubi ait: *eſt verò ſubſtantia in corde quæ dimittit radios ſuos in ciſternulam cordis*; Id enim quod radios amandat certè nihil aliud eſt quam ignis, ut experientiâ patet; Ulterius aliæ ſunt obſervationes de aliquibus animalibus corpore diaphano donatis in quibus manifeſtè cum diaſtole cordis flamma ſplendet, cum ſyſtole nequaquam, ſignum quod in cordis ventriculo iſta flamma moratur, ut videre eſt in cicindelis, & in muſcis illis lucentibus in inſulis Antillis repertis, quibus incolæ prò candelis utuntur, quarum lumen debile redditur quando morbo afficiuntur, planè verò extinguitur, quando pereunt, de quibus legantur *Acta Philoſoph. Angliæ*, & *Th. Bartholinus de luc. hom. & Brutor.*; Aura hac vitali ſeù ſpiritu inſito deficiente, actiones vitales deficiunt, & in momento perit omnis cerebri poteſtas, diſcontinuitatem autem hujus luminis ſyncopes produnt; ſyncopizantes enim in momento pallidè, & frigidè mortuorum ad inſtar jacent ob denegatum lumen: oculi in iis extinctorum more tenebricoſi videntur ob lucis defectum, ad quem poſteà ſpiritum referuntur teſte *Borello* obſervationes illæ primò de muliere quadam, quæ bona fruenti valetudine ſocias alloquens una die ſubitò de ingenti in fronte ictu conqueſta eſt, paucisque ab illinc diebus notum fuit eodem tempore quò ictum illa ſenſit, maritum ejus ictu Bombardæ in fronte occiſum fuiſſe, & de alia, quæ dum genitor à carnifice ſe inſcia, rotæ appoſitus laniaretur eodem tempore convulſione valida diſtorta fuit, & ingentibus vexata doloribus. Ob ſpiritum iſtum Canes irreconciliabiles cum canicidis inimicitias tenent, & trepidant Boves lanione præſente; hinc cadavera occiſa ad homicidæ præſentiam ſanguinem ſtillant, unde in *Geneſ.* 4. Habetur *vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Ob ſpiri-

ſpiritum hunc, hyemis tempore, dum Urſus in ſpecu ſomno ſepultus pingueſcit, urſina pinguedo in pyxide aſſervata intumeſcit, & ob flammam hanc tandem urina humana ſi deſtilletur, deſtillationis tempore, ejuſdem corpus è quo urina fuit deſumpta alteratur, & in morbum proclivem facit hominem, de qua re, qui plura cupit, legat *Jo: Cornel. Weber in ſuo Liquore Styptico.* Nutritur autem hic ſpiritus, aiente *Clar. de le Boë Sylvio*, ex convenienti pabulo, ſanguine ſcilicet laudabili, ob aſſiduam ſui conſumptionem reparatione indigenti continua, quam ſuppeditat chylus ex alimentis confectus; His autem breviter notatis de implantato ſpiritu, ſeù innato igne, ad influentem ſpiritum gradum faciamus, qui aliundè manat, & immittitur, inſitumque fovet, atque conſervat; inſitus enim ignis faciliter diſſiparetur niſi ab influxu continuò ſpiritus influentis conſervaretur; ideòque natura partes quaſdam produxit in quibus magna ſpirituum copia continuò generatur, ut per vias deſtinatas in omnes corporis partes influat ad inſiti ſpiritus tutelam; Duplex autem cùm ſit vitalis ſcilicet, & animalis, de ambobus ergo ſingillatim aliquid eſt dicendum; admittitur, & libentiſſimè naturalis ſpiritus ab Antiquis admiſſus. Pòſtquam enim clarè hæmatoſim in corde fieri oſtenſum fuit, illicò naturalis ſpiritus periit; Vitalis igitur ſpiritus definitur ſubtiliſſima, & efficaciſſima ſubſtantia, ex aëris portione, & ſulphureis ſalſiſque particulis ſanguinis, cordis fermentatione, ac vitalis ignis diſflagratione, dilatatis, & ſimul unitis conflata; dicitur ſubtiliſſima atque efficaciſſima ſubſtantia, id eſt ſuſcitata ex aëris, & ſalſis ſulphureiſque cruoris particulis, unde quælibet ſubſtantia tenuis, & vaporoſa, ut illa quæ ex ſeroſa ſanguinis portione exit, haud ſpiritus appellari debet, & ſi multoties adeo tenuis ſit ut viſum effugiat veluti ſpiritus, quia non eſt ſubſtantia efficax, ſed talis quæ copioſa ſui admixtione efficaciam ſpirituum infringit; cùm igitur ſanguis in cor illabitur ſubitò totius liquoris compages ſolvitur, & particulæ ſpirituoſæ ſoluto mixtionis vinculo, & portiunculæ aëris puriori aſſociatæ ſimul uniuntur, ſicque unitæ à reliquis exilire, & ſe undequaque expandere nituntur, & in apertos arteriarum ductus erumpere

per

per quos in totum corpus effunduntur; Unde patet ex ſuprà dictis ſanguinem duplici motu donatum eſſe, unus ſcilicet eſt circularis, qui à corde procedit, & per arterias ad omnes corporis partes propellit cruorem, alter verò fermentativus; qui ab hoc ſpiritu fit, quo minimæ ejus particulæ inter ſe agitantur, qualis motus vehemens in febrium criſibus, & menſtruorum emotione obſervatur; Poteſt autem & à corde iſte motus procedere eo quia illud viſcus hunc ſpiritum vitalem quotidie gignit, ac ſanguini immiſcet, ſuoque motu motum ipſius ſanguinis ſuſcitat, ita ut deficiente cordis motu, illicò etiam ſpiritus iſte, & lux vitalis deficiat; Hîc autem neſcire fateor, qua ratione coactus *Diemerbroeckius* aëris partem puriorem à ſpirituum vitalium generatione exiliet; clarè enim patet primò continuò per cutis poros aërem penetrare, & aſſiduè per inſpirationem, & reſpirationem ſanguini miſceri, & ad ſiniſtrum cordis ſinum amandari, tandemque cum cibis in ore refractis admixtum deglutiri, illiſque cibis, & alimentis in ventriculo per coctionem ita uniri, & ſanguini admiſceri, ideóque opus eſſe concedere ad ſpirituum vitalium generationem neceſſariò concurrere ſanguinem, aërem, & flammam vitalem, quæ cruoris maſſam in ſiniſtro cordis ſinu difflagrans, atque ſuccendens vitalem ſpiritum gigniat, unde ſubjectum primarium iſtius ſpiritus eſſe cor evincitur, ſecundarium omnes corporis partes quatenus ad illas vivificandas defertur, unde *Ariſtoteles* docuit *libro tertio de partib. animal. cap. 7.*, cor omnibus animalibus neceſſarium eſſe propter caloris, *ſpiritus vitalis ſcilicet*, originem.

Multos autem fuiſſe jam ſcio negantes ſpiritus iſtos dari, quos ſub ſilentio tranſit *Moebius*, ſed immeritò, iſtos enim ſaltem, ſi non in totum convincere, ad pugnam invitare ſpirituum iſtorum propugnator debet, quare evincendo dari ſpiritus vitales tali modo procederem. Anima exercere operationes corporeas nequit, utpotè ſpiritualis, ergo indiget inſtrumento medio inter corporeum, & ſpirituale; talis eſt ſpiritus, ergo ſpiritus negari non debet; Ulterius hoc clarè oſtenditur in ſpiritu cruoris humani arte facto, hoc enim ægris exhibito, iſti alacriores

fiunt, ac ſpirituoſiores ad ſuperandam morbificam cauſam, ex quo patet, quod ſicuti à ſanguine per alembicum ſpiritus extrahitur, ita in ſanguine vivi hominis ſpiritum eſſe opus eſt; Præterea in quibuſcumque mixtis ſpirituoſæ adſunt particulæ, & maximè in illis quæ fermentationes patiuntur, ergo in ſanguine ſpiritum eſſe neceſſe eſt, nam cruor, & ipſe mixtum eſt, & fermentationem patitur, ut ſuprà oſtendi.

Hæc autem pauca ad probandum dari ſpiritum vitalem ſufficiant, dum ad animales ſpiritus calamum verto, qui definiuntur ſubſtantiæ tenuiſſimæ, inviſibiles, ac volatiles, ex aëris purioribus, & ex ſalſis cruoris, pauciſſimiſque ſulphureis particulis maximè volatilibus, necnon ſpiritu vitali in cerebro confectæ, partim naturalibus, partim animalibus functionibus inſervientes; hos dari ſpiritus animales diverſos à ſpiritibus vitalibus nonnulli negarunt, ut *Zabarella*, *Argenterius*, *Helmontius*, *Deuſingius*, aliique dicentes quod cùm fœtus in utero ſentiat, & moveatur ſine ſpiritu animali, quia nullus nervus matris ad illum devenit, ideo opus non eſſe ſpiritibus animalibus, ſed tantùm vitalibus; ulterius nervos ipſos, vitam, & calorem ab arteriis ſortiri, ideóque ſpiritu proprio non donari; præterea cerebrum, cùm frigidum ſit, ideo eſſe ineptum ad ſpirituum generationem, quia frigus ſpiritum ſopit, tandemque dicunt quemlibet tenuiſſimum ſpiritum, ut animalis eſt nunquam deorſum deſcendere, & ad inferiora detrudi, ſed ſemper ad ſuperiora tendere, ideóque ſi ſpiritus animales darentur continuò ſurſum, non deorſum per nervos evolarent, quæ argumenta quantùm futilia ſint, ac inepta ex ſequentibus patebit; quare ad primum reſpondeo fœtum in utero nec moveri, nec ſentire niſi cùm cerebri nervorumque prima delineamenta ad tantam firmitudinem pervenerint, ut cerebrum ſpiritus animales in tanta copia producere valeat, quanta ſufficiat ad ſenſum, & motum; unde poſtea concedo nullos nervos matris ad fœtus ſubſtantiam deferri; ſed per hoc non ſequitur quod fœtus moveatur, & ſentiat abſque ſpiritu animali. Ad ſecundum concedo nervos, cerebrumque arterioſo nutriri ſanguine, ſed per hoc non deducitur ſpiritus animales in cerebro genitos non eſſe quid diverſum à cruore,

&

& à vitali ſpiritu in corde genito, & per arterias delato; ſi valeret enim illatio, ſequeretur, ut ait *Diemerbroeckius*; quod cùm panis mutatur in Chylum, & Chylus in ſanguinem, panis non eſſet quid diverſum à Chylo, & ſanguine; Ad tertium dico, ad confectionem ſpiritûs animalis non requiri inſignem calorem, ſed potiùs mediocrem qualis in cerebro eſt; cerebrum enim frigidum vulgò dicitur, non quia de facto frigidum ſit, ſed quia temperie gaudet minùs calida, quam multæ aliæ partes; ideóque ſpiritus animalis benè à cerebro mediocriter calido poteſt generari, neque ab ejuſdem frigiditate ſopiri, ut Adverſarii dicebant; Ad ultimum tandem concedo, quod animales ſpiritus facillimè è cerebro exhalarent, niſi illic continerentur in ſua officina ſub frigida, quæ ipſorum exhalationem impedit, eodem pacto quo Chymici ſpiritus in vaſis frigidis optimè coercentur, & ab exhalatione prohibentur; inſuper quoque concedo ipſos animales ſpiritus in nervos haud poſſe deſcendere, niſi per alternam dilatationem cerebri expreſſi in eos propellerentur anteriores, poſterioribus urgentibus ſicut unda propellit undam in Flumine; Iſtis igitur difficultatibus ſolutis, cum majore Philoſophorum parte pro certo habendum eſt dari ſpiritus animales actu à vitalibus differentes, eodem pacto quo panis à Chylo, Chylus à ſanguine differt; In quanam verò corporis parte gignantur iſti ſpiritus, ſuprà indicavimus, ubi diximus in cerebro fieri ſpirituum animalium generationem: Verùm cùm cerebrum plures habeat partes, & cùm in hac re plures ſint ſententiæ ideo examinandum eſt in quanam cerebri parte iſtud opus habeatur; Multi enim Doctores inter quos *Andreas Laurentius*, *Mercatus*, *Riolanus*, *Regius*, putant in ventriculorum cavitatibus ipſius cerebri ſpiritus generari ex calidiſſimo arterioſo ſanguine è plexu choroide exhalante, & ex aëre inſpirato, eoſque poſteà ex iſtis cavitatibus per poros in nervoſum genus impelli; ſed vana omninò redditur hæc opinio ex eo quod in ventriculis cerebri ferè ſemper pituitoſa colliguntur excrementa, unde ſpiritus iſti tenuiſſimi extravaſati inter impura, & frigida cerebri excrementa generarentur, quod rationi haud conſenta-

neum videtur; ulteriùs cùm non adſint à ventriculis cerebri prævia communiones, quibus commodè poſſint ſpiritus animales ad nervos permeare, ideo negare oportet, ſpiritus iſtos gigni in cavitatibus ventriculorum cerebri, de quo plura apud *Diemerbroeckii Anatom. lib.* 3. *cap.* 10.

Alii cum *Laurembergio*, animales formibus ſpiritus in ſinubus falci generari exiſtimarunt, ſed quia hæc opinio ab ignorato ſinuum uſu proceſſit ideo releganda; Nonnulli cum *Sylvio de le Boë* ipſos in arteriis ſecundum cerebri, & cerebelli ſuperficiem excurrentibus confici volunt; verum enim verò talis corruit ſententia ex eo quod ad confectionem alicujus ſpiritus, vel humoris, peculiare aliquod viſcus eos immutans requiratur, ut videre eſt in fermento bilioſo quod fit in jecore, in Chylo qui in ventriculo conficitur, & in hæmatoſi quæ in corde habetur; unde arteriæ quæ ſolum à natura ſunt deſtinatæ ad ſanguinem, ſpiritumque vitalem vehendum ad partes, haud poſſunt hoc officio donari. *Carteſius* cum nonnullis aliis Medicinæ Doctoribus, ſpiritus animales in glandula pineali fieri autumat; ſed contra eſt, primo parvitas ipſius pinealis glandulæ; ulterius, quod eadem etiam glandula impedita, compreſſa, & obſtructa, tamen ſpiritus iſtos ſatis copioſos generari compertum ſit: Multi voluerunt in plexu Choroide animalem ſpiritum confici dum ſcilicet ſanguis per plexum tranſibat, & hoc à cerebri proprietate fieri dixerunt; ſed & hæc opinio difficultates habet; nam plexus cum nervis nullam habet continuationem ideóque ab illo in nervos ſpiritus tranſire nequeunt; præterea ſanguis in plexu Choroide contentus eſt omninò rubicundus, nec ullam mutationem in eo ſuſcipere conſpicitur, nec unquam, quavis parte plexus inſpiciatur, nullum niſi ſanguineum colorem habere videtur, & tamen ſpiritus animalis pellucidus, & ob ſummam tenuitatem inviſibilis eſt, ideóque neque in Choroide plexu ſpiritus animales confici queunt, ſed benè generantur in Cerebri, & cerebelli ſubſtantia, quæ tam peculiaris eſt, ut ei ſimilis in humano corpore non inveniatur, tot anfractibus, totque ſinubus mirabiliter concamerata; ut ſpiritus vitalis, ſanguinis, & aëris deſtinatæ particulæ eo melius

lius confundi, attemperari, & nova coctione perfici valeant aliamque naturam inducere poſſint; hoc ulterius evincitur ex ipſius cerebri quantitate, quæ in uno homine eſt tanta, quantum vix eſt in duobus Bobus, nobiliores enim mentis actiones majorem ſpiritum animalium copiam deſiderabant; præterea hæc roboratur ſententia, nam ibi generari debent animales ſpiritus, ubi commodè in nervos defluere queant, talis autem pars eſt cerebri, & cerebelli ſubſtantia utpotè quæ fibroſa tota, ac cùm nervis continuata, continuatas cum iiſdem fibras habet poroſas in quas per cerebri ſubſidentiam, quæ dilatationem ſequitur, ſpiritus illi propelli poſſunt, & hujus ſententiæ Patroni ſunt *Galenus*, *Bauhinus*, *Hofmannus*, *Sennertus*, *Lindanus*, *Blaſius*, *Williſius*, *Plempius*, *Diemerbroeckius*, *Moebius*, & alii.

Spiritus igitur animales in cerebri, & cerebelli ſubſtantia, ex portione ſanguinis, vitalis ſpiritus, & aëris facti per proprios ſuos canales, quales nervi ſunt ad partes corporis deferuntur ob ſenſum, & motum, quorum nervorum originem licet *Ariſtoteles* à corde devenire dicat, tamen à cerebro principium eorum eſſe jam eſt in confeſſo apud omnes: ibi enim ſpiritus animales fabrefiunt; Nervos verò eſſe cavos docuerunt multi inter quos *Galenus*, *Riolanus*, *Spigelius*, *Marchettus*, aliique hoc clarè viſo in nervis opticis, per quam cavitatem ſpiritus animales cum nerveo ſucco deferri dixerunt; verùm, vel cavi ſint, vel non cavi ſemper ſtat ratio, quod per iſtos ſpiritus animalis traducatur ad partes, ipſi enim nervi fibroſi ſunt, & poroſi, adeoque ſpirituoſam ſubſtantiam permittentes, quemadmodum in arbore ſecta apparet; ab ea enim ſecta non perſpicitur dimanare ſuccus nutritius, & tamen in arbore alimentalis ſuccus conceditur, quem per arborem circulare volunt nonnulli; nervos quoque animalem ſpiritum deferre ex eo deducitur, quod in iſtorum obſtructione ceſſet ſenſus, & motus, ſed inſtrumenta ſenſus, & motus animales ſpiritus ſunt, ergo animales ſpiritus per nervos deferuntur ad partes; & hoc in Paralyſi facilè innoteſcit, pars enim affecta ſenſu, & motu privatur, quia tunc obſtructi nervi ad partem affectam pertingentes, nequeunt partem illam lumine animali veſtire ſine quo ſtatim ſenſus, motuſque ceſſat.

Nonnulli Doctores inter quos *Moebius*, & *Harvæus* tertium dant ſpiritum diſtinctum, & à vitali, & animali, videlicet genitalem, qui in teſtibus generatur ex ſpiritu vitali, & animali, cujus genitalis ſpiritus uſum, eſſe uterum fœcundare dicunt; Uterus enim obſervante *Harvǽo* omne ſemen virile quod receperat, capto tantum ſpiritu genitali in eo contento, emittit; pluribuſque conantur probare rationibus ſpiritus hujus genitalis exiſtentiam, de quo apud *Clar. Moebium fundam. medic. cap. de Spiritibus*: Verùm poſtquam innotuit hominem ab ovo oriri, & ſpiritum fœcundantem à ſemine viri prodeuntem nihil aliud eſſe, quam animalem ſpiritum cum vitali conjunctum; ſubitò hic ceſſavit ſpiritus; entia enim non debent abſque neceſſitate multiplicari, ſed benè generatio ſalvatur, cùm animali, & vitali ſpiritu, ergo vanus erit recurſus ad hunc genitalem ſpiritum; ſi enim concederemus in teſtibus fabrefieri ſpiritum genitalem, deberemus etiam aliis viſceribus alios proprios ſpiritus concedere, ut hepati bilificum ſpiritum, Ventriculo chylificum, & ſic de reliquis, verùm benè poſſumus aſſignare rationem ipſorum viſcerum actionum ſine recurſu ad proprios ſpiritus, & ſine genitali benè poteſt opus generationis explicari, ut in animadverſione de hominis generatione dicam; igitur tanquam ſuperfluus iſte genitalis ſpiritus, eſt ablegandus.

ANIMADVERSIO XV.

De Cranio fracto cutè illæſa manente.

OMninò ſimilis obſervationi allatæ ab *ingenioſiſſ. Jo: Helvvigio pag.* 68. hæc eſt quam modo ſum narraturus; videlicet.

Erat Adoleſcens annorum 18. nomine *Felix Fiorati* qui cum rheda veheretur, accidit ut de repente à rheda ceciderit, & caput in terram acriter dimiſerit; ſurrexit, ſed cum inſigni capitis dolore emanante ab auribus, ac oculis, cruore: Vocato Chirurgo nihil niſi contuſionem, & parvam adinuenit, quam ſola

unguenti alabaſtrini & olei roſati inunctione curare deſignaverat; at die quarta febris ſurrexit cum intolerabili capitis dolore, ac inſigni vultus rubore, ad quem vocatis Medicis, unanimes decernunt aperiri debere ubi primum caput fuit læſum; ſtatim Chirurgus cutem ſecat, & apparuit cranium ea in parte fractum, cerebrique membranis affixum, quod poſtea vulnus curatum fuit intra 40. dies, quare veriſſimam fateor *Hippocratis* ſententiam, id eſt *omne vulnus capitis, quantumvis leve ſemper eſſe mortale.*

ANIMADVERSIO XVI.

De Hæmoptoico ſucco urticæ curato.

D. Franciſcus N. annorum circiter 22. maximam copiam de repente ſanguinis floridi evomuit, hinc inde denuò eadem menſura poſtridiè rejecit, ita ut hæmoptoe laborare diximus, adeóque pulveribus adſtringentibus cum aquis, & ſyrupis appropriatis uſi ſumus, ſed præ cæteris mirabiliter profuit ſuccus urticæ viridis de quo capiebat ferè ſemper in die, quod medicamen ſummè extollunt, & meritò Practici omnes ad hanc expellendam affectionem.

ANIMADVERSIO XVII.

De Febri continua laudano opiato fugata.

ANno 1685. Menſe Auguſti D. N. N. annorum 36. temperamenti bilioſi febre duplici tertiana continua cum inappetentia, capitis dolore, vigiliis, deliriiſque, & aliis pravis ſymptomatibus, laborabat; me in conſilium vocavit; quem ſtatim purgavi communi more potione ſcilicet purgante, ſyrupis refrigerantibus, ac ſanguinis miſſione; propinavi, & pulverem Cornu Cervi præparati, oculos cancrorum ſed omnia fuere fruſ-

trà;

trà; Febris enim nihil cedebat, ſed eiſdem comitata ſymptomatibus ſequebatur; Aſt una veſperi dato laudano opiato ad grana iij cum conſerva roſarum omnia ſymptomata mitiora fuere, & cùm æger nocte benè dormiviſſet inpoſterum febris omninò ceſſavit, ita ut fateor cum *Clar. Th. Burneto* laudanum opiatum cautè exhibitum eſſe verè optimum medicamen ad expellendos morbos.

ANIMADVERSIO XVIII.

De Phthiſi.

INter incurabiles humani corporis morbos ponitur Phthiſis, à Latinis Tabes dicta; nunquam enim quod vidi hunc debellarunt Practici affectum; quæ Phthiſis eſt, totius corporis intabeſcentia à pulmonum ulcere orta, vel ab alio pulmones infarciente, ut notavit *Clariſſ. Williſius* in aliquibus cadaveribus Phthiſi extinctis, in quibus Pulmones ulcere immunes, ſed tuberculis, lapidibus, aut materia ſabuloſa per totum conſiti fuerunt; cujus affectionis cauſæ proximæ ſunt ſi veteribus medicinæ cultoribus credendum eſt, catharrus, venæ ruptio, & empyema, ſed nonnulli excludunt primam, catharrum nempè, fabuloſum enim eſt dicere pituitam illam à capite in pulmones diſtillare, cum nulla adſit via à capite ad pulmones, per aſperam enim arteriam nihil niſi aër traducitur; ideo per empyema, vel per ruptionem venæ, quæ ferè ſemper cauſa eſt phthiſis, dependens à maſſa ſanguinis acre diatheſi munita, ac nutritioni inepta, & corroſioni adaptata; quæ quidem cruoris materia acrem dyſcraſiam patitur, vel ob ſanguinem ipſum lactis adinſtar ſponte aceſſentem, vel ob lymphaticum humorem ſtagnantem, & præter naturalem factum mora in lymphæ ductibus, qui ad pulmones extant, ut notat *citat. Williſius*, vel ob impeditam tranſpirationem, quippè effluvia inhibita retroceſſa cruorem infarciunt, & fermentando acres ſeroſitates fundunt, atque præcipitant, vel per evacuationes ſolemnes ſuppreſſas, vel tandem ob malam

malam pectoris conformationem, pulmonis innatam debilitatem, hæreditariam ad tabem proclivitatem, vel thoracis morbos antecedentes, ut ſunt Pleuritis, Pulmonia, Hæmoptoe, Variolæ, &c.; externæ autem cauſæ ſunt contagium, aër intensè calidus, vel frigidus, & aſſidua cum phthiſicis mora. Dignoſcitur propenſio ad Phthiſim per pectoris anguſtiam, & depreſſionem, per collum longum, ſcapulas altas, & tuſſim ſiccam; Phthiſica verò corpora dignoſcuntur, per ſputum primò cruentum, tuſſim continuam, febrem lentam quæ nocte exacerbatur, totius corporis extenuationem, difficilem reſpirationem; confirmato autem malo pus fœtidum redditur, fauces ſono implentur, capilli defluunt, ungues incurvantur; malæ liveſcunt, pedes intumeſcunt, & ſupervenit diarrhœa, Nonnulli autem, ut notat *Sennertus* ante mortem mente vacillant, ac tandem ob ſudores, febres, alvi profluvium, conſumpto corpore, ſputoque ob virium inopiam retento, mors ſequitur.

Si autem terrifica habeat prognoſtica hæc affectio, dictavit *Galenus* 5. *method. med. cap.* 8. dicendo, quod rupto in pulmone vaſe, niſi ſtatim ulcus ſanetur, exigua ſalutis ſpes eſt, & *Sennertus Pract. lib.* 1. *cap.* 12. omnem phthiſim gravem, & periculoſum morbum eſſe, tum ob cauſam; ulcus ſcilicet pulmonis, quod curatu eſt difficillimum, tum ob ſymptomata, quæ id conſequuntur; de quo plura apud Medicos Practicos videre eſt.

ANIMADVERSIO XIX.

An lac in renum ulcere ſanando deceat?

AFfirmativa Medicis placet, ſed quadam limitatione; nam quoad initia ulcerationis, quatenùs majori abſterſione opus eſt, veteres lac Aſinæ, aut equæ cum melle præſcripſerunt, hodie cum Saccharo caprinum exhibetur, utpote quia nitroſa ſua ſubſtantia magnam abſtergendi potentiam ſervat, quod ſi ulcus deterſum videatur, melius eſt lac bubulum dare, eſt enim hoc remedium ſcribente *Mercato* ut alimentum, & ut medica-

men efficaciſſimum, quippè ſeroſa ſui parte abſtergit, caſeoſa conſolidat, butyroſa verò dolores lenit, ac vires reficit; nec obſtat quod lac difficiliter ad renes tranſeat, & viſceribus noceat; nam faciliter lac corrigitur miſcendo cum lacte ſuccum melonum, & alia quæ ad renes conducunt, alterum non timendum, dum lac poſt univerſalia præbeatur; Hinc *Mercurialis* dicit, ubi ulcera ſordida ſatis ſunt convenit illud lac quod magis abſtergit, ut Equinum, Aſininum, &c. Ubi verò non ita ſordida ſunt convenit lac quod minùs abſtergit, magiſque carnem producat, ut eſt caprinum, ubi tandem ulcera prorſus ſunt emundata convenit id quod optimè nutrit, ut ovinum, vaccinum, &c. Hoc docente *Th. Boneto in Mercur. compitalit. lib.* 15. & *Horſtio quæſt.* 3. *decad.* 8.

ANIMADVERSIO XX.

De calculoſo affectu.

NOvum non eſt ſaxa quotidiè gigni in montibus, fluminibus, atque in celatiſſimis terræ viſceribus, neque pariter novum eſt lapides in parvo etiam mundo, enaſci, & calculoſos affectus producere, dum ſaxa in renibus concreſcunt, ut ferè ſemper accidit; de raro enim contingit calculos enaſci in aliis corporis partibus, quamvis hiſtoriæ oſtendant ſaxa quandoquidem in liene, cerebro, & corde concreviſſe, verum ne inutilia verba faciam, ad hiſtoriam calculoſi affectus me confero, qui ab Auctoribus definitur, quod ſit corpus ſolidum, & durum ex humore tartareo, ac ſalſo in renibus potiſſimùm, & veſica, in lapidis formam confectum, obſtructiones, dolores, ac diſtenſiones inferens, cujus cauſam rejecta illa Antiquorum de calore materiam craſſam exſiccante ſententia, ſtatuo eſſe quendam ſuccum lapideſcentem, id eſt tartaream terreamque materiam juſta proportione ſalis mixtam, efficientem autem cauſam ſpiritum quendam lapidificum ſucco illi inſitum; illumque ſuccum lapideſcentem judico nos attrahere cum alimentis à terra;

in

in ſolo enim multum iſtius ſucci ineſt; ſi itaque ob ſanguinis vitiatam compagem, ſpirituumque craſim non rectè concinnatam, vel ob ejus ſucci lapideſcentis copiam, omnis in ventriculo mutari, vel ſecerni per inteſtinorum communes vias non poſſit ſuccus iſte, per venas lacteas, ductumque Pecquetianum unà cum Chylo tranſit in cor, inde cum ſanguine per arterias in renes detruditur, ubi continuo cruoris fluxu rotatus ope caloris ſuſcitatur ſpiritus lapidificus in ipſo ſucco lapideſcente morans, ac in arenulas primò, inde in calculum vertitur formamque ſaxi induit quod quoque docet *Th. Burnetus ſect. de calculo.* Quoad cauſas attinet antecedentes; omnia ea obſtare poſſunt, quæ ſuccum illum in ſanguinem deferre queunt, ut ſunt alimenta craſſa, & viſcoſa, vina auſtera & meraciora, muſtum, carnes porcinæ, leporinæ, anſerinæ, fructus penè omnes immaturi, quibus poſſunt addi diuturna equitatio, ſaltus, & motus nimius, & immodica veneris exercitatio; Calculorum renum diagnoſtica multa ſunt, ſed præcipua hæc ſunt. Dolor circa lumbos fixus, urina ferè ſemper cruda tenuis, & lymphatica, ob obſtructionem à calculo factam, & aliquando ſanguinea, nam cum incipiat calculus ſe movere carnem cum dolore frangit: Ulterius adeſt torpor cruris è directo, dolor teſtis ejus lateris in quo nephritis eſt; Ventriculi nauſea in nephritide afflictis perſpicitur, & hoc mediante membrana à peritonæo mutuata, & mediante nervo ſexti paris, qui in interiorem renum tunicam defertur. Denique dolor nephriticus cum colico dolore tantam habet ſimilitudinem, ut *Galenus* ipſe in eorum diſtinctione deceptus fuerit, quapropter benè examinare fas eſt patientes, ne unum pro alio curetur malum, ut multoties ignaris Medicis accidit, qui Arthriticos dolores pro lue venerea curant. Calculus autem renum pernicioſus eſt morbus, nam graviſſima ſecum fert ſymptomata, inflammationem ſcilicet, virium dejectionem ſummam, febres, urinæ ſuppreſſionem, dolores, quæ omnia valent homines ad ſepulchrum tradere; calculus autem renum ulceri adjunctus eſt incurabilis monente *Riverio*; omnia enim medicamina calculos frangentia, ulcus exaſperant.

ANIMADVERSIO XXI.

De paſſione ſtomachi ſalis abſinthii uſu curata.

ANno 1686. Menſe Septembris, Juvenis quidam ſolo ſale Abſinthi ad pondus drachmæ unius à ſtomachi paſſione magna ſe omninò liberavit; quod quidem medicamen quavis mane jejunus in unciis quinque vini malvatici aſſumebat.

ANIMADVERSIO XXII.

An in Lienteria purgandum ſit per inferiora, vel per ſuperiora?

INter remedia, quibus utuntur Medici ad ſananda corpora, præcipuum tenet locum Purgatio, vel furſum, vel deorſum facta, id eſt vel per vomitum, vel per alvi ſolutionem; unde etiam in Lienteria optimam eſſe purgationem multi ſtatuunt Doctores, cujus morbi eſſentia, cauſæ, & ſigna videri poſſunt apud Practicos; modò enim tantum videre eſt, quænam ex citatis purgationibus magis arrideat, & præſtet in hac profliganda affectione; *Rhaſes* vomitum, hoc eſt, evacuationem ſupernam commendat, & ut videtur haud immeritò, nam ab inferioribus revellit, & evacuat materias peccantes; *Hippocrates* autem contrarium jubere videtur, dum *in aphoriſmis* ait *quibus ob lævitatem ventris, cibi ſunt incontinentes hyeme ſuprà purgare malum*, quod poſteà *Galenus in comm.* confirmat; ait enim ſola ea per ſuperiora evacuanda eſſe, quæ in ventriculo inveniuntur, eorum autem, quæ continentur in inteſtinis nihil per vomitum purgare expedit; Ob autem difficultatis ſolutionem, notandum eſt cum *Doct. Rolſincio in Epit. curator.* materiam illam, quæ in ventriculo continetur per vomitum excerni oportere, quæ autem in inteſtinis coacervatur per alvum vacuari, unde ſi cauſa lienteriæ in inteſtinis fuerit, tunc ſtatim per alvi ſolutionem me-

mediante medicamento blando, & lenienti factam indicationi oportet ſatisfacere, & lienteriam curare; ſi verò hujus morbi fomes in ventriculo deliteſcat, & ab hoc lienteriæ Fluxus dependeat, tunc per vomitum materia excerni debet, & vomitorium blandum ægro convenit propinare, ut poſtea ſic remota cauſa, removeatur quoque feliciter effectus.

ANIMADVERSIO XXIII.

De Phrenitide.

PHrenitis eſt delirium continuum, modò minùs modò majus cum febre continua, & acuta, vigiliiſque pertinaciſſimis; formaliter verò nihil aliud eſt quam phlogoſis ſpirituum animalium, quam definitionem ante me ſcripſit *Clar. Schiffmannus lib. 5. corp. Juris medicin. cap. 9.* in qua affectione læduntur phantaſia, & ratiocinatio, non diſtinguendo turpe à pulchro, malum à bono, ut videre eſt, in iſto affectis morbo. Cauſæ proximæ hunc affectum producentes, ablegata inflammatione membranarum cerebri, quæ, dum datur, ſanatio ferè eſt impoſſibilis, putantur à *Williſio*, *Wedelio*, *Sylvio*, & aliis nimia ſanguinis effervescentia, & ſpirituum animalium irritatio, & confuſio, qui accenſi huc illuc per globoſam cerebri ſubſtantiam, ubi phantaſia, & memoria ſedem habent tumultuosè feruntur, in quam ſententiam incidere videtur *Clar. Laz. Meyſſonnerius*. ſcribendo. *Phrenitis eſt impedimentum ſpiritus animalis excitatoris à ſpiritu vitali nimis excitato per materiam ſulphuream.*

Remotæ verò videntur eſſe omnia ea, quæ ſpiritum fugare, & cruorem accendere queunt, ut ſunt temperies cholerica, aër calidus, immodicus veneris uſus, tartarum, ut *Paracelſi* aſſeclæ accuſant, & gravia animi pathemata, ut *Helvetius* affirmat. Differt autem phrenitis, à paraphrenitide, & delirio; Delirium enim ſymptoma eſt, nec durat, ſed per intervalla moleſtat; & paraphrenitis ab inflammato ſepto tranſverſo originem habet; idcóque *Hippocrates* ſcripſit, *non omnes delirantes vocandos eſſe*

phreniticos. Præſentem autem phrenitidem indicantia ſigna ſunt, febris acuta, & continua, delirium, reſpiratio rara, & magna, nulla ferè ſitis, quantumvis lingua arida in ægris appareat, dum enim mens ægrotat nullus ordo in ſenſibus ſervatur, pulſus denique in hoc morbo eſt parvus, quia cor compatitur; Periculoſiſſimus eſt hic morbus, quia pars nobilis, ut ſpiritus, afficitur; ut confirmat *Verzaſcha compend. med. pract. cap.* 11. & *Schiffmannus loc. citat.* Unde *Avicenna* unica die phrenitidem enecare narrat, & *Galenus* 3. *Epid. comm.* 3. *ægrot.* 4. Verùm ſi affectus iſte in Juvene ſit, ſpes adeſt ſalutis, & ſi poſt ſomnum meliùs ſe habeat patiens bonum eſt, ut notat *Hippocrates in Aphoriſm.* dum autem febris criſim habeat laudabilem per urinam vel per ſudorem phrenitis prorſùs ceſſabit, ut teſtatur *Th. Willis part.* 2. *patholog. cap.* 10. Spes denique ſalutis plus ex naturæ quam Medici viribus haurienda eſt, nec tamen Medicus curam deſperet; melius enim eſt monente *Celſo* aliquod medicamen experiri quam nullum.

ANIMADVERSIO XXIV.

De febri diureticis fugata.

DEbellandis in morbis quantum diuretica proficiant fateri poteſt D. Petrus Angeli, qui febri correptus tertiana duplici continua poſt communem purgationem à me præſcriptam veſperi ſequentem hauſtum ſumpſit ℞. aquæ Ononidis, uncias quatuor, ſpiritus chalcanthi ſcrup. ſemis, ſyrupi, limoniorum, drach. ij. miſce quo medicamine pluries minxit, & liberatus eſt; Natura enim, ut ego credo facilius per vias urinæ, quam per alias, materias peccantes protrudit, & ſalutem ægro has per vias reſtituit optatam.

ANI-

ANIMADVERSIO XXV.

An in iliaca paſſione curanda dari poſſit Hydrargyrum?

MUltos fuiſſe, qui mercurium ſine noxa aſſumpſere referunt Medicorum hiſtoriæ; *Thomas* enim *Burnetus pract. tom.* 1. *ſect.* 36. narrat, confirmante *Platero* de muliere quadam, quæ hydrargyrum in occluſo vaſe reconditum, inſcia ebibit, & per ſeceſſum excrevit, nec quid mali paſſa, & hoc quoque notant *Joh. Rhodius*, *Prævotius*, & alii; verùm non tantum ſine nocumento ſumitur mercurius, ſed ſæpè magnam obtinet efficaciam in debellandis corporis humani affectionibus. Recenſet enim *Clar. Frid. Hoffmannus comm. in Schroderi Pharmac.* dotes quibus præſtat in fugandis affectibus, & præ cæteris eminet in curatione iliacæ paſſionis; hydrargyrum enim pondere ſuo inteſtinum veluti vinctum expedit, fæces induratas, & obſtruentes infrà deturbans, & *Henricus ab Heer* aſſerit ſæpè ſe vidiſſe datum ſine noxa crebro per corium tranſitu repurgatum, eo momento citius eductis fæcibus obviis, excreto, à cujus uſu ne frigore interanea læderet ſtatim clyſter ex puro cretico indebatur, cujus ope aliquot iliaci deſperati ſervati fuerunt, hoc confirmante *Theoph. Boneto*, necnon *Pareo* aiente multos ſe liberatos vidiſſe uſu mercurii in aqua ſumpti; quapropter poſtea hunc ob uſum *Petrus Pena* referente *velſchio obſerv.* 43. purgabat hydrargyrum à plumbagine, coquendo cum vino, & aceto, poſtea per alutam trajiciendo, tum tenuiſſimam membranam in qua aurum extenſum erat in nodulum compingebat filo ligatum ea hydrargyri ſic defæcati ſeſquiunciam includebat, & glutine ex tragacantha lachryma facto obſerabat, lentoque igne ſiccatam educto filo melle aut ſyrupo intinctam pilulam ægro devorandam propinabat, & ſic glutine in ventriculo ſtatim ſoluto hydrargyrum copiosè alvum ducebat, & narratur de quodam Ruſtico, qui hoc bis ſumpto remedio ſanatus fuit.

ANIMADVERSIO XXVI.

De Obſtetricum ignavia.

TAnta eſt Obſtetricum ignara, & audax oſtentatio, ut ſæpè cum mulierum vitæ diſcrimine errent toto cœlo, necnon Medicos errare faciant, & hoc clarum redditur in ſequenti caſu. Erat Ferrariæ quædam fœmina ætate annorum 24. gravida ſeptem menſium, quæ febri pulicari laborabat cum ſumma virium proſtratione, necnon delirio; vocatus curationem inſtituo, & alexipharmacis ei auxiliabar, cùm venit Obſtetrix, & tacto abdomine, fœtum mortuum eſſe pronunciavit, ideóque Medicum debere, ne cum eo mater pereat, fœtum excludi curare, quo audito, ſtatim ſed timens, fortaſſis venturi præſcius, ad excluſionem fœtus non adhuc maturi me commiſi; Aſſumpſit itaque ægra multa medicamina fœtum excludentia, & paucis illinc horis, multos ſenſit dolores circa matricem, & fœtum benè ſe moventem, ita ut mecum poſteà ignaviam Obſtetricis faſſa eſt, quæ dixerat fœtum extinctum eſſe, quæ poſteà mulier ſana poſt debitum tempus ad lucem dedit puerum ſanum, qui adhuc vivit præter intentionem ignaræ Obſtetricis.

ANIMADVERSIO XXVII.

De Chloroſi, ſeu pallido Virginum colore.

VIrginum pallidus color, qui à multis febris alba ſeu amatoria, icteruſque albus appellatur, definiri poteſt vitioſus corporis habitus ab obſtructis aliquibus circa Uterum vaſis, quas obſtructiones, syncopes, ſpirandi difficultates, & hypochondriæ ſequuntur.

Ex qua definitione facilè liquet cauſa immediata iſtius affectionis, videlicet obſtructiones circa vaſa uteri, quæ impediendo motum

motum perennem cruori, agitant ſpiritus, ac efferveſcentias in ſanguinem inducunt, unde eo tempore quo fluxus menſtruorum in Virginibus accedit, quæ ſimili tentantur affectu, cum ſanguis exire nequeat ob obſtructos meatus vaſorum, refluit ad ſuperiores partes, & cor, cerebrum aliaque viſcera opprimit unde vitiantur viſcerum afflictorum munera, & concoctiones perfectè non fiunt, hinc crudi humores ad totum corpus demandantur, qui ad ambitum corporis lati icterum album, ac cachexiam excitant, & in omnibus partibus ſymptomata varia, ac pernicioſa producunt; nam ſi iſti humores pravi ad ſeptum tranſverſum ducti ſtagnent, difficultas ſpirandi oritur, ſi ad præcordia ferantur, palpitationes cordis, ſyncopeſque contingunt, & quia ſemper in virginibus ſimili laborantibus affectu ventriculus malè afficitur, hinc eſt, quod ſemper cibi faſtidio correptæ nauſeam, vomitumque patiantur, & ſic multoties poſteà pravorum eduliorum, immò & rerum abſurdarum, ut ait *Riverius*, minimè alibilium appetentiam ſentiunt, ut ſalis V. G., gypſi, carbonum, cinerum, & ſimilium, qui affectus poſteà pica, & malacia nominatur.

Cauſæ autem obſtructionum dictarum pravos hos effectus producentium ſunt craſſi humores, crudi ex prava plerumque victus ratione orti in aliquibus; in aliis ex ſummo frigore nati ob otium immodicum ut quæ ſuendi cauſa pulvinaribus tota die affixæ maximo ſæpè frigore torquentur; in multis etiam ex longis vigiliis, ut cum tota nocte cum ſuis Amatoribus ſermocinantur, ac in laſciviem proclives, neque hyemales ventos, nec æſtivos calores conſiderant, ex quibus omnibus poſtea ordinariæ coctiones evertuntur, & præſens inſurgit affectus, qui Ferrariæ non rarus eſt.

Diagnoſtica ſigna primo deducuntur, ex faciei ac totius corporis pallido colore; ſecundo ex intumeſcentia aliquarum partium, & præcipuè poſt ſomnum, tertio menſium ſuppreſſio contingit, quarto pulſus ſemper frequens percipitur, ut febricitare videantur afflictæ virgines, ut, & de facto ſemper febricitant, motum enim inordinatum, febrem ſcilicet comprehendunt Medici ex pulſu frequentiori; ciborum adeſt faſtidium, dolores capitis,

pitis, gravitas, & ſegnities totius corporis, & alia ſymptomata quæ ex ore afflictæ Virginis poſſunt facilè comprehendi. Prognoſtica verò ſunt, affectum iſtum periculoſum non eſſe dum celeriter viro ſe conjungendo ſaluti ſuæ ſatisfaciant mulieres; Aſt ſi nimium negligatur, & altas facere radices permittatur, ita ut inſignis depravatio nutritionis contingat, ferè ſemper in hydropes, febres longas, alioſque graves morbos terminat hic affectus.

ANIMADVERSIO XXVIII.

De Cantharidum Veneno.

CAntharides venenum eſſe efficaciſſimum, niſi ritè præparentur, facilè norunt omnes ii, qui medicinam faciunt, ut videre eſt apud *Clar. Sennertum*, hocque patere poteſt in hiſtoria ſequenti. In Arce Ferrariæ erat miles, qui cùm amore longo tempore proſecutus eſſet quandam famulam unius Civis, egit tandem ut illa è domo patroni ſui raptim fugiſſet, & ſecum in Arcem iviſſet; Hinc ille ductâ ea in cubiculum tota nocte inſatiabiliter coivit; attamen cum manè ſe valdè labefactatum agnoviſſet, ac ad alia obeunda munera ineptum, ab Arce exivit in Urbem, & ad vetulam quandam ſe tranſtulit, ut illa eum doceret aliquod arcanum quo capto poſſet ſecurus ad Venerem redire, cui ut Vetula ſatisfaceret dedit ſumendum pulverem cantharidum ſine ulla præparatione. Aſſumpſit miſer pulverem in vino malvatico, & domum reverſus dolorem ad veſicam maximum pati incepit, cum urinæ difficultate, ac penis inflammatione; Dolores creſcebant, ideóque ſocios, ac Medicum convocavit, qui poſtquam de morbi cauſa interrogaſſet, narravit ſe pulverem à Vetula datum aſſumpſiſſe ad Venerem excitandam, quo audito Medicus judicavit pulverem illum fuiſſe cantharidum, ac ſtatim præſcripta emulſione facta in aqua ononidis cum guttulis aliquot ſpiritus Chalcanthi, & confectione Alchermes adhibita ut vires refocillarentur; verumtamen creſcentibus doloribus, æger ob ſuam nimiam coeundi voluntatem periit;

riit: Apertoque cadavere inventæ fuere veſica, urethra, & renes exulceratæ.

ANIMADVERSIO XXIX.

An in menſibus ſuppreſſis hirudines utero applicitæ proſint?

MEnſium ſuppreſſionem tolli per venæ ſectionem docet ratio, & experimentum comprobat, nam ubi cruor exilire naturaliter non poteſt, artificialiter exire ut conetur, ars medica docet, ut experientia quotidiana demonſtrat; mulieres enim hoc affectæ morbo ferè ſemper ſanguinis miſſione liberantur, unde unam agnoſco Monialem, quæ nunquam menſtrua paſſa, quovis tamen menſe miſſione facta ſanguinis in pede corrigit naturæ defectum; Stat igitur ſanguinem effodi debere in hoc affectu, verùm à quanam parte melius ſit ſanguinem detrahere, hoc eſt inquirendum; multi inter quos *Riverius* docent phlebotomiam in brachio larga manu celebrandam eſſe, ſi enim dicunt ipſi venæ inferiores prius aperirentur, traheretur magis ſanguis verſus uterum, ubi majorem obſtructionem, & vaſorum diſtenſionem efficeret, cum eorundem ruptione, aut etiam uteri inflammatione. Alii ſaphænam ſecant, & dummodo ſaphænæ inciſio non arrideat, popliteæ venæ inciſio commendatur, vel appoſitio cucurbitularum internæ femorum parti, ut moderata ſanguinis copia inde detrahatur, nec obſtat, quod hac ratione ad uterum fiat derivatio, nam dum vacuatur inde ſanguis craſſus, & fœculentus, facilè fiet ut qui ſupereſt fluxilior redditus confluat ad loca conſueta, de quo plura apud *Silvaticum*, & *Bonetum*. Alii tandem hirudines, & venis ſedalibus, & ipſius uteri vaſis apponi jubent; & hanc primam operationem ſpeculatam habent ab *Aquapendente*, quam ipſe mutuatus eſt à *Galeno*, ut obſervat *Joh. Fortis*: ſecundam tollunt à *Zacuto Luſitano*, qui ſe auxilii hujus inventorem eſſe gloriatur; *Sennertus* hanc commendat *lib.* 1. *de morbis mulier*, *cap.* 7. *Hieronymus Nigriſolius* Ferrarienſis noſter ipſam feliciter expertus eſt, nec non poſt eum conſulit *Joh. Fortis*, & *Bonetus*, quæ ope-

ratio iſtis rationibus fulciri poteſt; nam menſes movere nil aliud eſt, quam cruorem ad menſtrua fortiter evocare, ut volunt *Avicenna*, *Galenus*, *Fernelius*, *Sennertus*, *Mercatus*, aliique; ergo hirudines utero appoſitæ juvabunt, quæ non minus quam cucurbitæ trahunt, immò profundius extrahunt, ut docet *Avicenna*. Ulterius quando educendi ſunt è corpore humores, per ea loca ducendi ſunt, ad quæ natura vergit juxta *Hippocratem*: ergo per uterum, locum ſcilicet convenientiſſimum, & à Natura deſtinatum; hoc autem præſtant hirudines; igitur hæc eſt inſtituenda operatio, ut multoties inſtituit felici ſucceſſu citat. *Nigroſolius* ut videre eſt in ſuis Progymnaſmat. optimè conſcriptis.

ANIMADVERSIO XXX.

De Chinæ Chinæ præſtantia.

Fugandis in febribus quantum præſtet China Chinæ videre eſt in tractatu de febribus *Williſii*, *Sydenhamii*, *Boneti*: necnon fateri ego poſſum, qui pluries in profligandis febribus experientia edoctus, vidi eſſe mirabilem hujus corticis virtutem, & præcipuè in Illuſtriſſ. D. N. N. temperamento ſanguineo prædita, quæ laborabat quartana, cui ſine ulla antehabita communi, ut ſolet Medicorum vulgus, purgatione, exhibito ſequenti electuario, de quo, & manè, & veſperi cochlear unum ſumebat perfectè liberata eſt: electuarium autem hoc eſt ℞. pulveris Chinæ China, unc. j. conſervæ roſarum, anthos, ana. unc. ij. ſyrupi de Abſinthio q. s. miſce, fiat ſecundum artem electuarium; de quo plura apud *Nic. de Blegny*, *Sydenham*, *Brunacium*. & meam animadverſionem 103.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXI.

De Lacte, & Ductibus Lactiferis.

INter animalium corpora ſapientiſſimæ rerum omnium matris Naturæ, pluries contemplatus, elaborata, nihil unquam digniùs admiratione conſpexi, quam ductum thoracicum chyliferum, olim à Celeberrimo *Bartholomæo Euſtachio* in equorum diſſectione adinventum, ſed infeliciter fortè neglectum, & à Doctiſſimo *Pecqueto* illuſtratum; Vidi enim, & admirabilem pulmonum ſtructuram, ibique quantùm colendam Sapient. *D. Malpighii* virtutem admiratus limine inſalutato præterii; Obſervavi, & lymphatica ſubtiliſſima vaſa, & cum eorundem exilitate, ſubtilitatem pariter ingeniorum, & *Olai Rudbek Anatomici Sueci*, & *Clar. Thomæ Bartholini Dani* in æternum colendam exiſtimavi: In ſalivalibus quoque ductibus famam *Doctiſſ. Warthoni*, & *Laurentii Bellini* equitare conſpexi; quin, & in pancreatico ductu ad tam nobiles, & neceſſarios uſus adinvento *Famigeratiſſ. Joh. Georg. Wirſungii Bavari*, præſtantiam in æternum magni faciendam fui contemplatus, ex quo quidem Viro alios multos medicina decerpſiſſet honores, niſi à maledicta invidioſorum rabie in ædibus ſuis, dum ſcriberet, fuiſſet ſclopeto interemptus: Porrò hæc omnia vidi pluries maxima cum voluptate, virtutem, gloriamque ſummam dictorum Virorum colendo: cum una veſperi in catula adhuc vivente ſecta, rejectis in partem dextram pulmonibus, ad ductum Thoracicum Chyliferum me contulit viſendum; ut eum adſtantibus deſiderio ardeſcentibus demonſtrarem: neque ſpes vana fuit; nam ſubitò ductus apparuit thoracicus ſub Aorta depaſcens; hincque illicò in parte ſua ſuperiori ligato, ut indè intumeſcens meliùs reſpiceretur, tam citò, & bellè intumuit, ut ſuæ pulchritudinis faſtum cum oſtenſione porrigere videretur; ita ut poſtea curioſitas orta fuit videndi nimirùm ejuſdem principium, & finem: ne autem radices profundas in mente fortaſſis curioſa opinio portaret; capto cultro ſtatim me ad opus accingo, quod

tam citò præſtare incepi, ut arteriæ ſubjectæ catulæ adhuc viventis pulſarent; hinc obſervabam varias, & minimas ramificationes ab ipſo ductu verſus thoracem, ac ventrem infimum petentes, quæ quidem vaſa eſſe chylifera ad mammas ſe transferentia ob lactis generationem aſſervi; me enim non latebat non ex ſanguine lac, ſed ex chylo potiſſimum gigni; hincque pariter perſpiciebam exiles quidem lymphæ ductus, qui in ductum thoracicum penetrabant; hoc probato ex ligatione illorum vaſculorum intumeſcebant enim à parte dextra, & à ſiniſtra in qua ductus Pecquetianus erat, detumeſcentes agnovi; ut poſtea ſignificare auſus fuerim iſta vaſcula lymphatica in chyloſam ſubſtantiam lymphaticum humorem deportare, ut parte ſalino volatili impraegnatus chylus ſpirituoſior redderetur.

Has verò obſervationes à mente rejecit, & abſtulit bifurcatio quædam ipſiuſmet ductus chyliferi maximi, dum verſus commune receptaculum ſeparando ductum ab aliis partibus, culter anatomicus maxima indutus curioſitate petebat; diviſum enim hic obſervabatur vas in duos ramos ad furcæ unius figuram, & ex uno ejuſdem furcæ ramo, alius ramulus exoriri patebat; undè ductum thoracicum in hac parte bifurcatum, & trifurcatum eſſe, ut verè detecta narrem, affirmo: hincque per ſpatium trium digitorum tranſverſalium trifurcatum petere, poſteà in unum tantum truncum, ut prius jam erat, conſidere.

Hinc verò primam ſecuturus indaginem, nempè principium ejuſdem ductus invenire culter anatomicus verſus inferiora ſecabat, ſemper exilibus modò lymphæ, modò chyli ductibus obviam petebat, ità ut ſectis illis, obſervavit liquorem albeſcentem ſcaturire: Ad receptaculum tandem commune pervenit cum communi pariter curioſitate manus mea, atque per medium ſectam communem illam ciſternulam pyriformem juxta figuram cyſtidis, ſeu veſicæ felleæ conſpexit, una cum mucoſitate quadam, quæ inhærebat ipſiuſmet receptaculi parietibus, in medio cujus mucoris duæ glandulæ conglobatæ viſæ ſunt ad membranulam magnum illud vas formantem ſatis firmiter adhærentes, ita ut experientia conſtavit potiùs diſruptam membranam, quam ſeparatam à glandula, conſpexiſſe pluries non

ſine

ſine admiratione oculum meum; ad quem verò uſum iſtæ glandulæ ſint à rerum genitrice productæ, meum non eſt in præſenti judicare; hoc enim Anatomicis veteranis, non juvenibus competit; ſolummodò liceat mihi inferre cogitationis gratia, duas haſce glandulas inſervire ob præparationem fermenti unius, quod chylum magis magiſque fluitizzet, & materias ſuas viſcoſas aſſubtilet, ut poſtea ſic fluitizzatus, aſſubtilatus, ac ut ita loquar ſpirituizzatus, meliùs, citiùs & jucundiùs per ductum thoracicum, & vaſcula alia lactea mammaria antedicta permeare valeat, neque viſcoſus, ac tenax inter ipſoſmet canales magno cum naturæ detrimento reſideat, atque reſtagnet.

His autem viſis, & notatis, ne fortaſſis extrà inſtitutum abirem ſurſum me contuli, & capto cultro tenens in una ex meis manu ductum chyliferum verſus ſuperiora ſecabam; dum vidi alia varia, & multa vaſa pectus, & abdomen verſus prodeuntia quæ omnia mediante ligatura, agnovi eſſe chylifera ad mammas petentia; enim quia ligata intumeſcebant ſemper à parte chyliferi thoracici ductus, nunquam verò à parte pectoris, uti vaſa lymphatica; licet autem doctiſſ. *Gualt. Charlet. in ſua Oeconomia animal.* optimè quidem conſcripta *exercitatione tertia*, ubi agit de galaxia, ſeu itinere chyli, aſſerat *nemini anatomicorum adhuc contigiſſe, detegere per quos ductus aliquid chyli ad mammas derivetur, cùm ſit rationi tamen valdè conſentaneum*; modo verè autopſia conſtat, iſtos dari ductus à ductu Pecquetiano ad mammas delatos, & inſervire ad chylum deportandum in lactis generationem & hoc antè viſum me docuit *Bartholinus in hiſt. anatom. de lacteis thoracicis c.* 18. *Diemerbroeckius anatom. lib.* 2. *de thorace cap.* 2. *de mammis, & lacte*, *Anton. Everhardi tractat. de Ortu animal. Schneiderus lib.* 3. *de Catarrho cap.* 3., *Riedlinus obſerv.* 1., *Franciſcus Maria Lilius anatom. Chirurgic. Gland. ſect.* 3. *cap.* 2., *Martianus in comm. Hippocr.*, *Deuſingius libro de lacte*, *Georg. Entius Apolog. pro circul. ſangu.*, *Blaſius comm. ſuper Vesling. cap.* 9., *Pecquetus diſſert. de lacteis thoracicis experientia quarta* Monſpelii Anno 1654. coram *experientiſſ. Riverio* habita in catella lactante: Hìc autem ſilere nequeo errorem *Ludovici de Bils in Belgica Apologia contra Joh. van Horne*, qui putat circulum lym-

ymphaticum in collo ſitum, deferre chylum ad mammas, non diſtinguens vaſa lymphatica à lacteis; quapropter dignus eſt poſtea correctione à doctiſſ. *Diemerbroeck* meritò facta loco ſuprà citato.

Nonnulli jam fuere, exiſtimantes à pancreate, chylum immediatè per quoſdam ductus ad mammas tranſire ob lactis materiam præſtandam; Alii cum *Barbato* aſſeruere, ex ſero, lactis materiam haberi; Alii pariter cum *Cornelio Conſentino*, & *Gualtero Needham*, ſcripſere lac ſecerni à ſanguine per arterias thoracicas mammarias delato; ſed quantum à vero diſſentiant, nullus ſanæ mentis erit, qui audeat unquam negare, cùm enim reperiantur infallibiliter prædicta vaſa chylifera, vanum redditur poſtea alias quærere vias, & cum Solem illuminantem habeamus, faces minimas poſcere, ſtultum eſt, ac incongruum.

Quod autem lac ex chylo gignatur rationibus nonnullis etiam conſentaneum videtur, ſi mulieres interrogemus, quæ à natis nimium exſuctæ dolorem circà dorſum, ad ſcapulas indeque ad lumbos ſe extendentem percipiunt; ſignum evidens, filios cum illa exſuctione, vim mediantibus vaſculis ſuprà citatis in ductum magnum chyliferum facere, quod eſſe verum fatetur *Clar. Diemerbroeck*, de hoc varias edens obſervationes. In noſtram quoque defenſionem teſtatur *Doctiſſ. Proſper. Martianus fidiſſ. ſanè in noſtrum magnum Hippocr. comm.* ſcribens *in comm. de natura pueri* nutricis cujuſdam Hiſtoriam, quæ cùm pharmacum purgans manè ſumpſiſſet pauloque poſt infanti admoviſſet ubera, ipſa illibata à purgatione remanente in magnum vitæ diſcrimen puerum conjecit, haud obſcuro certè argumento lacti à chylo non à ſanguine, virtutem purgantis medicaminis illatam fuiſſe; nimis enim longa quæritur via, qua nempe per arterias, venaſque laxativa facultas deferatur; quapropter meritò hìc annecto *Ariſtotelis* ſententiam *ſeptimo de Hiſt. animal. cap.* 11. quæ talis eſt: *ſi lactans pilum cum cibo, aut potu ingerat ad mammas pervenit, & in earum papillis conſiſtens morbum inducit*: Unde poſtea non eſt mirum, ſi mulieres dum lactant, cibos à pilis diligentiſſimè ſpoliant, & tali occaſione inſero hic obſervationem à præcitato *Martiano* allatam de Matrona quadam Romana, cujus è papilla. Chirurgi manu extractus fuit cichorei ſurculus, quem heſterna cœna comederat:

Sed

Sed præ cæteris maximi momenti videtur ad demonſtrationem illarum viarum chyliferarum, ſequens exprimentum, videlicet; Nutrici propinetur lac croci tinctura leviter imbutum, & intrà Semi horæ ſpatium, paulò plus minuſque, lac è mammis effundet, odorem, ſaporem, immò & colorem quoque croceum planè referens; quare deridendi ſunt illi, qui exiſtimant lac non à chylo, ſed à menſtruis gigni, nam aliqua ſunt Bruta quæ lac habent, & menſtrua non patiuntur; fundati, ut credo, ſuper *Hippocratem*, qui ait, *Si mulier, quæ neque gravida eſt, neque concepit, lac habet, ei menſtra defecerunt*; & hìc, ſi ita loquor, mihi parcat quæſo *Clar. & nunquam ſatis laudatus Franciſc. de le Boe Sylvius* verè medicinæ ſplendor, & ſuſtentaculum, interque practicos primus; non enim ejuſdem optima evertere ſcripta; ſed meam proferendo ſententiam venerari contendo; tanti enim ſolis ad aſpectum nequeo niſi lumina claudere; ſolummodò affero quod ſi ex ſanguine materno lac fieret, ſequeretur quod, cum homines menſtruis priventur lacte quoque orbarentur: Verum experientia conſtat, homines lac poſſe habere, igitur dicendum ſanè puto, ex chylo, non verò ex ſanguine, lactis generationem haberi; Hocque teſtatur, & *Schenckius*, narrando de quodam viro qui à Juventute ad 50. annum uſque lac copioſum in mammis ſervaverat, & *Walæus*, qui Flandrum ſe vidiſſe fatetur, etiam 40. ætatis anno ex ingentibus mammis largum lactis proventum reddentem, & *Cardanus*, qui agnovit quendam ex cujus mammis, quotidiè tantum lactis profluxit, quantum ad alendum puerum ſuffeciſſet, tandemque teſtantur hoc quoque, qui illuſtrarunt novum orbem, referentes, ſe illic regiones quaſdam inveniſſe, in quibus viri penè omnes maximam lactis copiam in mammis habebant, eoque etiam infantes nutriebant; & ego quoque dum anno 1684. Lauretum petebam Hebræum quendam vidi lac publicè ex uberibus demandare; de quo quis cupit alias habere obſervationes; legat *Avicennam*, *Santorellum*, *Gemmam*, *Donatum*, *Coſtæum*, *Eugubium*, *Veſalium*, *Alexandrum*, *Benedictum*, *Salmuth*, *Baricellum*, *Blaſium*, *Aquapendente*, *Highmorum*, *Diermerbroeckium*, alioſque multos, quos numerare diſſertatiunculæ iſtius brevitas non concedit.

Qua ope autem lac ex chyloſa ſubſtantia fiat, faciliter meo judicio explicatur, recurrendo ad fermentum aliquod, ex fluore menſium retento confectum, & ad mammas ejectum, quanta enim inter ubera, & uterum connexio ſit, patet ex eo, quod ſi mammæ tangantur fœminæ alicui, modeſto tamen, & jucundo modo, extemplò matricem in laſciviem ardeſcere præſentitur, quod quoque docet divinus ſenex *in libro de glandulis* dicendo. *Et ab utero accedit ad mammas humor*, quamobrem poſtea benè ſalvatur ipſius *Hippocratis* textus, qui dicit, *Si mulier, quæ neque gravida eſt, neque concepit, lac habet, ei menſtrua defecerunt*; in hac enim muliere, cùm producatur fermentum hoc lactificum ex menſtruis retentis, hinc eſt quod lac producatur; quare acceptandam exiſtimo *D. Theoph. Boneti in mercurio compitalitio lib.* 11. ſententiam, videlicet, quod lacti materiam præbeat non ſanguis, ſed ſuccus chyloſus lacteuſque, per peculiaria vaſa lactea ad mammas earumque tubulos, alia die à me viſos, delatus.

Quomodo autem lac conficiatur in mammis, & quare multoties è mammis ſanguis proſiliat, & quid ſit quod chylum ad ubera impellat, ut hæc claudatur diſſertatiuncula; clarè primum explicatur quæſitum, notando, glandulis ab Anatomicis obſervatis, quæ pinguedine indutæ mammarum protuberantias efformant officinam lactis inſitam eſſe; hinc inde in cellulis quibuſdam detineri, uſque dum infans, è papilla, quæ tota foraminibus ornata eſt pabulum ſuum exſugat, ex qua verò materia lactis ſubſtantia gignatur, cùm ſuperiùs notaverim, fruſtraneum repetere exiſtimo; ſecundæ autem ſatisfit inſtantiæ, advertendo, quod ſanguis ſolummodò è mammis mulierum longa abſtinentiâ affectarum proſilit; hocque fit ob ſuctionem nimiam ab infante famelico avidè factam, qua mediante apertis venularum, & arteriolarum oſculis, cruorem pro lacte dimanare proſpicitur; uſque dum mulier rurſus comederit, vel biberit, ex quo poſtea lac in mammis illicò ſuccreſcit; hoc etiam docente *Clar. Isbrand. Diemerbroeck. l. 2. Anatom. cap.* 2. ubi agit de lacte; Ad tertium verò ultimumque quod attinet, videlicet, quid ſit, quod chyloſa materia ad ubera impellat, faciillimè inveniemus, ſi conſiderabimus chylum in vaſa ſupracitata, moveri mediante motu arteriarum, iſtæ enim eodem

pari

pari modo, quo motum præbent venis, ut ſanguis à corporis circumferentia ad centrum denuò impellatur, agunt quoque, ut chylus ad mammas deferatur; quare hic meo judicio ſummè erravit *Clar. Diemerbroeck*, credendo imaginationem, iſtius ad mammas chyli impulſionis originem eſſe; nam multæ ſunt fœminæ, quæ tenent fixam imaginationem, & ſtabilem conceptum, proprios non depaſcendi gnatos, & tamen illis lac in mammis abundat; viceque verſa aliæ ſunt, quæ filios proprios alere toto corde deſiderant, & tamen lactea materia infeliciter privantur; quod ſanè non ſuccederet, ſi ab imaginatione, ut citatus ſomniatur Auctor, lactis proventus tantummodò in mammis deveniret; quarè obſervationes notatas in iſtius ſui probationem aſſerti, poteſt juſto quidem calamo delere; melius enim, & pulchriùs doctiſſima ejuſdem ſcripta in medicinæ campis effulgerent, ni maximam imaginationis hanc facultatem inſereret.

ANIMADVERSIO XXXII.

De Hominis generatione ex Ovo.

AB ætate Hippocratis ad noſtra uſque ſæcula, derivata eſt ſententia, conceptionem fieri per mixtionem ſeminum utriuſque ſexus in utero receptam, retentam, fotam, & exſuſcitatam, & hanc opinionem, ut narrat *Doct. Joh. Cornelius Weber in ſuo Liquore ſtyptico optimè conſcripto*, omnes Practici acceptarunt, donec tandem primus, iſtam rejiciens ſententiam *Harvæus* aſſeruit ex ovo omnia animalia gigni, & rem ſic ſe habere in oviparis clariſſimè demonſtravit, ita ut nil dubitandum remanſerit; in viviparis verò rem dubiam fecerunt multi, ſed fruſtrà; enim, quia quis eſt modò inter ſtudioſos, qui neſciat, omnia animalia tam ovipara quam vivipara, ex ovo oriri? nonnè hoc hodierni Auctores pro veritate toto amplectenda pectore, toto corde defendunt; & licet contrariantia huic veritati, nonnulla ignorantiæ mancipia cognoſcant, tamen nihili pendunt.

Legat enim fronte tamen non injuſta, ac æqua lance ponderet

 ſcripta

ſcripta doct. *Regner. de Graaff. de mulierum organis generationi inſervientibus*; quis cupit, audiat, & *Schraderum de ovo*, *&* *Kerkringium*, *&* *Bartholinum*, *&* *Drelincurtium*, *&* *Svvamerdamium*, *&* *Stenonem*, *&* *vanderek*, *&* *van Horne*, *&* *Franciſcum Mariam Lilium*, *&* *Lucam Tozzium*, *&* *Schroockium*, *&* *Malpighium*, *&* *Denys*, *&* *ſuprà citatum Weber*; aliosque innumeros, quorum adhuc fama ad noſtras aures non ſonat; Legat inſcius, & oculo lachrymis gravido, errores, ac ignorantias ſuas irriget, atque confundat; tantæ enim eſt veritatis aſſertum, quod fœminæ ova producant, quæ poſtea inſerviant ad generationem, ut puto magis claram, non ſplendeſcere lucem Solis meridianam; De quo autem, ut mentes curioſorum depaſcam, & virtutis amantum genio, me adſtipulem, breviter nonnulla de hominis generatione ex ovo conſcribere intendo; ut ex hoc videat litterarius orbis, me laudem benè meritam Auctoribus jam citatis obſcurare non velle, ſed magis magisque illuſtrando, triumphos tantæ eorundem præſtantiæ debitos, ſcriptis meis condecorare; quod verò, ut præſtem, notandum occurrit primò, me in prædicatione hujus generationis animalium ex ovo, non intendere doctiſſ. contradicentium ſcripta refellere, ſed pronus ſemper, ac humilis tantam eorum virtutem colere, & ut debeo venerari; unuſquiſque enim doctus, ut ſcribit ſapiens, debet ſuo modo philoſophari, neque alienas opiniones deridere.

Cùm igitur ſupremus Protoplaſtes ob Genus humanum conſervandum decreviſſet, fœminas ope virorum ad lucem ſolis viſendam, & ad aërem depaſcendum in hac lachrymarum valle, demandare gnatos debere, Anatomico quidem, & veritatis amanti, quomodo id contingat perſcrutari, jam convenit, & hoc præſtabit, ſi ſtructuram corporum humanorum examinatam conſideret, & attenta fronte organa generationi inſervientia contempletur, atque primò circa hoc doctrinas aliorum Auctorum ſuprà animalium generationem luminibus juſtis percurrat, quod quidem efficiet, ſi legerit, & *Hippocratem*, & *Galenum* aliosque omnes, qui ex mixtione ſeminis maſculini cum fœminino, ope caloris ipſi utero inſiti, fœtum humanum efformari, ac partes quaſcumque in proprio ſitu collocari deponunt; Nec hìc prætereundam eſſe

credo

credo *Clar. Burrhi* ſententiam, qui *Epiſtola 2. de Cerebri ortu ad Th. Bartholin.* cui etiam aſſentit *Schiffmannus de ortu Cerebri.* aſſerit fœtum ex motu vivificante oriri, quem virtus immortalis duplici parentum ſemini imprimit, qui motus vivificans nihil aliud eſt, quam Natura naturans, quæ ſecundum Philoſophos tanquam cauſa, & principium motus, ſemen agitat, ex qua agitatione, palpitatio reſultat; quæ dein palpitatio ſeminis diverſa contenta, ut ſunt glandulæ pinguiuſculæ, compactæ ſpongioſæ, &c. in diverſas corporis partes informat; glandulæ enim pinguiuſculæ, calore, & motu agitatæ ſecundum oleoſorum morem ſuperiora occupare contendunt, ad cerebrum ſcilicet efformandum; compactæ, ut graviores ad centrum tendunt, atque in cordis ſpeciem conglomerantur; ſpongioſæ in lobos pulmonis; furfuraceæ, & bituminoſæ in lienem; æruginoſæ in hepar, & fel concreſcunt; mixtæque denique, in denſa renum emunctoria conglobantur, quæ quidem doctrina, quantum imperceptibilis ſit ac incongrua, nemo meo judicio eſt, qui audeat unquam negare.

Aſt melius ſanè generationem animalium explicant ii, qui diſcuſſo ſervitutis jugo, libero calamo ſentiunt, ſcribuntque ex ovis muliebribus in teſticulis fœminarum genitis à ſeminis virilis ſpiritu fœcundatis, fœtus humanos gigni.

Quod autem quomodo ſuccedat explicaturus, noto primò, me ovi nomine non gallinaceum tantum velle, ſed quodlibet principium, & originem futuri fœtus, & prolis generandæ; ut etiam docet *Ariſtoteles lib. 1. de Hiſt. anim. c. 5.* appellando ovum, id cujus ex parte principio animal fit, reliquum verò, ei quod gignitur, cibus eſt: Sicque adverto, ſemina etiam plantarum nomine ovi donari debere, nam, & ipſa ſunt primordium, ſeu origo futuræ plantæ, & quod omnia viventia cùm habeant originem ex tali primordio vitali, quod continet in ſe principium vitæ, hinc eſt quod omnia viventia, ab ovo, ſeù ex ovo genita dicuntur; ova enim ſunt diverſa, prout animalibus diverſæ ſpeciei proferendis ſunt deſtinata, nam alia perficiuntur in utero, ut ova pennatorum, alia extra uterum, ut ova piſcium, & ranarum; præterea alia ova foris exponuntur ad incubationem, ut ova pennatorum, animalium, inſectorum, piſcium, & aliorum

hujuſmodi, ut ranarum, ſerpentum, muſcarum, & ſimilium, alia verò intra uterum ad incubationem retinentur, ut ova mulierum, & fœminarum quarumcunque animalium perfectorum.

Quibus habitis organa mulierum generationi inſervientia oportet breviſſimè tamen demonſtrare; ad quorum oſtenſionem occurrunt, vulva, ſive ut alii dicunt rima, inde Vagina, Clitoris, Uterus; Tubæ, Teſtes, vel ovaria, ova, & fluvidum quoddam, quod coitus tempore, per peculiares ductus excernitur, quarum omnium partium uſus, ut percurratur, & poſtea ipſiuſmet generationis modus, melius, & facilius innoteſcat, obſervandum eſt de vulva primò ſic dicta, ut notat *Graaf* à volendo, eo quod inſatiabiliter coitum velit, atque deſideret, unde Proverbium ſurrexit tria ſunt inſatiabilia, *Infernus, Os vulvæ, & Terra;* quæ ſitum habet inter os pubis, & anum ſimilemque cum virili membro locum tenet, in infima videlicet ventris regione, ut coitus tantò facilius peragatur, & ut excrementa corporis abſque aliarum partium defœdatione expellantur; uſuſque ſuus eſt, penem, ſeu virile membrum dirigere, & urinæ aliiſque corporis excrementis exitum dare, nec non maturi fœtus excluſioni inſervire; pilis multis ejuſdem labia condecorata eſſe innoteſcit, quod ſignum eſt pubertatis.

Ad clitoridem autem deſcendens cujus inventum licet *Columbus*, & *Fallopius*, ſibi arrogent, tamen *Hippocrati* & *Avicennæ* debemus; vocabant enim iſtam iſti Viri, Columellam ob ſimilitudinem, Amoris dulcedinem, virgunculam, libidinis ſedem &c. de quo *Doct. Graaff & Gerard. Blaſius comm. in Vesling. cap. 7. pag.* 104. quam partem eſſe voluptatis principalem ſedem teſtantur mulieres, quæ ſalaces factæ multoties tantùm clitoridem manibus confricant, ob guſtum concipiendum, ut ea in magnitudinem præternaturalem accreſcat, & de ſuccubis quales prius erant incubæ deveniant; de qua re exempla leguntur apud *Tulpium*, *Platerum*, *Plempium*, qui ſcribit de quadam fœmina, quæ hac parte multas mulieres exercebat, & Virgines vitiabat; *Riolanum*, *Schenckium*, *Diemerbroeckium*, alioſque, quibus etiam ego, me, & non immerito annecto; Vidi enim Anno 1684. die ſeptima Januarii in Xenodochio D. Annæ Ferrariæ militem quen-

quendam barba carentem, 30. circiter annos, extinctum pleuritide, mentulam ſuprà vulvam habentem, quæ quidem vulva labiis valdè majuſculis ornabatur, ità ut annexa ferè ſcrotum æquarent.

Aſt hîc relicta clitoride, de vagina ſermonem facere oportet, quæ eſt canalis mollis, & laxus, rugeis orbicularibus, inæqualis ob delectationem augendam, in libidine turgeſcens, longitudiniſque digiti longioris, & latitudinis recti inteſtini; quæ omnia variant pro fœminarum varietate, nam virgines ſanè differunt in his partibus à fervidè in Venerem proclivibus, ut apparet in Meretricibus, quæ ob aſſiduum coitum, rugas omnes in vagina obliteratas conſervant. Uſumque tenet, in coitu ſe erigere, & arietem virilem, ſponſum ſcilicet blandum ad uterum introducere; hîcque nequeo ſilere id, quod narrat mirabile quidem, & notatu dignum *Franciſcus Plazzonus* de quodam Juvene, qui cum ſponſa Juvencula prima nocte congreſſus, valida, & violenta priapi intruſione, non modò cervicem uteri, ſed & ipſum rectum inteſtinum laceravit, unde miſera in primo amoris gaudio mortales ſenſit triſtitias, cujus cauſam ipſe *Plazzonus* putat, fuiſſe vulvam non aſſuetam erigi, ad novum illud opus flacceſſiſſe, nec peni irruenti viam directam præbuiſſe: Ad principium verò vaginæ meatus proſpicitur urinarius, tectus à duabus nymphis ſic fortè dictis, quia ad fontem aquarum proſilientium adſtant, vel quod primæ ſponſo obviam eant: deſcendunt itaque nymphæ à clitoride ad latera meatus urinarii, uſque ad colli cervicis medium, ubi ſenſim evaneſcunt: Præbent verò uſum, partes internas ſcilicet tueri, meatum urinarium, ac orificium uteri tegere, ne injuriis externis lædantur; inſerviunt poſtea ad majorem voluptatem iſtæ carunculæ, quatenus in coitu inflatæ virile membrum comprimendo titillationem adaugent.

At hîc quoque in medio canalis iſtius occurrit notandum hymen, membranula ſcilicet quædam, quæ clauſtrum virginale, & flos virginitatis dicitur à latinis, quia cùm adeſt certiſſimum eſt ipſius ſignum, undè Poeta cecinit.

Eſt magnum crimen prærumpere virginis hymen.

Licetque nonnulli ſint, qui hanc membranulam in mulieribus

bus negant, errant tamen; nam ſanguis, qui à deflorata Virgine profilit à nulla ſanè alia lacerata parte dimanat, quam ab hymene; Hincque, cùm hanc membranulam, tam Antiqui, quam hodierni vidiſſent Anatomici, inexſpertum eſt, ac injuſtum denegare; *Avicenna* enim, *Averroes*, *Veſalius*, *Fallopius*, *Jacobus de Carpo*, *Walæus*, *Guintherus*, *Andernacus*, *Platerus*, *Piccolomineus*, *Aquapendens*, *Plazzonus*, *Graaff*, *Blaſius*, *Diemerbroeck*, aliique infiniti hanc proſpexiſſe membranulam fatentur; ſed quid? multa accumulo teſtimonia nonnè? etiam hoc tota die experiuntur ii, qui virgines uxores ducunt, nam in primo congreſſu aliquid obſtare præſentiunt, quo minus liberum, & expeditum virga inveniat introitum; non nego autem hanc aliquandò in verè virginibus, non reperiri, & hoc quia ob menſium acrimoniam eroſa, vel ob uteri procidentiam diſrupta, vel etiam petulantibus digitis lacerata fuit; quarè ſicut hujus membranæ præſentia illibatæ virginitatis indubitatum eſt ſignum; ſic ejuſdem abſentia, non ſemper arguit deflorationem; ideóque mulierculas illas derideo, & júſtè, quæ cùm tantùm nomen Obſtetricum gerant, ſe dignoſcere infallibiliter virgines arroganter oſtentant; & neſciunt id, quod de vanitate iſtius cognitionis narrat *Pinæus l.* 1. *de Virginitatis notis c.* 6. de Mercatore quodam, qui pro ſecunda vice matrimonium contraxerat, cum Virgine; Cubuerunt ſimul fluentibus adhuc menſibus, & rem tam liberaliter, & tam facilè habuerunt, ut ex virgine facta fuerit mulier; nam eadem nocte uxor concepit; alia verò die Mercator abiit ad negotia ſua in aliam urbem, nec reverſus eſt uſque ad vigeſimum diem, ſuſpicatus non ſemel de corrupta conjugis virginitate, ratione facilitatis, quam cum ipſa in re venerea habuerat; Domum verò reverſus cum uxore dormivit, ſed maxima cum difficultate rem habuit, ob viarum anguſtiam; undè valde miratus fuit, ſe cum uxore adhuc virgine rem faciliùs habuiſſe, difficilius autem cum muliere adhuc gravida: Undè mulierculas iſtas corrigo, ne tam audaciter ſe virginitatis notas agnoſcere venditent; nam incerta ſemper, ac fallibilia ſunt cognoſcendarum virginum ſigna, & præcipuè illa, ut notat *Clar. Hebræus Iſaac Cardoſus in ſua libera*

Philo-

Philoſophia lib. 6. quæſt. 68. pag. 565. deſumpta nimirùm, ex voce, unde gloriabatur *Democritus*, ſe fœminam dignoviſſe, & primò illi *Salve virgo*, dixiſſe, poſtridie verò: *Salve mulier* auribus intonuiſſe; ex pupillis, ex collo, cui filum nonnulli alligant, & ex hoc virginitatem vel præſentem, vel amiſſam deducunt, ut *Catullus* cecinit

Non illi nutrix orienti luce reviſens
Externo collum poterit circumdare filo.

Ex lacte, ex urina, ex ſuffitu, ex dolore in primo coitu, & ex aliis multis, quæ ob brevitatem deſero; legere enim qui cupit poteſt antecitatum Auctorem, & doctiſſ. *Sinibaldum in ſua Geneanthropeia lib. 4. tract. 2. cap. 4. 5. & 6.* tam enim curioſus eſt, ac eruditus iſte Auctor, ut ego eum ſemper magna cum delectatione perlego.

At antequam ulterius progrediar, aliquid notare debeo de porulis quibuſdam, qui per totum ferè vaginæ curſum reperiuntur, qui humorem quemdam ſeroſo acrem in tanta copia vomunt, quanta ſufficiat, non ſolùm ad lubricandas vias, verùm ad humectandas externas quoque partes, quam quidem humiditatem, ſalſedine, & acrimonia ſua mulieres ſalaciores reddere, docet *Caſpar. Bartholinus ep. de ovar. mulier. pag. 27.* quamobrem poſtea deducere mihi fas ſit, gonorhœam, & pollutionem in fœminis ex iſtis ductibus provenire; necnon illos damnare Doctores, qui toto cœlo aberrantes, hanc humiditatem ſeminis fœminei nomine injuſtè condecorant; ſi enim ſemen eſſet, deberet ad Uterum ferri, & non ad vulvam, uti ſemper proſpicitur.

De Utero autem dicturus parvitatem in primis non poſſum quin advertam, quæ amygdalam certè non caperet, & tamen infantem tam magnum, una cum ſecundinis conſervat; & dum ejuſdem ſitum obſervo ad ſuperbos converſus, adverto nos eſſe inter ſtercus, & urinam ortos, ſic fortè permittente fato, ut de mortali caducitate, & miſeria recordaremur; uſumque ipſum præſtare cum Anatomicis dico, fœtum videlicet continere, & in principio formare, nutrimentum ei præbere, donec tempus lucem viſendi perveniat, tandemque muliebre corpus ab excre-

mentis purgare, per hujus enim vaſa, lochia, menſtruaque deveniunt, in quibus, ſi prædicta recrementa reſtagnent, infiniti exoriuntur morbi, ut teſtatur pluribus in locis divinus ſenex Medicorum Princeps *Hippocrates*, ad quam poſtea tantorum morborum cauſam, reſtagnationem ſcilicet tollendam Practici omnes inſudant, & doctiſſ. *Hieronymus Nigriſolius* Ferrarienſis noſter hirudines eidem parti impoſitas, unicum eſſe in iſtis caſibus remedium, ductus maximè ab experientia, fatetur *in ſuo progymnaſm.* optimè ſanè conſcripto: Verum enim verò, ne meum fugiam munus, & in alienas meſſes falcem dimittam, ad cauſam, qua ſcilicet quolibet menſe menſtruæ purgationes, & ſtato tempore infeſtent, ut revertam, adverto fluxum iſtum provenire ex effervescentia aliqua, qua fit, ut maſſa cruoris ad arterias uteri propellatur, quæ effervescentia excitatur à fermento proportionato in ipſamet matrice elaborato, ut optimè notat *Clar. Diemerbroeckius in Anatom. lib.* 1. *cap.* 2. de quo etiam vide meam de menſtruis diſſertationem.

Quare hîc relinquens Uterum ad tubas eidem valdè contiguas, immò & connexas conſiderandas me verto, quæ à *Graaff*, *Svvammerdam*, *Bartholino* aliiſque ovi ductus dicuntur, poſitæque ſunt ad uteri latera, ad quarum terminum conſpicitur foliaceum ornamentum, optimè delineatum in tabulis prædicti *Graaff* per quam poſteà expanſionem foliaceam in tubas à teſtibus ova tranſeunt, ut melius, & latius in inferioribus dicam: Valvulas multas in iſtis Fallopianis tubis obſervavit *Warthonus cap.* 33. *de Glandulis*, quibus videlicet tranſitum à teſtibus in uterum concedi, ab utero verò ſurſum negari poſſit; Porrò notandum, & meritò hîc occurrit, quod aliquando in iſtis tubis reperti fuere fœtus incepti, & concepta formata, quæ creſcendo, doloribus maximis mulieri gerenti necem dedere, validiſſimum ſanè argumentum pro ſententia de ovo, ut oſtendit *Riolanus in animadverſ. in Vesling.*, *& lib.* 2. *Antopograph. cap.* 34. & docet *Harvæus*, *Vaſſal Pariſienſi Chirurgus*, & *Franciſcus Maria Lilius.*

A tubis autem ad teſtes, ſive ovaria, & ipſamet ova veniendum eſt, quæ ultimæ ſunt partes à me jam breviter ad perpendendum propoſitæ.

Cum

Cùm teſtes ideò muliebres nullam habeant, cum viri teſtibus ſimilitudinem, neque ratione ſitus, neque ſubſtantiæ, neque figuræ, aliarumque ſimilium conditionum, hinc eſt poſtea quod meritò, teſtium nomine ſpoliari queant, & juſtè ovariorum vocabulo inſigniri valeant; partes enim iſtæ in propriæ flaccidæ ſubſtantiæ ſinu claudunt veſiculas quam plurimas, aliquas majores, aliquas minores, eodem pacto quo in gallina ova pariter conſpiciuntur, quas veſiculas teſtantur vidiſſe, *Veſſalius*, *Volcherus coiterus*, *Fallopius*, *Laurentius*, *à Caſtro*, *Riolanus*, *Bartholinus*, *Warthonus*, *Marchettus*, *Graaff*, *Svvammerdam*, *van Horne*; & alii quam plurimi viri in re Anatomica verſati, quas poſtea veſiculas ova, & non vanè putamus propter ſimilitudinem, quam cum ovis in avium ovario contentis referunt; nam ſi coquantur indureſcit liquor in illis contentus ſicuti facit, qui in ovis pennatorum moratur; Iſta ova eſſe in animalibus verò quibuſcumque, cum jam ex obſervationibus *Clar. Nicol. Stenonis & Regner. de Graaff* pateat, necnon in inſectis etiam perſpecta ſint à ſtudioſiſſ. naturæ ſcrutatore *Franciſco Redi*, nihil eſt quod addam, ſufficit enim tantummodo dicere me in omnibus, & mulierum, & aliorum brutorum fœminarum, corporibus, quæ ſecui ſemper iſta ova inveniſſe lympido turgentia liquore, quem ut ſuſpicor ibi reliquerunt Arteriæ ſpermaticæ, & nervi, quibus mediantibus ſanguis, & ſpiritus animales ad iſtas partes deportabantur: Quomodo verò iſta ova fœcundentur, & quando, breviter explicabitur dicendo, ex parte ſeminis virilis ſpirituoſa, & volatili, cum ipſo ſpermate coitus tempore in vulvam immiſſa, per tubas dictas, ut docet *Graaff* ova in teſtibus poſita, quæ tamen ſint fœcundationis capacia, fœcundantur, indeque per ovi ductus, ad uteri internum ſinum protruduntur; ibique ope caloris, & virtutis fœcundationis habitæ, flammula quæ in ovi medio conſopita, & veluti ſub cinere convoluta erat, exſuſcitatur, & ad proprii diſtribuendas domicilii partes conſurgit; quæ poſtea Flamma clarè conſpicitur ab *Harvæo* in puncto ſaliente, & à *Diemerbroeckio* virtus Architectonica vocatur, illa enim ſola ſuum architectatur Palatium; vel fœcundantur iſta ova, mediante ſanguine fœcundato à ſpirituoſa ſeminis parte; ut notat *Bartholinus* in

ſua epiſt. de ovariis mulierum ad *Gulielmum Rivam* conſcripta, cui ſententiæ tamen, me non ſubſcribo.

Hincque non eſt poſtea mirum ſi *Hippocrates* vidit abortum paucorum dierum in quadam ſaltatrice ovi figuram poſſidentem.

Non tantùm autem iſta ova in mulieribus viro annexis generantur, ſed & in illis, quæ hominis conſortio privantur; ſi animadvertatur cum *M. Denis*, *& Kerckringio*, menſtruæ purgationis tempore ova hæc inutiliter progredi etiam neſcientibus fœminis, rupta enim ſine ulla moleſtia, ac incommodo à vulva proſiliunt.

Quod autem tantùm aura illa ſpirituoſa à virili ſemine elevata per tubas ad teſtes delata, ſit eſſentialis ad generationem, faciliter percipitur, notando aliquas mulieres virgines adhuc manentes, ac integrum clauſtrum virginale ſervantes, gravidas repertas fuiſſe, ob ſolam ſeminis ad os vulvæ ejaculationem, ab Amante fortaſſis timido factam qua de re teſtes ducerem multos Auctores, cùm non haberem amicum, qui fatetur, ſe amatam juvenculam, à me optimè cognitam, & de hoc pluries interrogatam, tali modo prægnantem reddidiſſe præter voluntatis intentum; ipſe enim ad extinguendam libidinem, non ad generandam prolem id fecerat; de quo plura exempla apud *Borellum*.

Aſt hîc adverſantes, *objiciunt, quod, cùm tubæ*, & foramen expanſionis foliaceæ ſit valdè exiguum, iſtis ovis dare tranſitum nequeunt, undè corruit doctrina;

Ad quod faciliter reſpondetur dicendo, eodem modo quo in coitu erigitur, & extenditur virga in hominibus, in fœminis pariter erigi, & dilatari omnes partes genitales, undè tubæ, & foramen prædictum tantum aperitur, ut ſit capax liberam dare viam tranſeuntibus ovis; neque valet etiam, quod nonnulli aſſerunt, ſcilicet iſta ova eſſe veſiculas quaſdam humorem ſeroſo acrem continentes, quem poſtea in coitu ad majorem delectationem dimittunt; nam cùm hoc primò gratis aſſeratur, & nulla evidenti ratione convincatur, hinc eſt quod ridiculum exiſtimetur aſſertum: Poſt verò conceſſo quoque iſtas veſiculas humiditatem prædictam ſervare, neceſſe ſemper erit inferre, quod in coitu membranula veſiculam formans diſrumpatur; verùm hoc abſurdum eſt, quilibet enim ſcit, naturam nihil fruſtrà facere; ergo ni velimus hoc

hoc abſurdum admittere, quod diſrumpantur ova prædicta opus videtur negare; Immò addo, quod cùm alia talis humiditas reperiatur in vagina prodiens à ductibus ſuperiùs allatis, vanum eſt ad iſtas partes, ut humores ſubminiſtrent, recurrere, & ſic inanibus tamen rationibus, iſtis de generatione animalium ex ovo opinionibus contrariari.

Quibus ideò ſic ſe habentibus facilè poſtea percipitur quo pacto producantur gemelli, & quomodò in unico tantum partu plures gnati ad lucem dimittantur; nam ſi plura ova in teſtibus poſita, ſint apta ad fœcundationem, & ſint tam magna, ut ſint capacia ab ipſiſmet ovariis procidere, ab aura ſeminis virilis elevata, optimè fœcunda, & fertilia redduntur; eodem ferè pacto, quo Gallus unico tantum coitu plura in ovariis Gallinæ ova exiſtentia fœcundat; quod quidem neſciunt adverſarii explicare, niſi recurrendo ad fabuloſam illam vulgi opinionem, quod ſcilicet, cùm in matrice ſint plures tubuli, ac receptacula, hinc fiat, quod ſi ſemen in pluribus tubulis foveatur, plures fœtus oriantur; quæ ſententia quantùm ſit vana oſtendit uteri ipſius parvitas; quæ niſi unam, & exiguam continet capacitatem.

Quæret hic autem curioſus fortaſſe aliquis, quare ſi ova ſunt veſciculæ illæ in ovariis mulierum repertæ non habeant ſuum corticem durum, & teſtam, ut Gallinacea, cui ut ſatisfiat notandum eſt, quod illo cortice non eget natura in hominibus, ut eget in pennatis, quia in illis conceptio, atque fœtus generatio in interno fit, in iſtis verò in externo, ideóque neceſſe fuiſſe ne ab externis læderentur injuriis, ova gallinacea, teſta vel cortice duro induere, ova verò mulierum ſpoliare.

Ut verò quæſtionem illam valdè curioſam tangam optimè diſcuſſam à Clar. *Franc. Plazzono lib. 2. de part. gener. inſerv. cap.* 13. num ſcilicet vir, vel fœmina magis in coitu delectetur, ſufficiet tantùm notare, quod ſi mulieres meliori gaudio non donarentur, poſt partum non coïrent, nam doloribus illis maximis, debet pariter quàm maxima correſpondere voluptas; hocque rationi valdè eſt conſentaneum; nam mulieres habent plures partes guſtus capaces, quæ ad coitum concurrunt, ſcilicet vagina cum rugis, clitoris, uterus; homo autem nullam niſi pe-

penem obtinet partem : Sed liceat inferre homo , ut unuſquiſque poteſt teſtari , hac ſola parte tantam ſentit delectationem , igitur erit dicendum , mulieres pluribus partibus multò majorem præſentire voluptatem ; quod etiam clarè oſtendunt Poetæ , ut videre eſt apud *Ovid. Metamorph.* in fabula de Thireſia , qui poſtquam fuiſſet vir & fœmina , interrogatus à Jove , & à Junone , ut fateretur ſub quanam forma majorem in coitu delectationem percepiſſet , reſpondit , ſe ſub muliebri ſpecie majorem longè in venereo concubitu voluptatem habuiſſe ; quarè concludendum puto cum prædicto *Plazzono* fœminas multo majorem , ac viri in re venerea præſentire delectationem ; aliter non poſſem ſanè reddere rationem de caſu ſequenti à me viſo ; Vocatus enim ſui noctis tempore die 8. Septembris anni 1684. ad puellam quandam viſendam , quæ manè antecedenti ſponſata fuit , & tunc erat in magno vitæ diſcrimine , maximè ſyncopis cauſa ; interrogatus ſponſus de hujus cauſis , dixit ſe , dum coïverat mortuam credidiſſe , adeò ut opus progredi non potuerat ; ego autem ſtatim mitti ſanguinem juſſi , & ſic marito reſtituta fuit , ut ad priſtinas conjunctiones reverteret ; & judicavi ſyncopem illi ſuperveniſſe , ob magnam , & non aſſuetam voluptatem ; multæ enim mulieres ſunt , quæ dum coëunt cum aliquo amante , à ſe priùs ardentiſſimè optato , frigeſiunt , & ferè exſtinctæ videntur ; cùm ideò illæ in lypothimiam ob delectum decidant , quod quidem non accidit maſculis , reliquum erit fateri , quod multo major à fœminis præcipiatur guſtus in Venere : Verùm hîc meritò annectere volo de quadam muliere noſtra Ferrarienſi , hiſtoriam , recenter à me auditam . quæ fœmina faſſa eſt , ſe plùries concepiſſe , & una quaque nocte cum marito coire ſinè ulla penitus delectatione ; adeò ut , cùm hoc audiverim , fui valdè admiratus , ſciebam enim omnes partes mulieris generationi inſervientes , eſſe nervoſas , & ſenſu exquiſitiſſimè donatas , cujus hiſtoriæ cauſam ad ſtudioſos diſquirendam relinquo libentiſſimè.

Tandem verò occurrit notandum , & hoc pro fine iſtius Animadverſionis , ne fortè decipiatur aliquis curioſus Anatomiæ cultor , maximam eſſe differentiam inter ova , & hydatides in teſtibus

bus aliquandò repertas, iſtæ enim, ut illa poſſunt equidem reperiri; nam hydatides ordinariò duplici conſtant tunica, cujus interior licet tenuiſſima ſit, ab exteriori tamen haud difficulter ſeparatur, nec liquor in illis contentus coctione indureſcit: contrà verò communes ovorum tunicæ à ſe invicem ægrè dividuntur, atque illorum liquor coctione facillimè indureſcit; quarè his habitis obſervationibus vir prudens multa inter hydatides, & ova notabit diſcrimina; de quo etiam optimè, ac eleganter, more ſolito ſcripſit Clariſſ. *Regner. de Graaff lib. de mulier. organ. gener. inſervient. c.* 12.

ANIMADVERSIO XXXIII.

De Menſtruis, ſeu Catameniorum Fluxu.

Miſerrimum fœminarum genus, quod nondum adoleſcit; quod menſtruorum tormento ſubjicitur; fortaſſis ſic permittente Fato, ne ſcilicet tam immaniter, ut ſuum eſt, ſuperbirent mulieres & de ſua recordarentur infelicitate ſaltem ſemel prò menſe.

In hoc enim ſua verſatur valetudo, ut ſi benè menſtrua fluxerint ſanæ ſint, ſi verò contrarium eveniat, implacabilibus ſubjiciantur affectionibus, ut quotidiè Practici advertunt; *vix enim creditur illam mulierem ſanitate frui, quæ ſimili non gaudet excrementorum expiatione*, dicit optimè *Julius Cæſar Claudinus lib.* 4. *ſuæ empiric. rational. tom.* 2.

Quomodo autem id contingat, cùm ſit curioſum multum, & utile, ac neceſſarium Medicinam facientibus, operæ pretium duxi nonnulla, hoc circà naturæ opus, advertere, cauſamque modumque iſtius excretionis indagare.

Cùm autem Medicorum nemo ignoret, quid ſit menſium fluxus, turpe illud nempè uteri ſtillicidium, quod ſtatis periodis ab utero dimanat, ideò ad vias, & cauſas, quibus mediantibus iſta ſuccedat fluxio deveniendum.

Quare primò menſtruam colluviem naturaliter per uterum expur-

purgari confiteor, eo quod cuicumque fœminæ bona fruenti ſanitate, deveniat; per uterum dixi, nam illæ mulieres, quæ gravidæ ſunt, & quibus uterus clauſus eſt menſtrua non fluunt; cùm habeat igitur matrix venas plures, & arterias, hinc eſt, quod per has apertas traducatur menſtrua purgatio, quæ dum procedit, tam partes pudendas conſpurcat, ut ſi tunc ſalaciſſimo etiam Juveni oſtenderentur, forſan coeundi voluntas deperderetur, ac omninò evaneſceret.

Me autem hîc non latet menſtruas purgationes, per alia loca poſſe ſecerni V. G. per nares, oculos, umbilicum aliaſque corporis partes: hincque *Nicolaus Florentinus ſermone 2. cap.* 8. Tridentinam mulierem deſcribit, cui per umbilicum ſingulis menſibus ſanguis effluebat; ex alvo pariter projectari Autor eſt *Hippocrates*; *Braſavola*, ex veſica ſanguinem menſtruum effluentem dignovit; & narrat *Helvvigius* de fœmina quadam, quæ Norimbergæ ſingulis menſibus per oculos menſtrua projecit; de his qui eſt curioſus legat *Lucam Schroock. Rhodium Thom. Bartholinum*, *Schenckium*, *Domin. Salam*, *Dodonæum*, *Mercatum*, *Sinibaldum* alioſque, quos, ne faſtidio lectorem proſequar, reticeo.

Tempus verò iſtius purgationis, cùm duplex ſit, de ambobus aliquid dicere neceſſe eſt.

Tempus enim aliud eſt particulare, aliud univerſale; univerſale incipit à tertio decimo, vel 14. ætatis anno, & ad 50. protrahitur, vel 52. quo quidem tempore, quovis menſe procedit menſtrua purgatio: Particulare autem eſt quilibet menſis per ſpatium trium, vel quatuor dierum, & hoc non ratione motus lunaris, ſed ob exaltationem fermenti iſtam fluxionem cauſantis, ut inferiùs videbimus; An poſtea menſtruus ſanguis per diapedeſim, ſeu reſudationem, ùt putat *Ariſtoteles* fluat, vel per Anaſtomoſim, ut ego cogito, hoc tam clarum eſt, ut etiam ora illorum vaſculorum aperta, & hiantia quolibet menſe hoc idem fateantur, & hoc patet, nam per reſudationem tam parvo tempore tanta copia ſanguinis non flueret: Hocque etiam confirmant plerique Auctores, & præcipuè *Iſaac Cardoſius in ſua Philoſ. liber. cap. de ſang. menſtruo l. 6. pag.* 420.

Petet hic forſan aliquis, cur ſi menſtrua, ut aliquoties accidit

dit in gravida ſuccedant, ipſa non abortiat cùm aperiatur uterus, & hians ſit matrix, cui ſatisfit dicendo ſanguinem illum non ab utero, ſed à vagina venire; dixi enim ſuprà poſſe iſtum cruorem per varias corporis partes qua data porta defluere, quod etiam confirmat *Clar. Graaff* ubi agit de fluxu menſtruo.

Ne quis autem tantùm faſtidiat, & fugiat ſanguinem menſtruum, ut damnoſum, ac venenatum, nec credat id, quod dicunt nonnulli, quod ſi priapus cum menſtruata ſe exercitet pœnas ſolvat excoriatione; ſi novella vitis eo tangatur in perpetuum lædatur; moriantur inſita, ſteriles fiant tactæ fruges, exurantur hortorum germina; quod ſi mulier prægnans alterius menſtrua calcet abortum faciat, ei autem, quæ utero non geſtat, concipiendi ſpem adimat; quod ab ore purgantis ſpiritus, aut vapor, ſpecula atque eboris nitorem obſcuret; guſtatus hic ſanguis canes in rabiem agat; homines in diros cruciatus volvat, & quod idcircò ab Antiquorum nonnullis inter venena connumeretur: Nam non peccat taliter ſanguis, ſua qualitate nocuum enim non eſt, ſed tantum quantitate, idcircò à Natura per vias uteri propellitur, ut docet *Graaff* loco ſuprà citato.

Curioſum hic ſurgit quæſitum, an ſcilicet alia animalia menſtruas purgationes patiantur? cui reſpondet *Ariſtoteles*, ſed cum errore dicendo, profluere in Vacca, Aſina, & Equa &c. At in muliere abundantiùs, ita *in 2. de generat. animal.* 19. *&* 6. *de hiſtor.* 18. cùm enim cætera animalia parciori utantur cibo, humi jaceant, cœli experiantur injurias, nimio labore, & exercitio fatigentur, hinc eſt, quod non congeritur in illis copia ſanguinis redundantis, ſed diſcutitur, & diſſipatur in corticem, cornua, pilos, aut ejuſmodi partes; Mulier verò cùm longè humidior ſit, otioſa, & ſedentaria, multo, & vario utatur cibo, nec fatigetur, copiam ſanguinis cumulat, quam ſingulo menſe demittit.

Fluit ergo quovis menſe ſanguis ab utero mulierum, & modò in magna quantitate, modo in parva, prout natura eget, & prout temperies, victus ratio, aër, & motus poſtulat; quod ſi parùm aut nihil fluant catamenia, diris cruciatibus anguntur-

patientes, vel ſi maxima ac congruum eſt quantitate dimanent, mortem in propinquo eſſe prænuntiant; Quare poſtea *Doct. Hieron. Nigriſolus Ferrarienſis noſter* ob tollendam iſtorum menſium, necnon lochiorum ſuppreſſionem, optimè ſcriptum edit progymnaſma, quod quantum ſit medicinæ utile noſcunt omnes illi, qui artem medicam colunt, & præcipuè *Clar. Raymund. Joh. Fortis* necnon *Theop. Bonetus* medicinæ practicæ ſplendor; Narrat enim præcitatus Auctor de honeſta virgine diris ob hanc cauſam vexata cruciatibus, & de aliis plurimis, quæ omnes, nullis aliis proficientibus auxiliis mirabili ſuo præſidio, appoſitione videlicet hirudinum internæ uteri parti Dei ope magna conſanguineorum, & adſtantium admiratione ob remedii novitatem priſtinæ ſaluti perfectè reſtitutæ fuerunt Guaſtallæ, cum ibi Medicus ſuæ Celſitudinis eſſet; quod remedium commendat, & extollit quoque experientiſſ. *Zacutus Luſitanus l.* 1. *de medic. princip. hiſt.* 4.

Nonnullæ propterea fuere fœminæ, quæ credentes cum menſtruis ſecum habere maxima arcana, & amatoria philtra; hinc fuit quod multæ amatoribus propinavere menſtruum proprium, fortè credentes amore æterno ipſas proſecutas eſſe debere: ſed fruſtrà; nam hæc virtus, niſi vi diabolica menſtruæ purgationi conjungitur nunquam.

Quod autem ſpectat ad cauſam qua ſcilicet iſte fluxus procedat in mulieribus, quod certè eſt ſummum opus in hac diſertatiuncula, notandum eſt, quod ſubeunt arteriæ finibus, ſeu oſculis ſuis uteri ſubſtantiam in quam ſanguinem effundunt, qui poſtea in ea undequaque diſtribuitur per anfractuoſos canales, & tubulos, quibus in fœtus conceptione hepar uterinum adhæret, eique ſanguinem prægnationis tempore infundunt, extrà prægnationem verò, quia ſingulis menſibus redundat ſanguis ſtatis periodis, hoc fieri puto cum *Doct. Diemerbroeckio lib.* 1. *ſuæ Anatom. cap.* 24. ubi agit de utero, & cum *Clar. Graaff. de mul. organ. gen. inſerv. cap.* 4. mediante fermento aliquo, quod in maſſam cruoris tranſmiſſum fermentationem, & efferveſcentiam agat, ità ut copioſius per arterias ad uterum feratur, ubi cùm aperiantur oſcula ſuperfluus eliminetur: Verùm, quid ſit,

&

& quo in loco generetur, ac à qua cauſa fermentatio iſta procedat, curque ſemel in menſe excernatur iſte ſanguis, ego propter rei obſcuritatem cum *Diemerbroeckio* neſcire fateor, ſolummodo cum *Graaff* dico, cauſam ad definitos Naturæ motus, & certas illius leges nobis adhuc incognitas, referendam eſſe; ſi enim ſemper fœminæ menſtruarent, nunquam conciperent, nec hominum tam frequenter amplexus haberent, nam eorum genitalia perpetuo cruore conſpurcata maderent; nec talis ignaviæ meæ aliquem tedeat; *Thomas* enim *Sydenham* Auctor non contemnendus ſuo libro de febribus, quærens rationem, cur fomes febrium intermittentium, tam ſtato tempore moveatur, ut à tempore antecedenti ne quid momenti aberret, ſubjungit, ſe neſcire, neque verò quenquam alium, quod ſciat, in hac cauſa tam præclarè ſe geſſiſſe, ut hoc opus naturæ ſatis ipſe enaraſſe videatur, niſi recurrendo ad vanam illam philoſophiam, quæ neſciens cauſas rerum nonnullarum reddere ad proprietates occultas ſe convertit velut ad ignorantiæ aſylum.

A fermento igitur in matrice, ut credo, genito in mulieribus ſuſcitatur hæc effervefcentia in cruore, à qua poſteà fluxus iſte menſium habetur, & menſtrua colluvies ſecernitur.

Hic autem oritur quæſtio, num ſcilicet iſto ſanguine fœtus nutriatur in utero, vel alio humore diverſo; circa quod, ut meam aperiam ſententiam, breviter dico, non tantum ex puriori hujus ſanguinis parte, ſed ex materia quadam lactea in amnii capacitate contenta, per os ſumpta, fœtum nutriri debere; hocque patet varias ob rationes, nempè, cùm infans ſtatim ac natus eſt, ſi digitum aliudque ori imponatur, ſugat; hinc eſt quod inferri queat, jam in utero illi ſuctioni fuiſſe aſſuefactum; Inde pueros certum eſt materiam quandam in ventriculo, cùm naſcuntur habere, ut experientiæ demonſtraverunt; ergo per os aliquam materiam in matrice exugere debere; Inde ſtercus ab inteſtinis projiciunt, quod ſanè evenire non poſſet, ſi à ſolo ſanguine per vaſa umbilicalia nutrirentur pueri; quod etiam ſentit *Harvæus*, *Diemerbroeckius*; *Olaus Rudbeckius*, *& Hippocrates lib. de Carnib.* aliique, quibus me etiam teſtem de hoc ſubjicio; Vidi enim puellum quendam natum feliciter à Domina

N. N., cui adfui ob imminentia partus pericula, ſtatim ac, qui lucem vidit, & fuit excerptus inter brachia ab obſtetrice, evomere magnam copiam materiæ ſubalbæ, ità ut ſtatim meum calculum huic opinioni ſubjeci.

Quod autem hic ſanguis menſtrualis, ſit materia lactis in mammis evenientis, ut plures exiſtimant inter quos Famigeratiſſ. *Franc. de le Boë Sylvius*, omninò negavi in diſſertatione de lacte, ut & nunc etiam facio, nam lac à chylo, per quædam vaſa lactea à ductu thoracico prodeuntia, lato, gignitur, mediante fermento ab utero ad mammas tranſmiſſo, de quo meam lege Animadverſ. prædictam, ſi vis ò curioſe Lector, de hoc plura.

Aſt hìc ſilere nequeo de aliquibus fœminis, quæ fluxu iſto albo ſemper afficiuntur, quod quidem morboſum eſt, & à practicis vocatur muliebris fluor; quod quidem evenire credo, ob fermenti uterini corruptionem in matrice factam, quo mediante menſtruæ purgationes mutantur in albas, diſtinguendo hanc affectionem à Gonorrhœa, quæ à glandoſo corpore provenit, & per lacunas circum, & in meatus urinarii exitu collocatas erumpit; hoc etiam dictante *Graaff* loco citato, referente, ſe cadaver mulieris laborantis gonorrhœa ſecuiſſe, & corpus glandoſum ſivè proſtatas urethræ circumpoſitas ſolum malè affectas offendiſſe; Cujus autem affectionis, nempè fluoris albi hiſtoriam breviter narrabo; Erat Ferrariæ quædam Virgo, quæ trium annorum ſpatio Juvenem immaniter amavit, quod certè miraculum eſt fœminæ enim omnes mendaces ſunt, ut notat *D. Antoninus Epiſcopus Florentinus in ſuo Alphabet contra mulieres*; hæc autem Juvencula, ob magnam illius Juvenis deſiderationem, vel ob aliam cauſam incidit in fluorem quendam album, & tam mordacem, ut labia vulvæ ipſius, & alias internas partes per quas tranſibat exulceraret, ut coacta fuerit ſe in manus Chirurgi deponere; Sed omnibus fruſtrà tentatis remediis tandem miſera fato ceſſit ob perverſam hanc affectionem; & dum Hiſtorias ſum narraturus, non decet unam tacere quæ ad noſtrum inſtitutum maximè ſpectat; diximus enim ſuprà in quibuſcumque fœminis debere menſtrualem fluxionem fieri; quocirca videntur plures fœminæ, quæ ſine ulla affectionis alicujus noxa, abſque menſtruando vitam

tam

tam ducunt, ſuntque alacriores aliis; de una igitur recordor præcipuè, quæ magnam ſanguinis effuſionem è naribus paſſa, mihi, ad ſiſtendum ſanguinem vocato, faſſa eſt ſe nunquam toto ſuæ vitæ curriculo aliquam quamvis minimam ſui ſanguinis guttulam è corpore effudiſſe, & ſemper benè ſe tuliſſe ad vitales has reſpirandas auras. Exiſtimo autem ego rationem, ob quam privantur menſtruis iſtæ mulieres, eſſe primò temperamentum illarum calidiſſimum; inde quod non producatur fermentum, quod excitet motum ſuprà dictum in cruoris maſſa, ità ut agitatus ad Arteriarum oſcula demittatur, ut fluat menſtrualiter per uterum, ad tingenda purpureo colore lintea: Verum enim verò, ſi aliquis à me petat, cur in aliquibus fœminis, quando accedit menſtrua purgatio, ſuccedant varia, & prava ſymptomata, ut ſtrangulatio, dolor capitis, dorſi, ac ventris, febris, vertigo, & ſimilia; dicam hoc evenire ob obſtructos meatus, & oſcula, quæ ſanguini denegantia liberum exitum, illum regurgitare alio faciunt, vel dum illæ exilire conatur impetum, & vim facit, & ſic corpus ſymptomatis prædictis lædit, hoc etiam docente *Clar. Sinibaldo in ſua geneantropeia lib. 6. tract.* 1. *cap. 9. pag. 726.*

Fuere autem fœminæ aliquæ quæ ſic permittente natura, ante ætatem, quam diximus ſuprà eſſe deſtinatam menſtruæ purgationi videlicet 14. annum, menſtrua dedere, de qua re *Joannes Schenckius ex Jacobi Suteri* fide narrat, puellam fuiſſe, cui ſtatim abſoluto quinto anno menſtruæ purgationes fluere ceperunt; quod idem de octenni puella narrat *Fernelius lib. 6. Patholog. cap.* 16. Quin *Hercules Saxonia* Venetiis, ſe vidiſſe puellam fatetur quinque annorum, quæ modico tamen menſtruo fluxu ſingulis menſibus ſubjiciebatur: Hoc autem unum hic adverto cum *Clar. Sennerto Pract. lib.* 4. *part.* 2. *ſect.* 2. Juvenculas iſtas breviorem habere vitam, quaſi natura his anteire tempore ſit ſollicita, ut eorundem auctorum verbis loquar; quibus hiſtoriis unam meam ſubjicio, & eſt de puella quadam 7. annorum, quæ anno 1684. menſe Februarii Bacchanalium tempore, dum cum Patre, ac matre comœdiis publicis una nocte adeſſet, fortiter clamare incepit, cujus clamoris cauſa fuit ſubita menſium fluxio, cui non

 aſſue-

aſſueta, neſcia illius ſymptomatis novi, nequit, ut timens alicujus periculi imminentis auxilium clamando peteret.

Quæſtionem tangit *Sennertus loco ſuprà citato*, an ſcilicet mulier concipere poſſit, cui nunquam menſes fluxere? & pro parte ſtat affirmativa, ad quam ego ſubjungo, hoc clarè oſtendiſſe experientiam in fœminis quibuſdam, quæ nunquam menſtruam purgationem paſſæ fuerunt, & tamen filiis plurimis donatæ ſunt; quod clariſſimum eſt indicium, fœtum ut dixi neceſſariò menſtruo non nutriri ſanguine; nam ſi menſtrua eſſent neceſſaria nutrimenta puerorum, reliquum eſſet, ut illæ fœminæ quæ menſibus privarentur, filiis quoque orbarentur, concedo tamen, ut ſuprà dixi fœtum ex ſanguine menſtruo in aliquibus mulieribus eligere poſſe meliorem partem in ſui nutritionem: ſed hoc non eſt neceſſarium, nam lactea materia poteſt equidem enutriri ſufficientiſſimè: Aſt ut hoc gratis non videatur dictum, nonnulla experimenta mulierum, quæ pepererunt ſine fluxione ulla menſtruorum ante habita, narrabo; *Braſavola enim ad Aphoriſm.* 36. *lib.* 5. *Hippocratis* refert, ſe plures noviſſe fœminas quibus nunquam menſes fluxere, & tamen ſemper fuerunt maximè ſanæ, & robuſtæ, ac filiis præditæ; *Rondeletius de method. cur. morb. c.* 24. ſcribit, mulierem quandam nunquam menſtrua paſſam fuiſſe, & tamen peperiſſe duodecies; *Trincavellus l.* 10. *c.* 3. *de Arte cur. part. hum. corp. affect.* refert, ſe noviſſe mulierem, quæ nunquam menſes, ſed filium vidit; *Joubertus* de alia idem narrat; ſed ne longior ſim in hac re, ac licet, ſi aliquis curioſus de hoc plura voluerit, legat *Marcel. Donatum de hiſtor. med. mirab. lib.* 4. *cap.* 23. *Guil. Fabritium Hildanum centur.* 5. *obſerv.* 41. *Guainerium tract. de ægritudinibus matricis cap.* 2. *Sennertum Pract. l.* 4. *part.* 2. *ſect.* 2. *cap.* 1. *quæſt.* 1. aliosque innumeros,

Superiùs dixi de aliquibus mulieribus, quæ ante debitum tempus, & naturale 13. videlicet aut 14. annorum, menſtrua dederunt; nunc operæ pretium exiſtimo, videre an poſt tempus debitum 50. ſcilicet annum aliquæ fuere fœminæ quæ menſes paſſæ ſint; circa quod adverto cum præſtantiſſ. *Sennerto* loc. cit. & *Guil. Fabritio Hildano cent.* 2. *obſerv.* 61. fœminam fuiſſe, quæ habuit menſtrua uſque ad ſeptuageſimum octavum ætatis ſuæ annum,

num, eoque anno cùm inordinatiùs prodire inciperent, eam in febrem continuam incidiſſe, & materia in crus ſiniſtrum depulſa, inflammationem, & gangrænam ibi excitatam fuiſſe, per quam paulò poſt ex hac vita diſceſſit, & ſimile narrat *D. Gregorius Horſtius*, qui vidit nobilem mulierem, quæ annum circiter ſeptuageſimum tertium agens, ſtatis temporibus ordinario menſium fluxu laboravit; aliamque hiſtoriam æqualem etiam tradit ſuprà citatus *Guil. Fabritius Hildanus cent.* 4. *obſerv.* 63. Et ego tandem vidi Dominam Iſabellam Righetti 82. annum agens, cui quovis ferè menſe ſolitus catameniorum fluxus prodibat; Igitur inferendum cogito, poſſe fœminas (ſed hoc tamen raró) poſt debitum tempus menſtrua pati, ac menſium naturali fluxu donari; de quo plura apud *Charleton. de Fluxu menſtr.*

SCHOLION. Sanguis menſtruus, *Zenith Juvenculæ à Paracelſo* nuncupatus multa habet recondita, figmenta tamen de eo relinquo. Sicut autem in ſanis ſanus, ſic in vitiatis vitiatus eſt; Quæritur an ſanguis menſtruus tutò internè propinari poſſit? & affirmativè reſpondeo. Sanguinem enim menſtruum linteo excipit *Ettmullerus*, & linteum probè tinctum exſiccatum & ſub uſu cum aceto ſcillitico extrahit è linteo; quod medicamen internè ad promovenda menſtrua adhibet *Helvetius*. Sanguis menſtruus exſiccatus intrinſecè ad calculum, & epilepſiam commendatur à *Schrodero*. Externè autem linteum menſtruis tinctum eryſipelati, applicat *Ettmullerus in Schroder. dilucidat. part.* 1. *ſect.* 3.

Sanguinem menſtruum cum adipe bovino inunctum dolores podagricos ſopire ait *cit. Schroderus*. Conducere item dicitur in Peſte, & carbunculis, & ad puſtulas faciei abſtergendas; Quin Febrem tertianam curatam fuiſſe beneficio menſtruati lintei collo appenſi narrat *cit. Ettmullerus*. Induatur etiam induſium ait *Frid. Hofmannus* recenti menſtruo alterius (ſi conſanguinea fuerit melius ſuccedet) adhuc conſpurcatum, quod teſte experientia in fluxu menſium ſuppreſſo proritando probatum eſt; Fermentum enim ſanguinis mumiale ſpecificum (ſunt verba *Hoffmanni*) internum uteri fermentum per ſymbolicam harmoniam idealem ſuſcitat. Ope tandem menſtruorum philtra parant fœminæ; quibus ſecundina humana præparata contrariatur docente *Ettmullero*.

ANI-

ANIMADVERSIO XXXIV.

De Ventriculo, ejuſque cum variis corporis partibus conſenſu.

VEntriculus, qui ventris infimi ſedem primariam poſſidet, meritò quidem à *Doctiſſ. Helmontio* totius microcoſmi Rector, & à *Clar. Joh. Fortis conſult. 77. cent. 2. tom.* 1. cum *Galeno* promptuarium divinum, nuncupatur; eo quia, ut advertit *Moebius*, ſicut Cor ſanguificationis eſt officina, ita Ventriculus chylificationis ſit locus, & quemadmodum cor ſol Corporis dicitur, ſic pariter ſtomachus principale humani corporis ſidus dicendus eſt; cujus fabricam, munus, & conſenſum, ut diligenter perquiramus, primò ejuſdem anatomicam delineationem breviter examinare fas ſit.

Ventriculus ergo, quaſi parvus venter dictus, vel ut *Iſaac Cardoſius* quaſi utriculus nuncupatus. quia inflatus utri ſimilis eſt, nam cucurbitæ oblongæ, & rotundæ aſſimilatur, ob figuram quam obtinet ſanè ſic à Natura adaptatam, ut ſcilicet ſtatim à paſtu difficulter homines non reſpirarent, ut enim advertit *Galenus in arte parva*, illi qui rotundum ventriculum habent à paſtu difficulter reſpirant ventriculo premente diaphragma; unus eſt in hominibus tantum, quamvis *Riolanus* duplicem in uno homine obſervaverit, & *Sperlingius* viderit in muliere Witebergenſi. Pars eſt noſtri Corporis diſſimilaris, & neceſſaria primæ coctionis officina, diſſimilaris inquam, nam ex pluribus diverſæ naturæ, membranis ſcilicet, arteriis, glandulis, venis, fibris, &c. conſtituitur; de quo apud *G. Horne in Arca Moſis*.

Poſitus eſt pene in corporis medio ventriculus ſub diaphragmate inter jecur, & lienem cum inteſtinis continuatus. In ſiniſtro latere tangit diaphragma quare motus ejus à nimis repleto ventriculo impeditur, undè dyſpnœa naſcitur, ut fatetur *Moebius fundam. med. cap.* 10.

Spinæ incumbit ad primam lumborum vertebram, & ſiniſtro hepatis lobo coopertus, ac pancreate ſuffultus cum duodeno connectitur.

Triplici

Triplici conſtituitur membrana, una ſcilicet communi, & exteriori craſſa à peritonæo deveniente, media carnea, interiorique rugoſa, quæ cruſta mucaginoſa obducitur, ut à ſuccorum acrium injuriis ſervetur: multas, ac notabiles ob actionem habet fibras, tamque rectè inter ſe ipſas connexas, ut tacto œſophagi principio, ſtatim ope fibrarum ſubvertitur ventriculus, & ea quæ intus habet per vomitum projicit. Nervos à ſexto pari recipit, per quos demiſſi ſpiritus animales acutum ſenſum ei donant, & per iſtos evincitur clarè connexio cum Cerebro aliiſque partibus, ut infrà videbimus: Arterias à Cœliaca ſuppeditatas ſemetipſum nutrientes agnoſcit, una cum ramificationibus venarum exilium ad rectam ſanguinis circulationem inſervientium, quæ per ipſius tunicas recurrentes, tandem in quatuor inſignes venas coeunt ad Portam tranſmittendas; Hinc notandum occurrit quod contiguitas, quam habet ventriculus cum liene, cauſam dedit antiquis medicinæ profeſſoribus illinc ſcrutari originem ſucci famem & appetitum facientis, necnon ciborum ſolutionem cauſantis; dicebant enim per vas breve à ſplene ad ventriculum acidum humorem in liene fabricatum deportari; ſed quàm inſcia ſit noſtris diebus hæc opinio patet ex eo quia Autopſia patefecit vaſculum illud non à liene ad ventriculum, ſed à ventriculo ad ramum ſplenicum deferri, quod vaſculum dari negat *Æmilius Pariſanus*, hoc mutatis verbis confirmante *Diemerbrœckio Anat. lib.* 1. *cap.* 6. ubi agit de ventriculo.

Duo tandem obtinet ventriculus orificia, ſuperius unum videlicet, alterum inferius; primum ſtomachus dicitur, quod poſt œſophagum immediatè ventriculo connectitur circa undecimam thoracis vertebram, & enſi formem cartilaginem; Alterum Pylorus nominatur, duodeno continuum, concocta alimenta ad inteſtina demittens.

Ventriculum igitur nobiliſſimam eſſe, & ferè unam ex principibus partibus convincitur, ex eo quod vulnera ejuſdem ſemper ſtatuantur lethalia ab *Hippocratis oraculo ſect.* 6. *Aphor.* 18. quantumvis poſſit fateri, quod tamen rarum eſt aliquos fuiſſe in Ventriculo vulneratos, & divina prius favente pietate, ac ope

Artis noſtræ ſanatos ut videre eſt apud *Schenckium* , *Fallopium*, *Diemerbroeckium*, *Hippol. Parmam*, & alios.

Ad uſum autem nobilis hujus viſceris quod attinet, advertendum eſt Ventriculum chylificare, id eſt ex alimentis particulari coctione ſuccum lacteum elicere, qui chylus nominatur, quam actionem quomodo agat ſic breviter oſtendo. Poſtquam cibus dentibus fractus, ſalivali menſtruo quodammodò fermentatus detruſus eſt per œſophagum in Ventriculum, ibi ope caloris, & fermenti unius acidi, in quo ſpiritus ſalino volatiles inſunt, ritè à glandulis nonnullis in tunicis ipſum ventriculum formantem morantibus præparati, concoquitur, & tandem meliorem ejus partem in ſubſtantiam lacteam chyloſam mutat, quæ per pylorum in inteſtina detruditur, quem poſtea colorem lacteum ſemper tenere fateor, experientia edoctus; nunquam enim in tot animalibus ſectis chylum niſi lacteſcentem deprehendi, ut & ante me fecit *Clar. Diemerbrœckius* quantumvis nonnulli adſint dicentes chylum colorem adipiſci ab illis rebus ex quibus conflatur, undè ſi à viridibus fiat, viridis ſit, & ſi à rubris, ruber evadat &c. inter quos, ſed falsò, ſic ſentiunt *Plempius*, *& Walæus*: An autem ventriculus chylo, an potius ſanguine nutriatur facilè notum fit ex arteriis veniſque per ventriculum ipſum proreptantibus, indicium evidentiſſimum, quod, non ut voluerunt, *Æmilius Pariſanus*, *Valeſius*, *Regius*, & alii à chyloſa materia, verum à cruore nutriatur. His igitur breviter de fabrica, & uſu ventriculi notatis perquirendus jam eſt mirabilis ſanè ejuſdem, cum variis corporis partibus conſenſus, capite enim affecto, ſtatim ventriculus afficitur, læſo utero, læditur, langucnte ipſo cor in conſenſum ducitur, quamobrem hujus amicitiæ cauſas, ac modus ſcrutari modò incongruum non puto.

Tanta enim primò inter caput, & ſtomachum connexio reperitur, ut mens etiam aliquid abominabile concipiendo ſubitò ventriculus in vomitum vertitur, adeò ut ferè faterer mentem in ſtomacho eſſe, niſi in cerebro mentis actiones peragi, apud omnes eſſet jam in confeſſo; hujus autem concordiæ cauſam puto eſſe nervos ipſos, ut ſuprà vidimus ad ventriculum proreptantes, qui cùm à cerebro immediatè proficiſcantur, ſem-

per-

perque ad ſtomachum, ut & ad alias partes animales ſpiritus tranſmittant, hinc eſt, ut ſpiritus idea illa abominabili imbuti confeſtim ventriculum ad nauſeam cogant, quem conſenſum clarè quoque patefecit *Sap. Joh. Fortis conſ.* 80. *centur.* 1. *tom.* 2.

Secunda verò notabilis connexio Ventriculi eſt, quæ inter illum, & principium œſophagi procedit hujuſque conſenſus cauſam facilè deprehendimus à fibris in œſophago ſitis, quæ una poſt aliam unitæ per œſophagi cannulam uſque ad ventriculum deſcendunt, unde tacta prima, ſtatim ultima movetur, eodem pacto, ac ſi funis extenſa in una parte tangeretur, ſtatim, & ultima pars moveri videretur; unde cùm pateat communio iſtarum fibrarum, facilè poſtea eſt aſſignare cauſam hujus cum gutturis ſummitate ventriculi conſenſus.

Tertia connexio ea eſt quam ſtomachus tenet, cum utero, notabilis quidem, nam in utero gerentibus ſemper cibi faſtidium, nauſeamque deprehendunt Medici, adeò ut poſtea iſta ſymptomata, eſſe conceptionis ſigna infallibiliter deponunt; cujus connexionis originem provenire cogito duabus cauſis, primò, quia infans, cum ore ſugat, ut certum jam eſt, & cùm ex chylo nutriatur, nam pueri recenter nati multoties chylum evomere, idcircò oportet, quod per vaſa quædam lactea, chyloſam ſubſtantiam vehentia, connexio fiat cum ſtomacho, & inteſtinis, quæ vaſa etiam concedunt, *Harvæus*, *Bartholinus*, *Henricus ab Heèr* narratque, ſe in difficili partu mulieri crocum cum aliis exhibuiſſe, pauloque temporis ſpatio, patientem illam puerum feliciter enixam eſſe, croceo tinctum colore, ut aliquot poſt menſes color non evanuerit: Secundò verò, quia, cùm, uti vidimus ſuprà, nonnullis ſcateat nervis ventriculus, & cum uterus ipſe totus nervoſus, ſit, & innumeris nervis circum veſtiatur, patet quomodo affecto utero, & præcipuè in primis fœtus rudimentis ventriculus nauſeam, vomitumque patiatur, cùm tam facilis ſit connexio inter ſtomachum, & matricem, quam connexionem benè animadvertit Clar. *Raimund. Joh. Fortis*: dum pluries in praxi medica exercenda obſervavit ventriculi anxietatem ab imminutis menſibus oriri; & ex dictis redditur poſtea faciliter ratio, cur mater, ſi viderit aliquod comeſtibile, ipſum-

que cupiat nec illud habeat, tacto corpore forti imaginatione, impreſſam in fœtum illius optatæ rei figuram demandet, per nervos enim clare poteſt, & à cerebro, ubi talis rei commeſtibilis fit conceptio, & à ventriculo, ubi talis edulii fit appetitus, ad uterum ſtatim demandari illa voluntas in actum minimè poſita, & fœtui ſuppeditare fictè tamen id quod mater ſummoperè imaginata fuit, & exoptavit. Quare poſtea in pueris obſervantur per corpus & mali punici imagines, & fœniculorum, aſparagorum, aliorumque figuræ, de quo hiſtorias plures habebis lector benevole, ſi leges *David. vander Becke in experiment. circa rer. natur. princip. lib. 2. Sennertum, Gaſſendum, Horſtium*, alioſque.

Quarta eſt ſumma ventriculi connexio cum ureteribus & veſica; hanc clarè patefacientia experimenta quædam tota die oſtendentia à ventriculo immediatè ad veſicam naturam demittere modo acus, modo aquas thermales tales quales aſſumuntur, modo aliquid aliud ſuperfluum ad ventriculum demiſſum ob errores in potu commiſſos, ut apparet in potatoribus illis, qui non ut vivant nati ſunt, ſed ut bibant; in iſtis enim pauco temporis intervallo natura à maxima potus copia per urinæ vias ſe exonerat, quod autem quomodo ſuccedat, eſt valdè difficile ob nondum inventas vias, quibus à ventriculo immediatè ad veſicam res detrudantur; *Bartholinus* enim cogitat brevem viam à ſacco chylifero ſe transferentem ad arterias emulgentes, ſicque per renes ad veſicam: verum has vias non confirmat Autopſia, quia nondum inventi ſunt meatus à ſacco chylifero uſque ad emulgentes arterias prodeuntes: *Clemens Niloe* ſcribit, quædam vaſa lactea deferri ad renes ſuccenturiatos, & ab iſtis capſulis atrabilariis renibus materiam ſupradictam ſuppeditari; hæc verò quoque corruit opinio, nam præterquam quod nullæ adſint viæ, quæ à renibus ſuccenturiatis ad renes tendant, etiam inane redditur cogitatum lacteorum illorum vaſorum ad ipſas capſulas atrabilares tendentium, cùm nullus anatomicorum adeò ea vaſa reſpexerit; Alii denique cum *Bernardo Svvalve* credunt, venas gaſtricas abſorbere aquas illas thermales, acus, aliaque, atque citiſſimè ad cor demandare; verùm iſtius commenti vanitas patet;

tet; nam ſi per venas gaſtricas thermales aquæ tranſirent deberent, & ad Portam, Hepar, venam cavam, pulmones &c. deferri, & in tanto viarum, & viſcerum tranſitu notabilem mutationem aſſumere, & conſpicuo quidem colore donari; ulteriús quando acus verbi gratia, detrudi deberet, in illis tranſeundis viis varias corporis partes laceraret, magno cum naturæ detrimento: Verùm experientia conſtat thermales aquas, tales quales aſſumuntur ſine mutatione dejici, & acus abſque læſione ulla detrudi, ergo vanum erit aſſerere, eas à gaſtricis in ventriculo abſorberi; Quamobrem cum Clariſſ. *Diemerbrœckio* fatendum judico, acus, aquas thermales, & hujuſmodi per quædam vaſa lactea, per occultos hactenus meatus ad veſicam deferri, quod comprobari poteſt ab obſervationibus Medicorum factis de nonnullis ſcilicet, qui lacteum humorem abſque ullo ſalutis detrimento pluries per veſicam demandarunt, de quo legatur *Nicol. Florentinus*, qui Juvenem, ſe vidiſſe teſtatur chyloſam materiam cum urina mandantem, idemque ſcribit *Bauhinus*, *Laurentius*, & alii; immò quid plura; quemadmodum Natura ad uterum ob fœtus nutritionem vaſa lactea dimiſit: quare non potuit etiam aliqua chyloſa vaſa ad veſicam demandare, ne fortè aliquo ingruente periculo ex gr. de acu in corpore miſſo, vaſa hæc ſe omiſiſſe pœnituiſſet; inſuper nonnè *Franciſc. Gliſſonius tract. de Ventriculo* cum collega ſuo *Warthono* in cane eo fine diſſecto nonnullas lacteas venas à fundo ventriculi duci obſervavit; ideo inferendum abſque dubio, vias à ventriculo ad veſicam dari, per quas phænomena ſuprà dicta, excretionis videlicet acus, & aquæ thermalis clarè explicentur; Undè poſtea patet conſenſus ratio, iſtis enim datis viis, ſtomachum cum veſica communionem habere deprehenditur; Quin, & cum renibus connexionem ventriculum etiam habere clarè demonſtratur in calculo; in affectis enim nephritide magna ventriculi ſubverſio, & nauſea obſervatur; qui poſtea conſenſus evincitur manifeſtè, ut docet *Lazarus Riverius celebris medicinæ practicus*, per membranam à peritonæo mutuatam, & per nervum ſextæ conjugationis, cujus duo rami à ſtomacho in tunicam renum interiorem deferuntur.

Sed de his, & cum cerebro, utero, gutture, veſica, renibuſque connexionibus haud contentus ventriculus ad majores aſpirans amicitias ſuum cum corde conſenſum deſignat, ut fortè huic nobiliſſimo viſceri aſſociatus ambitiosè propriam nobilitatem oſtendet, unde poſtea non eſt mirum ſi Medicinæ Practici iſtam agnoſcentes connexionem ventriculi dolores, Cardialgiæ nomine condecorarunt, ait enim *Riverius* tantum eſſe cum Corde ventriculi conſenſum, ut veteres ſuperius ejuſdem orificium teſte *Galeno* quaſi Cor nominarunt, quamobrem hujus poſtea connexionis, & amicitiæ originem facilè inveniemus ſi animadvertemus nervos jam ſuprà notatos ad ventriculum deferri, & juxta ſuperius orificium plexus inſignes, immò & quoddam quaſi reticulum, quo totus ejus ambitus obducitur, conſtituere; e quorum nervorum ramis alii ramuli dividuntur, & ad Cor demandantur, per quos poſtea nervos communionis cum corde origo adinvenitur, quarè Doct. *Joh. Fortis tom.* 1. *cent.* 2. *conſult.* 68. ſcribere audet, os ventriculi in conſenſum ſui animam ducere, demonſtrando maximam cum corde amicitiam inſitam eſſe ſtomacho, hoc enim læſo frequentes ob ſyncopes præcipuam animæ ſedem vacillare, & multoties corruere perſpicitur; unde etiam *Galenus ipſe de ſymptom. cauſis* 7. aſſerit, *nulla pars noſtri corporis adeo exquiſitum ſenſum habet, nec ita in conſenſum trahit utrumque principium, ac ventriculus.*

ANIMADVERSIO XXXV.

De Febri lenta mirabiliter curata.

Febri laboraverat lenta quædam Virgo per 40. ferè dies omnibuſque tentatis remediis; omnia fruſtra fuere, cumque acceſſiſſem una die ad eam viſendam, reperi eam ſat enixè me rogantem, ut concedere illi ad comedendas vellem, duas vel tres tantummodò nuces, quas quidem maximè optabat; ego conſcius quanti momenti ſit, aliquando appetitus naturæ ad id quod ſibi bonum eſt, & memor illius, quod narrat *Panarolus obſerv.* 36.

36. *Pentecoſt.* 2. placui, & juſſi illam comedere tres tantum nuces, quibus ſumptis, & voluntate ſatiata, melius ſe habere incepit, & ſanata omnimodè fuit, quare hortor Medicos cum ſupracitato *Panarolo* ut indulgeant quandoque ægrorum voluntatibus, modo tamen, & menſura; Natura enim à nullo edocta, id quod, ſibi eſt maximè utile cupit.

ANIMADVERSIO XXXVI

An adſtringentia in Fluore muliebri conveniant?

IN fluore muliebri, cujus hiſtoria apud practicos habetur; multi ſunt qui medicamina adſtringentia commendant: ſed non video cum *Sennerto* quomodo conſultum ſit humores pravos hanc producentes affectionem adſtringentibus in corpore retinere, cùm facilè fieri poſſit, ut retenta talia excrementa, ad alias partes nobiliores ruant, & peſſima ſuſcitent mala, niſi fortaſſe Medici adhibeant ſiccantia, & adſtringentia propter matricis humiditatem & laxitatem corrigendam; Adſtringentia enim, monente *Riverio*, nunquam ſunt adhibenda donec materia antecedens probè ſit evacuata ob merum ſuprà dictum ne adſtricti humores pravi ad partes nobiles petant, quemadmodum ſcribit *Galenus* contigiſſe in quadam fœmina tali affecta morbo, cui ob uſum adſtringentium venter intumuit: Verùm poteſt benè, ut notat *Bonetus*, uti à Medicis adſtringentibus dummodò materia antecedens aliò divertatur illiuſque generatio prohibeatur, & hoc confirmat *Laz. Riverius*; licet ab hoc diſſentiat Clar. *Sylvius de le Boe* ſcribendo curationem fluoris in hoc conſiſtere, ut craſis vitiata ſanguinis ad ſtatum optimum reſtituatur, abſque medicaminum adſtringentium exhibitione, quod rectè fieri poteſt, ut ipſe ait, per ſanguinis miſſionem lenem purgat, & mineralium aliquorum potentiam, ut videre eſt apud ipſum *Prax. l.* 3. *c.* 4. Hinc Clar. *Jo. Fortis* à præcepto Sylviano abhorens adſtringentia commendat, dicendo extrinſecè lumbis linimentum ex bolo armena, terra ſamia, ſanguine draconis maſtice-

que

que confectum valdè juvare in fluore muliebri, ſed contradicitur à *Mercuriali*, qui ſcribit roborandum eſſe uterum, ſed non eſſe adhibenda adſtringentia ob metum Hydropis, Cachexiæ, & aliorum hujuſmodi; Unde in tanto opinionum certamine liceat mihi concedere poſſe tutò medicamentis adſtringentibus uti, dummodò prius corpus exactiſſimè ſit purgatum, tunc enim non eſt formidandum de Cachexia, &c. nam pravi humores jam ſunt evacuati, quod benè haberi poteſt per curationem inſtitutam à *Claudino in Empirica ration. tom. 2. cap. de muliebri fluore.* Curioſa autem varia ad hujus affectus curam dabit *Andreas Tenzelius in med. dia ſtatica.*

ANIMADVERSIO XXXVII.

De Hæmoptoe.

HÆmoptyſis dictante *Galeno 1. de Criſib. cap. 5.* eſt excretio ſanguinis cum tuſſi ex pulmone, thorace, & aſpera arteria, cujus cauſa conjuncta eſt vaſorum apertio, quæ ſemper ob vitium ſangunis accidit, tum quantitate, tum qualitate peccantis, & maximè ad dyſcraſiam acrem vergentis, quam ob acredinem vaſa franguntur, & excretio ſanguinis contingit; & vocatur à Practicis ſymptoma in excretis eorum, quæ toto genere ſunt præter Naturam, ut optimè ſentit *Clar. Riverius prax. l. 7. c. 6.* Externæ verò cauſæ ſunt referente *Burneto*, victus plenior, menſium, atque hæmorrhoïdum ſuppreſſio, exercitatio nimia, clamor ingens, ictus, caſus, vulnus, & alia quam plurima; ex qua autem parte diffluet ſanguis, his dignoſcetur ſignis, V. G. ſi læviſſima tuſſi, & leviter ſpumoſus excernitur, ex aſpera eſt arteria; ſi verò majore cum tuſſi, majore quantitate, & majori ſpuma rejicitur, à pulmone prodire ſignum eſt; à thorace tandem qui defluit, præter quam quod maximam infert tuſſim, lividus eſt, ac nigricans; ex ore, & gingivis ſine tuſſi, ſed ſimplici ſputo excernitur; ex gutture cum raſcatione, & ſcreatu; de qui-

quibus plura apud *Riverium*, *Sennertum*, & *Rolfincium*. Notandum autem cruorem illum, qui ab aliqua thoracis parte devenit, tunc debere dici à thorace provenire, cùm in aliqua ejuſdem parte dolor permanens habebitur, multoties verò accidit, ut naturalis penè ſit hæc affectio, & circa hoc legiſſe recordor de fœmina quæ toto ſuæ vitæ ſpatio nunquam menſtruales paſſa eſt purgationes, ſed quovis menſe per fauces expurgatam fuiſſe; de quo legantur *Tulpius*, *Schroockius*, & alii.

Diagnoſtica jam per ſe ſunt clara, & ex dictis jam patent; Prognoſtica deſumuntur ab *Hippocratis Aphor.* 25. *ſect.* 4. dum ait ſanguinem ſupernè quidem efferri, qualiſcunque ille ſit, ſemper malum, omnem enim, addit *Riverius*, vaſorum apertionem quæ ſanguinem effluere ſinit, periculoſam eſſe, præcipuè in pulmone, de qua audiendus eſt aphoriſmus. Sequitur mox Divinus ſenex dicendo à ſanguinis ſputo, puris ſputum, à puris ſputo phthiſis.

ANIMADVERSIO XXXVIII.

De dolore capitis ſanato.

SAtelles quidam dolore capitis aſſiduo abſque febri laborabat; Purgato corpore non convaluit, uti ſperabatur, uſque dum temporibus ejuſdem applicare feci decem hirudines; quo facto benè ſe habuit.

SCHOLION De uſu hirudinum in Cephalalgia optimè ſcripſit *Joël Langelotus*, & de nonnullis narravit cephalalgia offectis hoc medicamine ſanatis; obſervavit enim in illuſtri D. Joh. Wonderwick, per multos dies, noctesque ſæviſſima cephalalgia excruciato, adeò ut etiam mentis alienationem pateretur; tandem hirudinum ad tempora admotarum uſu ſanatus fuit; Quin fidiſſimo experimento pluries hîc Ferrariæ compertum eſt optimam eſſe in capitis dolore applicationem hirudinum temporibus; ſic enim ſanguine limoſo extracto ægri à ſævo cruciatu redduntur immunes, & eſt ſecurius Arteriotomia auxilium, quod

quod clarè docuit *Clariſſ. Zacutus prax. med. admirabil. lib.* 1. Notandum autem cum *Riverio*, & cum *Auctore Miſcell. Cur. Anni* 6. *obſ.* 9. decem, aut duodecim hirudines afigi debere, ut tota materia morbifica exhauriatur, non duas, vel tres, ut vulgus cogitat.

ANIMADVERSIO XXXIX.

An Veſicantia in dolore capitis ſint adhibenda?

DOlorem capitis affectum eſſe moleſtiſſimum, quiſquis medicam Artem expertus eſt fateri poteſt; ad quem profligandum affectum Medici toto pectore inſudant, & præcipuè in quæſtione agitanda num ſcilicet veſicantia ſint in uſum ducenda; circa quod notare oportet cum præſtantiſſimo *Wedelio*, & *Williſio*, cutem compoſitam eſſe ex papillis, arteriis, nervis, glandulis, & duplici tunica admodum poroſa, ideòque veſicantibus, in morbis, & præcipuè capitis eſſe exulcerandam, nam portio ejus per veſicatorium cuticula adempta denudatur, & fibræ nerveæ vellicatæ, glandulas & poros conſtringunt, & intorquent, & ſic humores ſeroſi in utriſque contenti copioſè exprimuntur, ita ut hac de cauſa *Sylvaticus*, *ut Clar. Rhodius obſ.* 72. *cent.* 1. refert diu invaleſcentem capitis dolorem, veſicantibus coxarum interiori parti admotis ſuperavit, ut & fecit *Tulpius in obſ. med. l.* 1. *c.* 13. in quodam à moleſtiſſimo capitis dolore afflicto, cùm pluribus adhibitis prius remediis tandem veſicatorio occipiti admoto ſanitatem reſtituit, quod etiam confirmat *Riverius cent.* 1. *obſ.* 37. narrando de puella quadam quæ gravi dolore capitis vexabatur, ſupra frontem, & ſupercilia, tam acuto, ut cultro caput ſibi aperiri cuperet deſperata. Aſt veſicatorio, priùs tamen raſo capillitio, admoto capiti, ad inſtar cucuphæ magna ſeroſi humoris ex veſiculis excitatis copia diffluxit, ut inde omninò liberata fuerit; circa quod etiam aliud ſimile notatu dignum curioſus qui eſt legere poteſt in doctiſſimis communicationibus *D. Caroli Sponii Med. Lugdun.* & in

Mer-

Mercurio compitalitio Boneti. Verum quis unquam erit in paginis tamen Medicis peritus, qui veſicantibus in affectibus ſoporoſis, ſpaſmodicis, & dolorificis non utetur; *Severinus* enim tam rectè de his diſcurrit in ſua Chirurgia pag. 55. ut in hæc verba exclamet, nempè *veſicatoria qui rectè adminiſtraverit, is difficilium plerumque morborum victoriam obtinebit*; medicamentum enim hoc revellit, & derivat, & evacuat à parte affecta, ut ſanè, & efficiet in dolore capitis; dum tamen Medicus in arte verſatus ſtato tempore, & modo apponere ſciat, de quo in Animadv. 137.

ANIMADVERSIO XL.

De Lienis ſcirrho mirabiliter ſanato.

MIhi retulit *Dominic. Pozati*, ſe, cùm Mutinæ eſſet, maximo Lienis ſcirrho laboraſſe, tandem ad ruſticum quendam empiricum ſe dediſſe, qui poſito eo ſuper tabulam corpore denudato impoſitoque ſuper affectam partem papyro, accepit cultrum valdè conſpicuum, & dedit ſuper lienem ter, ſine ulla noxa, ita ut in poſterùm nullam ſenſit Lienis moleſtiam. At ego fabulam hoc teneo, adverto enim *Cardanum*, *Maſſariam*, *Riolanum*, *Sennertum*, & *Aquapendente* alioſque præſtantiſſ. Viros dicere hoc eſſe merum mendacium, & Anilium figmentum. Similem hiſtoriam tamen narrat *Welſchius.*

SCHOLION. Non à ſcopo aberraverit, ait *Hollerius*, qui venas, quæ ad lienem nigricant aperuerit, eo quod experimentis cognitum ſit tali modo curatum fuiſſe lienis tumorem; ni autem placeat hæc operatio hirudines vel cucurbitulas ſcarificatas tutò admovere poterit Medicus; Quin & in Scirrho Lienis cauterium ad ejus regionem affixum commendat *Zacutus*, non ſine de hoc habito experimento.

Hinc in Lienis duritie mirabile eſt noſtrum Ferrarienſe Unguentum de Bryonia dictum cujus deſcriptio talis eſt. ℞. Olei

communis ℔· iij. medullæ crur. Bov. ℔· j Succi Bryoniæ, Cyclaminis, ana. ℔· j. bull. ad lent. ignem uſque ferè ad conſumpt. ſucci, colaturæ adde pulv. Ceterac., cortic. cappar., Tamariſc., ſem. agni caſti ana. ℥. iij. miſce fiat Ungu., hoc unguento feliciter uſi ſunt in tollendis lienis ſcirrhis, *Savonarola*, *Hugo de Senis*, *Leonicenus*, *Bonacciolus*, *Amatus Luſitanus*, *Braſavolus*, *Manardus*, & alii.

Ego tandem pluries expertus fui magnæ efficaciæ in ſplenis duritie tollenda Cerat. ſeq. meæ inventionis, nempè ℞. Propulis, hyſſop. humid., opoponacis, Ammoniac. ppt. ana. p. æq. miſce & cum pice navali & reſina pini, ac oleo de cappar. ana. q. s. fiat Ceratum S. A., & extendatur ſupra alutam ad formam datam, & hoc cerato in praxi medica facienda utitur ſæpè Clariſſ. Hippol. à Monetis Ferrarienſis Medicus, ad tollendas ſplenis durities, & magnæ utilitatis eſſe fatetur.

ANIMADVERSIO XLI.

De aliquibus medicamentis in Ophthalmia.

GErmanum Medicum elapſis menſibus audivi qui rejectis omninò purgantibus, & Chirurgicis medicamentis appropriatis, & ſpecificis tantum ad debellandas affectiones utebatur; verùm ut ei meum aperirem ſenſum, reſpondi ore expedito, iſta ſpecifica medicamenta reperire difficillimum eſſe, an autem aliqua ſint medicamina appropriata in curatione ophthalmiæ modo inquirendum; Practici enim omnes aliquam faciunt mentionem de appropriatis in hoc debellando affectu, & primò *Thom. Bartholinus de nivis uſu cap.* 25. de quodam Juvene ophthalmia cum dolore ſummo laborante narrat, qui nullo alio uſus fuit præſidio, quam nivis globulo; quem in horto ambulans applicuit: irruentem enim ad oculum cruorem frigore ſuo nix rejecit, & dolorem mitigavit, & *Clar. Rolfincius in meth. med.* lac unicum eſſe in ophthalmia remedium fatetur, quod confirmat *Zacutus*; *Riverius*, autem unum dignius notatu advertit videlicet

licet præſtantiſſimum eſſe, & paucis notum remedium ad diſcutiendas ophthalmias oleum, ſeu liquorem, qui à linteis accenſis & inter duas patinas ſuffocatis elicitur, cujus liquoris gutta una cum ſaliva pueri admiſcetur, & ad apicem oculi admovetur, quod quoque docet *Burnetus in Theſ. med. Pract.* Hîc autem nequeo quin à curioſitate coactus, me transferam ad enumerationem illorum remediorum ad ophthalmiam, quibus utitur liber cui titulus *Kiranis* eſt, ſeu *Myſteria Medico-Phyſica* ſcilicet unicum eſſe in hoc affectu præſidium adipem Talpæ, & oculos ſuſpenſos Coturnicis, oculum hirundinis fronti applicitum, fel, & adipem piſcis Elopis ſeu glauci, oculos piſcis etiam Chriſtophori, herbam Chelidoniam, & Euphraſiam, & fœniculum, aliaque plurima, ut videre eſt in citato libro ex ſimilibus remediis conflato.

SCHOLION. De medicamentis ophthalmicis varia collegit *inſig. Bonetus in Med. Septentr. tom.* 1. Sed præ cæteris Aqua ſequens ophthalmica eminet, cujus deſcriptio hæc eſt. ℞. aquæ ſtillatitiæ ſpermatis ranarum, ℥. xvj. phlegmatis vitrioli, ℥. viij. ſpermatis Ceti, ℈. ij. eſſent. roſ. gutt. aliquot, Rutæ coſmet. myriſat. pro pauca lacteſcentia q. s. & m. de quo plura apud *Clar. Cnœfelium.*

D. Joh. Feluer. deſcribit ſeq. collyrium ℞. Phlegmat. Vitriol. & Aluminis, ana. p. æq. V. G. ana. ℥. j ß. croci metallor., ſacchari fin., ana ℈ j ß. tutiæ ppt. ℈. j, & ſtent per menſem in digeſtione, poſtea philtrentur, & cum extremitate ſubtilis penicilli hac mixtura imbuti oculus leviter aſpergatur.

Quin & *Th. Bartholinus* pulverem naſalem pro oculis deſcribit modo ſequenti ℞. Tabaci optimi ℥. j majoranæ ʒ. ij. Euphraſiæ, ſem. fœniculi, ana. ʒ. j. Agaric. Trochiſc. ℈. j. miſce fiat pulv. ſubtiliſſimus.

Aquam ophthalmicam novam componit *Joh. Valentinus Willius*, & unguentum præparat pro oculorum affectibus optimum, de quibus lege Lector Amice, *Bonet. in tom.* 1. *med. Septentr. l.* 1. *ſect.* 22. *c.* 55. *&* 56.

Sequens collyrium in oculos inſtillandum commendat *Jo.*

Ferdin. Hertodt ſcilicet ℞. mucilag. ſemin. pſylii, cydonior. cum ℥q. roſar. & papav. deſtill. ana. ℥. j. album ovor. conquaſſat. a. v. Camphoræ, croci, ana. gr. vj. m.

Rapas denique ingeſtas oculis affectis adminiculari ſcribit *Abr. e Porta Leonis lib. de Auro Dialogo* 1.

ANIMADVERSIO XLII.

An cavenda ſit Venus in melancholia ?

MElancholiam ex multis poſſe oriri cauſis Medici docent, nam & ex amore, mœrore, obſtructionibus in viſceribus, poſſunt ſpiritus animales vitiari, unde torpidi facti, & obſcuri melancholiam introducere valent; quare an in hoc affectu à Venere ſit abſtinendum, ut perquiram, non poſſum quin de illa dicam quæ ab Amore ortum ducit; unde Poeta cecinit.

Crede mihi ſtulto nemo in Amore ſapit.

Quare ſi quis libidine flagret, nec cum Amaſia poſſit optatos extinguere rogos, hinc incidat in peſſimam hanc affectionem, ſtatim remedio *Hippocratis* utendum eſt *lib. de Virg. morbis*, qua de re poſtea *Clar. Willis in ſua Patholog. cap. de melanchol.* hunc morbum ſola curari Venere affirmat, una cum *Boneto* qui ſcribit, *Si quis melancholicus nec dum debilis in eſſentia redditus ſit, ſine dubio Veneris uſu juvamentum percipiet.* Quod eſſe verum fatetur *Sinibaldus in Geneantropeïa;* Et hoc demum in Antiocho Seleuci filio apparet, qui novercam, tam ardenter amavit, ut in ſævam, ac mortalem melancholiam prociderit; quæ ad conjunctionem cum matre tantum terminos agnovit.

ANI-

ANIMADVERSIO XLIII.

De mira cum teſtudinibus Antipathia.

NOtatu equidem digna narratio ſequens mihi viſa eſt, ut fortè videat Medicus orbis vim ſympathicam, & antipathicam inter homines, & belluas. Erat enim Monialis quædam Anno 1679. quæ febri duplici tertiana laborabat, cùm ingreſſus quadam die Medicus Monaſterium ad eam viſendam, ſtatim ac eum præſentem habuit horrere ægra incepit, ac contremiſcere, & ferè ſyncope affici; Diſceſſo autem Medico meliùs ſe habebat, ut ante; manè autem ſequenti reverſus Medicus; ipſa illum interrogavit, num ſcilicet externa die ſecum habuiſſet teſtudinem aliquam, ipſe ſtupidus ob hanc petitionem dixit ſe tunc ſecum portaſſe teſtudinem, quæ ab amico illi fuerat impertita; Tunc me non latet, inquit Monialis, cùm Dominat. veſtra ad me heri venit cur in tanta fuerim afflictione; tantam enim habeo averſionem ab Animalibus iſtis, ut teſtudinibus præſentibus ſemper horreſcam, & cauſam neſcio; quapropter liceat hic notare ſympathiam, & antipathiam inter animalia ſpeciei diverſæ, ut apparet etiam in hominibus, & canibus, felibus, equis &c. de quo apud *Liſerum*, & alios medicinæ curioſos obſervatores videre eſt.

ANIMADVERSIO XLIV.

An Vomitoria in Apoplexia conveniant?

EST quæſtio inter Practicos, an ſcilicet in Apoplexiæ paroxiſmo vomitus ſit excitandus; circa quod licet *Foreſtus*, *Platerus*, *Septalius*, *de le Boe Sylvius*, & alii aſſerant nullo pacto emetica in Apoplexiæ paroxyſmo eſſe adhibenda, quia dicunt ipſi cum Apoplectici motu ſint deſtituti, hinc eſt poſtea, quod

tam

tam ingentem conatum ſuſtinere nequeant, ideòque plus detrimenti, quam levaminis à vomitu acquirent: tamen, ſi cum *Clar. Frid. Hoffmanno* advertamus, moto ventriculo, neceſſariò in conſenſùm duci cerebrum, & conſimili vehementia vellicari, & concuti, hocque fieri ope communionis nervorum recurrentium, qui à cerebro orti ventriculi orificio inſeruntur, vomitum proculdubio excitandum eſſe pronunciabimus, quamobrem commotis ventriculi tunicis, neceſſariò quoque tota cerebri, ejuſque membranarum, nervorumque inibi exorientium œconomia contremiſcit, adeoque hac facta irritatione, ſpiritus animales, ad redintegrationem motus, & actionis ſuæ ſtimulantur, hocque *Avicenna* ipſe commendat, approbant *Aëtius*, *Paulus Ægineta*, *Schiffmannus*, *Wepferus*, *Willis*, *Carolus Piſo*, *&* *F. Dec. Kers comm. in Paul. Barbettam* quamvis ſcribat *Hoeferus in Hercul. med.* in Apoplexia medicum cavere debere à vomitoriis ob metum nocendi; qui planè evincitur à *Riverio* narrante de quodam nobili intra biennium ter ab Apoplexia liberato infuſo Croci metallorum, & *Petrus à Caſtro* plurimos ultrà ſpem ægrotantes deploratos ab Apoplexia emeticis tantùm liberaſſe affirmat; Advertendum tamen eſt, ſi omnes Thoracis, & Abdominis muſculi, vel affecti, vel reſoluti ſint, ſuſpectum ſemper eſſe vomitorium, & quod ſi Apoplexia laborantes, viribus non ſint benè induti, & ætas robuſta, nullo pacto ad emetica confugere debet medicus ob ignominiam, quam aquireret, ſi æger in ingenti conatu vitam amitteret.

ANIMADVERSIO XLV.

De venæ ſectione in Diarrhæa.

PRactici quærunt num in diarrhæa venæ ſectio conveniat? qua de re *Famatiſſ.* in Arte *Botallus* fuſè de hac quæſtione diſſerens, & affirmativè adſtruens plurimiſque exemplis confirmans *lib. de curatione per ſang. miſſion. c.* 4. aſſerit optimum eſſe in diarrhæa ſanguinem mittere, & rationes quæ hoc poſſunt

movere

movere meo judicio ſunt, quia præſertim ubi bilis effera per alvum educitur, tunc cum calidæ, & ſiccæ jecoris intemperiei ſignum ſit, & ad hoc venæ ſectio conducat, ut monet *Enchirid. med. Pract.*, & quia ferè ſemper diarrhœæ conjungitur febris, ideòque optimam eſſe venæ ſectionem aſſeritur, quod mutatis verbis confirmat *Rolfincius*, & *Riverius* Poſteà verò fit cum venæ ſectione ab inteſtinis ſine periculo revulſio, & hac cauſa humor ad inteſtina confluens expurgatur, quod patefecit *Galenus* dicendo in omnibus fluxionibus corpus eſſe evacuandum, ſcilicet per ſanguinis miſſionem quæ contra diſtinguitur à purgatione, nam ipſe *Galenus* ibi diceret purgandum; neque obſtat quod ipſe dicit alio in loco videlicet, quod fluente alvo ſanguinem non detrahes, nam ibi loquitur de febrium accidentibus inter quæ fluxus alvi eſt, nam in iſtis, vel eſt critica, vel ſymptomatica diarrhœa, & tunc non irritanda, ſed extra febres alia eſt ratio, cùm non ſit neceſſe id fieri critico modo, & de hoc plura apud *Zacutum de med. princip. hiſtor. l. 2. hiſt.* 81. & *Theoph. Bonet. indic. med. pract. l.* 4. *cap. de Diarrhœa.*

ANIMADVERSIO XLVI.

An in læſa ventriculi functione acida deceant?

PRimaria Ventriculi functio Chyloſis eſt, in hoc enim Viſcere cibus primum futuri alimenti rudimentum ſumit; unde poſteà ventriculus publicum alimenti corporis promptuarium appellatur; quod actio iſtius viſceris lædatur patet in Praxi; verùm quod ſpectat ad morbi iſtius fugam primò ex acidis eſt ſperandum; cùm enim certum ſit ſtomachi actionem ope aciditatis alicujus naturalis fieri, conſequens eſt ferè ſemper ab acido hoc vitiato depravari, adeo ut totam curationem in hoc meo judicio, conſiſtere judico, videlicet quod reſtituatur aciditas illa in bonam craſim, cum alia appropriata aciditate; nam quidnam magis amicum corpori humano eſt, ac acidum? omnes enim actiones editæ in corpore nonnè ab acidis fiunt fermentis?

ergo cùm erint vitiatæ functiones, adjuvabuntur acidum adjuvando, quod tamen acidum ſit amicum Naturæ; quædam enim ſunt acida naturæ infenſa. Præſtabit igitur ſi concoctio lædatur acidum corpori amicum ſuppeditare, ut fatetur *de le boë Sylvius Prax. l. 1. c. 7. & Sennertus, Rolfincius, Bonetus, & Heurnius*, Acida autem poſſunt eſſe V. G. ſyrupus ex Citri aciditate, Conſerva de Citro, ſpiritus ſalis Ammoniaci, Vitrioli, & alia hujuſmodi convenienti doſi adhibita.

ANIMADVERSIO XLVII.

De ſiti morboſa.

INter ſævas morborum phalanges non infimum obtinet locum ſitis nimia quæ nihil aliud eſt quam potûs nimia appetentia, cùm ſcilicet extrà tempus cibi capiendi, quo alias naturalis ſitis oboriri ſolet, ſitis hominem urget, ut & majorem potus copiam, & frequenter eam appetat, & quidem plerumque cum febri, aliquando ſine, ſymptoma hoc hominem moleſtare conatur. Tripliciter verò poteſt ſitis eſſe morboſa, vel imminutè, vel depravatè, vel abolitè; imminuitur enim non raròab inſipido, ac dulci humore ventriculi tunicas irrigante, vel ab humiditate nimia in corpore univerſo abundante, unde fit, ut partes potulentam materiam à ventriculo non trahant; Aboletur autem cùm in morbis acutis, propter interceptionem primi ſenſorii, mens ægrotat, aut quia concidit omninò naturalis virtus, extincto propè calore naturali, unde *Hippocrates* ait *in cauſa ſitifera non ſitire malum*; Sed hîc de depravata tantum velut frequentiori agam, quæ dupliciter ſumi poteſt, vel prout ad varia potulentorum genera fertur, vel potus quantitatem, & frequentiam reſpicit; ea ſitis quæ potus abſurda reſpicit ad picam mandatur; quando nimirum ægri acetum, aquam ſalſam, appetunt.

Hujus affectionis cauſa proxima eſt defectus humidi, & ſiccitas ventriculi, aliarumque partium, quæ ſtomacho penuriam ſuam communicant; ea verò ſiccitas oritur ab omnibus iis, quæ retor-

retorridam humiditatem ſtomachi, totiuſque corporis abſumere & exſiccare valent; ſitis autem hæc alia eſt idiopathica, alia ſympathica, prima eſt cùm innata ventriculi humiditas exhauritur à calido, ſympathica autem fit è conſenſu corporis, vel aliquarum partium, ut in febribus videre eſt; Cauſæ verò externæ ſunt omnia ea, quæ valent calefacere, & exſiccare, ut aër valdè calidus, continua ad Solem & ignem mora, uſus ſalſorum ciborum, Aromatumque; nimia corporis, tandem evacuatio præcipuè per purgantia medicamenta; undè quotidiè videmus eos, qui cathartica ſumunt tota die valdè ſitire. Hinc *Hermetici* ſitim morboſam à ſpiritibus quibuſdam ſitibundis, ex impuritatibus ſulphureis genitis exoriri autumant; Iſtius affectus diagnoſtica ſigna ſunt facilè deſumenda ab ægrorum relatione; Quod autem ad prognoſim attinet ſciendum eſt, ſitim illam, quæ à cauſis procatarcticis excitatur, eſſe tutiſſimam, quæ autem ab internis oritur cauſis periculoſam, & ſic ſitis poſtea quæ febres comitatur faciliter curatur, ceſſante enim febre, ſitis ceſſat; ſitis denique immodica refererente *Sennerto* in corpore magnam ſiccitatem & calorem ſummum indicans, maximum periculum arguit, de quò plura apud *Clar. Riverium*, *Capivaccium*, *Burnetum Altomarum* aliosque.

ANIMADVERSIO XLVIII.

An nauſea vomitu ſedetur?

AD nauſeam debellandam multa à Medicis proponuntur remedia, ſed præ cæteris nonnulli cum *Hippocrate lib. de loc.* aiunt unicum eſſe vomitus præſidium vomitum, ita ut quemadmodum fluxus fluxu curatur; ita pariter vomitus vomitu curetur, adeò ut *Clar. Valeſius Epid. lib.* 2. vomitum eſſe provocandum emetico mediocri ſtatuat; quale eſt oleum tepens non ſolum; ſed iis, quæ valida detergendi, & diſſolvendi glutinoſum humorem vi prædita ſunt, & talis eſt gilla Paracelſi, ſeu vitriolum album præparatum, & hoc confirmant *Riverius*, *Vale-*

Valeriola, aliique; Vomitus autem emeticis curatur ſi vires valeant, quia eluuntur, ut dixi ea, quæ vomitus cauſa ſunt, ſic miles referente *Frid. Hofmanno* ad imitationem *Hor. Augenii*, ut obſervat *Bonetus* correptus febri cum ſummo vomitu, ſumpta ſemidrachma ſalis Martis in Cereviſia moderate frigida, à quo vitioſorum humorum ſaburram rejecit, & alia aſſumpta benè retinuit, ut confirmaretur vomitum ipſo tolli vomitu: Notandum autem vomitoria in hoc caſu debere eſſe ſimul adſtringentia, & ventriculum roborantia; de quo plura apud *Bonettum Mercur. compital.*

ANIMADVERSIO XLIX.

De Muliere Barbata.

CLar. *Th. Bartholinus centur. 3. epiſt. med. 94.* necnon *Welſchius*, *Schroockius*, *Panarollus*, *Rhodius*, & alii narrant de fœminis Barba præditis, de quo ne meæ obſervationes ſpoliatæ ſint afferam de una muliere barbata Ceſenæ à me viſa Anno 1684. Menſe Maij nomine Antonia, quæ barba ſat ſufficienti à natura donata erat, & faſſa eſt, ſe virorum more quavis ferè hebdomada illam ſcindere; interrogata vero de menſtruis, dixit, ſe nunquam menſes paſſam fuiſſe.

SCHOLION. Licet piloſa hæc in maxillis fœminarum excreſcentia à variis cauſis oriri queat, tamen menſtruorum ſuppreſſio communior cauſa adduci ſolet à *Clar. Schroockio*; Cæterum pilis natura ubique ipſam etiam fœminarum cutem inſtruit, inque poris ubique pilos deprehendi monuit *Sachſius*. Præter autem exemplum ſuprà allatum in Animadverſione, ſimilia paſſim occurrunt apud *Joh. Anton. Lindanum Harsdorferum Theat. com. cent. 1. hiſt. 57. Jo: Riolanum lib. de Pilis*, atque inprimis legi meretur diſputatio medica *D. Jacobi Burlini*, de fœmina ex ſuppreſſione menſium barbata, curationem quoque illius exponens.

ANIMADVERSIO L.

De fœtidis medicamentis in Hyſterica paſſione.

FOetida nonnulla medicamentorum nomine inſigniri, eſt in confeſſo apud omnes; undè *Frid. Hofmannus* ſuccinum in Apoplexia, lethargo, convenire ſcribit, & caſtoreum in ſpaſmis commendat; An autem fœtida in hyſterico affectu valeant videndum eſt. *Primeroſius*, & *à Caſtro* Medici ſua ætate Clariſſimi omnia graveolentia commendant naribus admota in hoc affectu, quia fœtida cum ſint utero inimica illum vehementer afficiunt, concitant, & repellunt, necnon vapores diſcutiunt, in iis autem ſunt Gagates, & ejus oleum, à quo tamen cavendum ſi mulier ſit epilepſiæ obnoxia; *Silvius de le Boë* ſpiritum ſalis ammoniaci in vitro anguſti orificii poſitum, naribus admotum juvare ſcribit, dicit enim acri ipſius odore à ſuffocatione revocari; *Frider. Hofmannus* ſcribit optimum eſſe caſtoreum, quod non tantum naribus appoſitum, ſed per os aliquo modo ſumptum ſit: Notandum hîc autem quod ſicut fœtida naribus admota uterum, ut dixi repellunt, ita è contra odorata pudendis appoſita uterum retrahunt, ac tetros vapores revellunt, hoc docente *citat. Primeroſio*. Hinc *Sennertus* ait pudendis ſuaveolentia admovenda eſſe, & naribus graveolentia, uterus enim fœtida averſatur, qualia ſunt inquit Plumæ avum, & in primis Perdicum combuſtæ, cornua combuſta, galbanum, &c. hujuſmodi, quin diſcutit quoque exhalationem illam malignam nervoſo generi infeſtam ruta naribus admota; imprimis verò utiles ſunt, & à pluribus commendantur, tanquam præſentaneum remedium; & quod momento quaſi mulieres ſuffocatas revocet: (ſunt verba *Sennerti*) verrucæ quæ tibiis equorum adnaſcuntur, ſi in furno ſiccentur, & in pulverem redigantur, & fumus ex eo carbonibus injecto naribus excipiatur.

ANIMADVERSIO LI.

An in obſtructo liene, ſplen poſſit eximi?

INter ea quæ lienis obſtructionem tollunt, unum à vulgo prædicatur remedium, quod ſi ſuccederet ſanè unicum eſſet. Remedium eſt extractio ſplenis, idcirco cum ſentina morbi ejiceretur è corpore, eliminaretur pariter prava ſymptomatum phalanx, quæ obſtructiones lienis ſequi ſemper videtur. Verum neſcio quis unquam tam crudelis, ac inſcius fuerit, qui primus iſtam invenerit operationem; crudelis inquam, quia vivos homines ſecuit, inſcius autem quia curare deſignaverat unam affectionem mille ſuppeditando, ſcilicet, vulnus, hæmorhagiam, dolorem, & unius partis evulſionem, quæ pars, quantum ſit neceſſaria, noſcunt Anatomici fatentes lienem acidum in ſanguine depurare ſi *Bartholino* credimus: Aſt hic inſurgit *Plinius*, qui *l.* 11. *c.* 37. ait; *uni viro conſtare lienem non eſſe, & ipſum inuri laborantibus, & animalia vivere;* Unde poſtea vulgus *Plinii* mendacia ſecutus curſores magnos, ac celebres eſſe ſine ſplene deprædicat; Hinc *Fioravantus* in medio diſputationis judex ac vindicator vulgi, aſſerit ſe è vivo homine lienem extraxiſſe; quod poſtea experimentum anſam dat admirandi *Deuſingio*, omnibuſque Practicis, nam nobiles ſplenis uſus hoc diſſuadent, & metus hæmorrhagiæ abundat, ratione venarum, & Arteriarum, & commercii lienis cum partibus vicinis, ut ſine magno damno lienem eximi non poſſe videatur, hoc docente *Th. Bartholino cent.* 4. *hiſt.* 51. Verum, ut clariùs loquar, dico *Plinium*, & *Fioravantum* alioſque ſimilis farinæ ſomniatos eſſe hanc operationem, non verò realiter expertos; iſtæ enim nugæ futiles ſunt & vetulis tantum concedendæ tanquam fabulæ; & de facto, quis *Plinium*? quis *Fioravantum* in Medicis ſcholis tutatur? quod nomen? quam famam apud Practicos acquiſiere? nonnè *Fioravantum* qui legit, rupto ſilentio in riſum incidet ob ſummam nugarum inertiarumque copiam, ergo nullam debemus fidem nec *Plinio*, nec *Fioravanto*,

to, nec aliis; nam ratio eſt clara, quod lien eſt pars neceſſaria, adeoque non eximenda; quid plura; ex ipſo *Fioravanto* audite errorem in iſtius functionis hiſtoria; fatetur iſte lienem extraxiſſe pendentem ℔. xxxij. Aſt quis non videt, lienem tam eximium in ſiniſtra corporis parte ſtare impoſſibile eſſe. Scio autem modum novum in Anglia inventum fuiſſe, è canibus extrahendi lienem, cui operationi calculum etiam ſuum ſubjicit *Clar. Malpighius*, cum *G. Entio Apol. pagin.* 106. & *Job. Bohnio Circ. Anatom.* Unde admittere hanc functionem in canibus videtur neceſſe, ſed rarò adeo, ut ex 100. canibus, unus ſalvus evadat, & ratio ſalutis canis ſit, ut *Diemerbrockius* docet, quod canis pancreas habet valdè longum, & per conſequens poteſt faciliùs ſubire lienis munus, & periculo occurrere; ſed in homine, cùm pancreas ſit minus, & periculum certum, nunquam eſt exercenda hæc operatio, nam ſi canis moritur, nullum generi humano inſurgit præjudicium, ſed enecato homine, humano generi præjudicatur; Unde patet lienem extrahi non poſſe; meliùs eſt enim cum obſtructo liene vivere, quam ſine ſplene obſtructo mori.

ANIMADVERSIO LII.

De purgato corpore ſolo odore medicamentorum.

PRæſtantiſſ. *Philipp. Salmuth. obſ.* 8. *cent.* 3. ſua conſueta eruditione de quodam Medico Lipſienſi narrat, qui cùm purgare corpus vellet ſeplaſiariam ingreſſus, quando nimirum electuaria purgantia & ſyrupi parabantur, illis olfactis domum reverſus intra ſex horas non aliter ac ſi pharmacum purgans aſſumpſiſſet multoties per Alvum purgabatur; cui ſimilis ſequens eſt obſervatio Erat Famulus unius Monaſterii Ferrariæ, qui una veſperi ad capienda Conventus Ægrotorum pharmaca à Medico præſcripta ivit; nec cùm eſſent compoſita, attentè ſuprà compoſitionem ſtetit expectandi ergo; totaque nocte per ſeceſſum excrevit bilioſos humores, veluti ſi purgans medicamen ſumpſiſſet; de quo plura apud *Th. Burnetum Theſ. Med. Pract.*

ANIMADVERSIO LIII.

De Purgantibus in Vertigine.

VErtiginoſos purgandos eſſe probatur ex 4. *Aphoriſm. Hippocratis & lib. de Affect.* dùm ait, *ſi autem dolor, & vertigo in caput inciderint poſſunt purgationes adhiberi*, quod etiam confirmatur ab ipſo *Hippocrate de veratr. uſu.* Nam ſi in vertigine ſpiritus animales circumferantur, & in fugam capti ante viſum omnia circumverti ægroto deponant, nonniſi per purgationem juvabuntur; hæc enim fermenta ſtomachi & inteſtinorum corrigit, ut poſtea melior evadens chylus, ſanguis pariter melior generetur, à quo denique ſpirituum animalium vitium corrigendo meliores ſpiritus, nec illius præternaturalis motus participes conſtruantur; quod clarè videtur docuiſſe *Theophraſt. in lib. de vertigin. & Alexander. 2. problemat. & Riverius* hoc dictavit dicendo: *neque omittatur pulvis digeſtivus, quia ventriculi imbecillitas etiam idiopathica ad hujus morbi generationem concurrit;* qua de re poſteà *Clar. Franc. Pona*, Pilulas de Agarico optimas eſſe in hac debellanda affectione determinat, & narrat *Clar. Hoſmannus* ſe noviſſe quandam mulierem vertiginoſam quæ de tertio in tertium diem ℥. iij. ſyrupi roſarum ſolutivi ſumebat, & tali modo integrè a Scotomia liberata fuit; quod quoque confirmat *Walæus in method. med.* quantum enim proſit purgans medicamen non tantùm in hoc morbo, verùm & in aliis, quiſque videre poteſt *in Mercurio compit. Th.Boneti l.* 19 ubi de purgantibus medicamentis tractatur.

ANIMADVERSIO LIV.

De Lienis magnitudine ferè incredibili.

NOnnullos fuiſſe, qui Lienem ſupra modum ingentem habebant teſtantur Medicorum hiſtoriæ, & præſertim *Clar.*

Helwi-

Helwigius, *&* *Schroockius*, quibus modò me pariter ſubſcribo; Vidi enim anno 1685. in publico Ferrarienſi Anatomico Theatro cujuſdam militis cadaver, in quo inventus fuit Lien eximiæ magnitudinis, adeò ut nobis voluntas venit videre pondus iſtius viſceris; & deteximus ſplenem ad ℔. viij. ponderare; aperto autem viſcere invenimus optimæ conditionis, atque ſubſtantiæ ſatis bonæ, quod non paucam in nobis peperit admirationem, de quo plura apud *Lindanum*, *Veſalium*, *Cabrolium*, *Columbum* & alios.

ANIMADVERSIO LV.

De medicamentis extrinſecis in convulſione.

OMnes, quos adhuc legi Practicos, uno propemodum corde externa medicamenta V. G. linimenta, olea, &c. in convulſione tradunt. Sic enim *Doct. Maſſarias*, *Pract. l.* 1. Oleum ex ſemine lini, & amygdalarum dulcium commendat; *Sennertus* Oleum terebinthinæ, lumbricorum terreſtrium, & humanam pinguedinem juvare ſcribit; *Riverius* oleum ſalviæ, ceræ, nucis moſchatæ, & unguentum de althæa, optimum eſſe in praxi obſervat, ut & faciunt *Mercurialis*, *Willis*, *R. P. Chriſtinus*, *Hofmannus*, *Wedelius*, & alii; cùm enim partes nervoſæ in hoc morbo afficiantur, neceſſarium videtur nervoſam œconomiam anodynis medicamentis reficere, ac conſolari; ideòque narrat *Pareus* ſe emplaſtro, ab ipſo in ſuis ſcriptis deſcripto, à convulſione Carolum IX. Galliarum Regem liberaſſe; quod confirmat *Riverius in obſerv. communic.* narrando de Adoleſcenti quodam, à convulſione liberato ope linimenti ibi deſcripti; necnon fatetur hoc quoque *Petrus Bayrus Pract. l. 2. c.* 20. ſcribendo de Illuſtr. Ludovico Principe Pedemontii optimè curato à convulſione, ſola olei violacei decenter calidi ad partem capitis poſticam, & collum inunctione; Undè facilè ex dictis liquet externa medicamenta V. G. olea linimenta maximè facere ad convulſionis curam.

ANIMADVERSIO LVI.

De Venæ ſectione in Teneſmo.

CUm Teneſmus ſit affectio cum tenſione, pondere, aſpero dolore, quibus alvi ima pars infeſtatur, quæ omnia pendent ex abraſione in Recto inteſtino ab acribus materiis excitata; Occurrendum eſt primò per univerſalia præcepta; inter quæ primò occurrit ſanguinis miſſio, quæ haud eſt omittenda, ſed confeſtim celebranda, nam medicæ intentiones in hoc affectu ſunt plenitudinem auferre, Jecoris fervorem compeſcecere, dolorem inteſtini Recti mitigare, ejus inflamationem præſentem delere, imminentem inhibere, abraſionem & ulcus ſanare, ac alia prava ſymptomata hanc affectionem concommitantia corrigere: Cùm autem venæ ſectio has omnes intentiones expleat, (poteſt enim humorum plenitudinem evacuando dimovere, Jecur, & partes alias eventillando refrigerare, doloribus, inflammationi, & ulceri à parte affecta retrahendo præſto eſſe, febremque refrigerando remittere,) igitur ab hoc præſidii genere non eſt abſtinendum, hoc etiam docente *Clar. Lælio à Fonte conſult.* 71. Verùm nonnulli fuerunt Medici putantes venam non eſſe ſecandam illis quibus fluit Alvus, & alii qui objiciendo dixere quod de hoc præſidio mentio non fiat à *Galeno.* Ideò primis reſpondendum eſt, Canonem ſupradictum tunc eſſe ſervandum cùm Alvus vehementer fluit, hoc verò in Teneſmo non ſuccedit; Ad ſecundos autem qui dicunt *Galenum* de hoc nullam feciſſe mentionem, reſpondendum, quod Argumenta à parte negativa non concludunt, ideòque licet *Galenus* hoc non ſcribat, tamen agendum eſt; de quo plura apud *cit. à Fonte, &* *Bonetum Merc. Compit. l.* 17. *c.* 1. *Portiumque* & alios.

ANIMADVERSIO LVII.

De Vomitu in Paralyſi.

Cùm nervoſæ partes præcipuè in Paralyſi afficiantur, ideò optimum videtur vomitum excitare, & Ventriculo motum inferre, ut materia nervis impacta ipſoſque lædens diſcutiatur; nam quanta inter nervos, & Ventriculum ſit connexio clarè apparet ex nervis Ventriculi orificio inſertis; ideoque *Doct. Th. Willis Patholog. p. 2. Cap. de Paralyſ.* Vomitoria juvare ſcribit, fundatus ſuper hoc, quod ait *Fernelius* nempè *ab inferioribus vomitio evellit, & conſecutione caput, reliquumque corpus levat;* quod etiam confirmat *Sennertus*, & *Bonetus*; Unde poſteà mirum non eſt ſi *Th. Burnetus Theſ. med. Pract. lib. 14. ſect. 5.* & *Joh Crato Conſ. 50. l. 6.* excitationem Vomitus deprædicant in Paralyſi, ita ut plures formulas, & modos quibus ægri vomant, docent; Hinc *Walæus* in hoc morbo infuſionem Antimonii, ut facit *Heurnius*, commendat; Advertendum eſt tamen, cum *Riolano*, ne faciamus, ut multi imperiti, qui in penè exolutis viribus, vomitoriis utuntur, quibus ſcilicet, quod ſupereſt vitæ, ſuffocant, & mortem citiùs accelerant.

ANIMADVERSIO LVIII.

De Sanguine, ejuſque uſu, & circulatione.

SAnguinem ex chyloſa ſubſtantia fieri in corde, licet contrarium ſentiat *P. Minius*, ab eo tempore quo è Iecore defuncto ſuos delineavit triumphos cor, uſque adhuc certum eſt apud omnes, de quo apud *Clar. Georg. Segerum in ſuo Cordis Triumpho*; Quid autem ſit ſanguis, quænam ejus conſtitutiva principia, uſus, & circulatio, non tam facilè innoteſcit, & licet multi Clariſſ. Viri in hac re tam rectè ſe geſſerint, ut nihil ampliùs exoptari

tari queat, tamen cùm his noſtris diebus reperiatur quoque aliquis adeò pertinax *Galeni* ſectator ut unum defendere errorem mille erroribus non erubeſcat, ad ejus evincendam ignaviam, & ut clariùs eniteat doctrinarum modernarum veritas, & maximè circa ſanguinis circulum, uſum, & quidditatem, aliqua in Animadverſione præſenti de cruore obſervare diſpoſui.

Sanguis itaque definitur ſuccus rubicundus ex chylo ad totius corporis nutritionem, & vitalis flammæ pabulum in corde confectus: ex quibus autem ejus maſſa conflata ſit, ut planè innnoteſcat, obſervanda primò eſt Galenicorum ſententia de quatuor humoribus ſanguineam maſſam conſtituentibus, elementis correſpondentibus, ut poſtea clarè de eo ex quo cruor conflatur veniamus in cognitionem: Dicebant enim Veteres cruoris maſſam ex quatuor humoribus, nimirùm *Sanguine*, *Bile*, *Pituita*, *&* *Melancholia* conſtare; & pro hujus, vel illius humoris eminentia diverſas temperies formari, ac propter eorum fervores, exorbitantias, & putredines, ferè omnes morbos oriri: Sanguinem poſteà qualitate calida, & humida donari, aërique aſſimilari; Bilem calidam, & ſiccam exiſtere, atque ignis elemento ſimilem eſſe. Pituitam, ſanguinis ſcilicet crudiorem partem, frigidam, & humidam, ac inſipidam, aquæ naturam imitari; tandemque melancholiam, id eſt bilem atram, craſſiorem videlicet ſanguinis ipſius partem, frigidam, & ſiccam, terræ elemento correſpondentem, nigro præditam colore eſſe volebant, iſtoſque humores ex coloribus ſaguinis extracti arguebant; ex parte enim rubra ſanguinem, ex inferiori & atra melancholiam, ex alba pituitam, ex viridi, & flava bilem indicabant; ſed quantùm erraverint oſtendit diverſitas coloris in ſanguine extracto, & diverſimodè aëri expoſito; ex aëre enim illæ colorum varietates proveniunt, ut patet in quotidianis experimentis: nihil aliud enim in ſanguine extracto videtur, quàm purpurea maſſa cum ſero; neque credendum eſt quod Natura ſit tam facilis ad oſtendenda ſanguinis cum colorum varietate principia, & ad demonſtrandam ultimam reſolutionem; qua mediante ſolùm id ex quo aliquid fit dignoſcitur per ſolam aëris expoſitionem; ſanguis enim non ex humo-

ribus

ribus illis imaginariis à Galenicis decantatis, ſed ex particulis ſalinis, ſulphureis, mercurialibuſque conflatur, ſulphur enim & ſal in fuſione concurrunt ad ſanguinis maſſam, ille nonnihil ſubpinguis, & oleoſus, ac ſubviſcidus, hic ab omni pinguedine prosus alienus, ac proindè in diſſolutione ſine jactura, & tumultu benè miſceri, & uniri non poſſunt, niſi intercedat Mercurius, utriuſque naturæ adeò familiaris, ut cum eo, & in eo exactè miſceri queat.

Quod verò cruor ex his conſtet principiis facilè evinci poteſt, nam ſulphureas ineſſe particulas ſat notum faciunt alimenta oleoſa, dulcia, pinguia, & ſulphurea quibus utimur, ex quibus per coctiones viſcerum ſulphureæ particulæ ſanguini immiſcentur; hoc etiam patet, nam ex ſanguine plurimas corporis partes pingues, & ſulphureas generari videtur, quæ mollitiem, oleoſitatem, ac teneritudinem ſuam habent à ſulphure; ſalem ineſſe quoque facilè liquet ex ſalſis alimentis quæ ſuſcipimus, ex ſale ope chymica à ſanguine extracto, & ex ſale urinæ inhærenti; *Tho. Willis* terram addit ſanguineis principiis, ſed quia terra, cùm nihil aliud ſit, quàm ſalis craſſi, & crudi difficiliterque reſolubilis reſiduum, hæc pro peculiari principio habenda non eſt; nam & ipſa ope chymica inſtar alterius ſalis diſſolvi poteſt; undè *Helmontius* poſteà omne caput mortuum ope ſalis circulati *Paracelſi* in aquam abire docet; hoc confirmante *D. vander Becke*, *Frid. Hofmanno*; & aliis: ex dictis igitur facilè liquet maſſam ſanguinis ex humoribus tanquam ex principiis intrinſecis non eſſe conſtitutam, licet concedi poſſit bilem, alioſque humores cum cruore confundi poſſe, & cum eo circulare; ſed per hoc tamen non ſequitur, ipſos eſſe de eſſentia ſanguinis, ac ejuſdem conſtitutivos; de quo plura apud *Philoſ. vet. nov. tom. 6.*

Ad motum autem ſanguinis quod attinet primò advertendum eſt, cruorem præter motum circularem etiam motu fermentativo & inteſtino donari, quem motum dari negant *Charleton. & Bohnius*. Cùm enim, uti vidimus ſuprà *de ſpiritibus*, ſuis ſcateat ſpiritibus cruor, hinc eſt poſteà quod iſte, aliorum mixtorum ſalino-ſulphureorum ſpiritibus multis abundantium

adinſtar, fermenteſcat; ut vinum, & lac; & motu inteſtino à propriiſmet particulis facto donetur, quem motum ſeu continuam fermentationem ſanguinis rectè explicat *Clar. Th. Willis de Febrib. c. 1.*

Non tantùm autem motu inteſtino ſanguis gaudet, ſed circulari, qui modò inquirendus eſt. Poſtquam igitur in dextro cordis ſinu ſanguis per venam cavam devenerit, tranſit ad pulmones per pulmonalem arteriam, inde per pulmones circulatus tranſit per venam pulmonalem in ſiniſtrum cordis ſinum ubi vitalis adeſt ignis, ubique ſanguinis ipſius difflagratio, ſpirituum vitalium generatio, ac chyli in cruorem mutatio fiunt; è ſiniſtro cordis ventriculo difflagratus, & ſpirituizatus ad arteriam magnam ſanguis demittitur ab arteria magna ad medias, tandemque per minimas arterias ad omnes corporis partes, ad earum nutritionem, vitæque conſervationem, ut infrà videbimus, cùm uſum ſanguinis inveſtigabimus; enutritis partibus, reliquus ſanguis in venas capillares, quæ per ſubſtantiam partium diſperſæ ſunt, & à partibus ſuum noſcunt principium, tranſit; ab iſtis ſurſum vehitur ad venas majores, & à majoribus tandem in maximas, portam ſcilicet, & cavam tranſmittitur, ut denuò pro circulo in cor intromittatur Iter hoc verò ſanguinis non placebat Antiquis (præter *Hippocratem* qui ſi *Lindano* credimus, apertè circulum ſanguinis agnovit) ſtatuentibus, chylum per meſeraïcas venas ad Hepar tranſmitti, quæ opinio quantùm erronea ſit, jam patet; ſolummodò ſufficiat ne ab inſtituto noſtro pedem dimoveamus, motum circularem ſupra aſſignatum, aliquibus rationibus, experimentis, & auctoritatibus etiam *Hippocratis*, *Galeni*, *&* *Ariſtotelis*, oſtendere: Primò neceſſaria adeò eſt ſanguinis circulatio; nam ſanguis, ut nutriat, vim vitalem, & nutritivam in corde recipit, quam ad ambitum corporis delatus paulatim amittit, & ideò ut eandem iterùm recipiat per venas ad cor refluere debet, ut indè rurſus per arterias ad partes corporis nutriendas deferatur.

Ulteriùs ſanguis ſi non circularet, contra ſui conſervationem ſtagnaret; quod ſi faceret magna caperet vitia,

Nam

Nam vitium capiunt ni moveantur aquæ.

Et ex *Hippocrate 2. de morb.* habetur, quod dum ſanguis ſtat toti corpori torporem inducit, quare moveri debet, qui motus à *citat. Hippocrate lib. de morb. ſacr.* indicatur dicendo: *Sanguinem ſurſum deorſumque moveri*; Hîc autem eſt pro nobis *Ariſtoteles* dum *lib. de Juvent. & ſeneƈt. cap. ult.* dixit, *neceſſe eſſe ſanguinem continuò effluere ad cor propter perpetuæ motionis continuationem*; Iterùm in eodem libro c. 9. *Sanguinem natum eſſe, ut ſurſum, & deorſum moveatur*; & etiam *in problematib.* ſcripſit: *Vitam hominis circulum eſſe*; Hîc faciunt etiam *Galeni* Placita, & primo *de Natur. facultat. ult.* Ait: *venarum cum Arteriis mutuum conſenſum eſſe, quoniam ſi aperiantur arteriæ exinaniuntur venæ*; & ulterius ipſe *Galenus in 6. epid.* dicit *quod alimentum à ſumma, & extrema corporis parte undè effluxit, rurſus refluit*; Unde *Primeroſius* his *Galeni* dictis obſervatis, licet acerrimus circulationis ſanguinis hoſtis talia profert: *Si Galeni placitis adhærere velimus, opinio de circulatione ſanguinis non abſurda videretur*; de quo plura apud *Raym. Joh. Fortis Conſ. 22. cent. 2. tom. 2.* Aſt extrà rem non erit inſuper hic uno experimento ſanguinis circulum fulcire, ut poſtmodum Auctoritatibus *Hippocratis*, *Ariſtotelis & Galeni*, necnon rationibus, & experimento armata ſanguinis circulatio ſuos ſuper hoſtes proprium nomen ulciſci poſſit; Experimentum quidem, quod quavis die præ manibus tenemus in venæſectionis miniſterio; in hoc enim inſtituendo ligatur Brachium, V. G., ſi in Brachio fiat, ſuprà locum ſecandum, atque hinc ſtatim inferior intumeſcit vena, quia ſanguis per arterias verſus extremas partes impulſus per venas ſurſum redit, & aſcendit, cùmque ad ligaturam pervenerit, ſiſtit, unde vena intumeſcit infrà ligaturam, & ſanguis aſcendere haud valens per inflictum vulnuſculum egreditur; ſoluta ligatura, ſtatim deſinit ejus effluxio, quia tunc per tubulum venæ, ſanguis ad ſuperiora permeat; Ulteriùs ſi ligatura nimis arcta ſit, & ſtrictior ac par eſt, tunc nihil ſanguinis è vulnere proſilit, quia ligatura profunda, arteriam ſanguinem parti & venæ concedentem,

dentem,

dentem, impedit, & occludit; ſignum evidens ſanguinem deorſum ab Arteriis, ſurſumque à Venis deferri, ad circulum peragendum, modo ſupra dicto, de quo plura apud *Harvæum*, *A. le Grand*, *Entium*, *Highmorum*, *Deuſingium*, *Barbettam*, alioſque qui ex profeſſo integros tractatus de cruoris circulatione ediderunt.

Breviter igitur ſanguinis circulo oſtenſo, ad uſum cruoris inveſtigandum calamum vertamus, ut ſic promiſſis facta reſpondeant. Sanguinis autem uſus duplex eſt, primus, ut inſerviat pro pabulo flammæ vitalis in cordis ſacrario micantis; ſecundus ut omnes corporis partes nutriat, de quibus ſingillatim dicendum; A ſanguinis ideò ſulphureis particulis continuò, & nitroſis ab aëre mutuatis ignis vitalis pabulum habetur, undè vitam ipſam flammæ ſpeciem quandam eſſe oſtendit. *Thom. Willis exercit. de ſang. incaleſcent.* quod autem præter continuum ſanguinis influxum flammæ pabulum ab aëre præbeatur, evincitur pluribus experimentis *ab Illuſtriſſ. Viro D. Robert. Boyle*; lucerna enim accenſa globo vitreo capaci immiſſa, & vaſe obturato, paulò temporis intervallo extingui videtur, & hoc ſanè ob aërem denegatum; undè à pari arguo lucem vitalem extingui poſſe ſi aëreo pabulo deſtituatur, ut in ſuffocatis videre eſt; non tantum enim flamma vitalis per aſſiduam ſanguinis circulationem durat, & vivit, vel hac dempta perit, ſed etiam quouſque aëris influxum habet, vita gaudet, & negato aërearum particularum nitroſarum ingreſſu extinguitur, de quo plura apud *cit. Boyle*, *de le Boë Sylvium*, *&* *Williſium.* Ulteriùs ſanguinis uſus alter eſt, ut vidimus ſuprà, partes omnes nutrire, ac vitali nectare, cruore ſcilicet ſaturare, quod præſtat ſe per arterias ad partes transferendo in quas delatus ope ſpirituum animalium per nervos perreptantium parteſque ad nutritionem diſponentium, ipſas nutrit partes, & vivificat, ne vita ceſſet; ſanguinem ideo communem eſſe corporis alimentum docebat *Ariſtoteles* & rectè, hoc enim mediante omnes partes corporis ſaturantur; Hîc verò controvertitur inter Phyſicos, an ſanguis omnes nutriat partes vel tantùm aliquas, reliquas nutriente ſucco nerveo, de quo aliqua præmittamus, ne tam inſignem

quæ-

quæſtionem ſicco pede tranſeamus; *Gliſſonius* enim, & *Entius* cum *Charletono*, & aliis aiunt ſuccum quendam per nervos deferri, vel ut multi, à chylo ſuppeditatum, vel ut alii à ſanguine in Cerebro confectum, vel ut *Charletonus* ſtatuens, ſextum par nervorum ex glandulis meſenterii ſuccum alimentarem haurire, & ad partes nutriendas deferri; & hanc hypotheſim probant in Paralyſi, dum ſcilicet in parte affecta deperditur nutritio, ſignum evidens, quod nutrimentum deficiat, quia tunc nervorum principia obſtructa ſunt, licet in parte paralyſi laborante ſanguis habeatur; undè dicunt, non à ſanguine nutritionem, haberi, ſed à ſucco nerveo; addunt ulteriùs, quod cùm aliquæ ſint corporis partes, ad quas non pertingit ſanguis, idcircò opus ſit concedere præter ſanguinem alium ſuccum nutrientem; quæ quidem rationes nulli momenti ſunt ſi benè perpendantur; nam præter ſanguinem concedo etiam ego cum *Thom. Williſio* neceſſarium eſſe ſpiritum animalem, ut ſuprà dixi, qui partem diſponat; ſanguis enim eſt nutrimenti materia, ſpiritus autem animalis ſe habet velut forma; ideòque cùm in paralyſi obſtructi ſint nervi, hinc eſt quod negetur nutritiò, quia deeſt agens, licet non deſit materia, nempè cruor; ad id autem quod dicunt eſſe aliquas partes in humano corpore quæ arterias non habent, & tamen ipſas nutriri aſſerunt, ut oſſa, nervi, &c. Reſpondetur, hoc eſſe falſiſſimum, nam ad omnes noſtri corporis partes ſanguis fluit, & in cunctarum partium ſubſtantiam penetrat, undè ex oſſium fracturis ſanguis emanans proſpicitur, quod clarè apparet in cranii fractura, cùm enim cranium ſcalpro abraditur, vel terebra perforatur, ſanguis ex ipſo effluit; Hìc accedit nervos cavos non eſſe, ideoque ineptos ad humorem hunc nutritium vehendum ad partes; & quod cavi non ſint patet ex experimento *Regn. de Graaf. de ſucc. pancreat. c.* 2. quo manifeſtè probat nullum liquorem per nervos deferri; nervum enim notabilem in cane denudavit, eoque tranſverſim ſciſſo, & in phialam impoſito ad ſuccum nerveum colligendum, fruſtrà quatuor, vel quinque horarum ſpatio, ne minimam guttam collegit; de qua re plura apud *Anatom. Diemerbroekii l.* 8. *c.* 1. ubi de nervis agit, videre eſt.

Hic, Animaſvertioni libenter finem concederem, niſi ſummum æſtimarem errorem nonnulla de ſanguine extrà corpus habito curioſa omittere; quare operæ pretium duxi aliqua de illo obſervare; ſanguis enim humanus recens adhùc, & calidè bibitus confert ad epilepſiam docente *Joh. Schrödero*, circa cujus exhibitionem magnam eſſe, & neceſſariam cautelam ſcribit *Frid. Hofmannus*, eo quia extra vaſa ſua ſanguis conſtitutus facilè grumeſcat, ut patet ſi ex capitis contuſione intrà meninges, & cranium ſteterit, tunc in grumos concretus epilepſiam vel phrenitidem; ſi in pectoris cavitate, & pulmonibus phthiſim &c. inducit; undè timendum, ne ad fugandam epilepſiam epotus in ventriculo concreſcat, & morbos magnos producat. *Ariſtoteles lib.* 2. *de partib. anim. c.* 3. ait cum ſanguine communicari aliquid ejus naturæ cujus propriè eſt ſanguis, id, quod ex hiſtoria Fauſtinæ M. Antonii Philoſophi Imperatoris uxoris teſte *Julio Capitolino* comprobari videtur, cùm enim ſummoperè Fauſtina Gladiatorem amaret, ejuſque cùm bibiſſet cruorem, Antonium peperit Commodum hominem crudeliſſimum; Ita humano bibito ſanguine carnifices audaciores fieri plures credunt, & ad rem facit hic hiſtoria de Virgine epileptica, relata à *Weinrichio lib. de monſtris c.* 15. quæ virgo, ut liberaretur, ſanguinem felis bibit, ſic ab alia fœmina edocta, & paulò temporis intervallo felis naturam imitata, mures ſilentio in remotis domus angulis venabatur, Sanguinem poſtea humanum multi ſunt qui deſtillant, & ad varios corporis affectus fugandos utuntur, undè ejuſdem ſpiritum, cujus conficiendi modum habe in *Pharmacopœa Schrödero-Hofmanniana l.* 5. optimum eſſe ad tollendam epilepſiam, apoplexiam, paralyſim, pleuritidem, Phthiſim, alioſque morbos ait *Ettmullerus in Schröd. Dilucid. p.* 1. *ſect.* 3.

Sunt qui etiam philtra ex ſanguinis ſpiritu componunt, unde nobile amoris remedium è ſanguinis minera exurgit, quod deſcribit *Beguinus* ſub titulo *Modus animos inter conjuges diſſentientes uniendi*, his verbis ℞. Sanguinis ex baſilica ſiniſtri brachii, q. s. in tantundem Alkool vini optimi per infundibulum, è vena ſaliente ejus perſonæ quæ ab altera odium patitur: Digere bene clauſo vitro per plures dies, poſtea deſtilla B. Vapo-

ris

ris per alembicum ad ſiccitatem; ejus aquæ exhibe alteri perſonæ quæ odium alit, in vini hauſtu jejuno ſtomocho drachmam unam, aliquoties repetendo, & mirabili admodùm metamorphoſi animi diſſidentium conciliabuntur, omneſque rixæ ceſſabunt; Unde *Clar. Joh. Cornel. Weber in Liquor ſtyptic.*, ait hac ratione conjuges ſæpè furiis agitatos in perpetuas lites, priſtino redintegrato favore in individuum amorem redire; Verùm ſi quis laborem antedictum fugiat, & velit hoc faciliùs ex ſanguine arcanum elicere, poterit illud habere ex proprio in umbra exſiccato cruore, certo tamen tempore, & eo pulverizato, ac in pauca quantitate propinato; Balſamum quoque antipodagricum, oleum ſcilicet ſanguinis humani alcaliſatum poſſe ex cruore parari demonſtrant *Beguinus*, & *Schröderus*, quod magnam in podagra fuganda habere virtutem oſtendit in ſua *Pharmac. Med Chymic. l. 5.* ubi hujus Balſami deſcriptionem non valdè difficilem oſtendit; quin & *Frid. Hofmannus* ex ſolo ſanguinis humani ſpiritu, cum vitrioli ſpiritu mixto, obtineri liquorem in epilepſia, imò ipſa mania, & peſte præſtantiſſimum, ſcribit; Aſt præter humani ſanguinis præſtantias, alii ſunt Brutorum cruores, qui non fugiendas tenent poteſtates; de ſanguine enim Hirci, & Vulpis narrat *Clar. Helmontius*, & cum eo *Foreſtus*, *Alexander Trallianus*, *Borellus*, *Jacob. Sylvius*, & alii, illum vim habere ad debellandam calculorum affectionem, pleuritidem, alioſque morbos, cujus præparationis modum vide apud *Pharmacopœam Schrödero-Hofmannianam.* De Perdicis cruore ſcribit *Schröderus* eum illinitum oculis optimum eſſe, dum illi ſanguine ſuffuſi, & recenter vulnerati ſint; ſanguinem verò Anguillæ colicos domare dolores dicit cum vino aſſumptum; Hirundinis cruorem optimum pro morbis oculorum ejiciendis multi ſunt qui deponunt, eamque præſtantiam habere cruorem Columbæ aiunt; Sanguinem Talpæ capiti illinitum calvitiem capillis donare ſcribunt alii; multi Leonis cruorem in furno exſiccatum contra epilepſiam vim habere fatentur, cujus tamen ſpiritum, in expugnando morbi caduci miaſmate majoris eſſe energiæ notat *Frid. Hofmannus Comm. in Shröderum.* Alii medicinæ

Practici volunt Cervum, & Bovem ſanguine ſuo dyſenterias ſiſtere, & cœliacorum profluvia; aliique tandem teſtudinis cruorem ad Hecticam ſuperandam commendant.

ANIMADVERSIO LIX.

De Venæſectione in Pleuritide.

IN debellandis corporis humani inflammationibus quantùm ſemper venæſectio præſtaverit, dictavit *Famatiſſ. Galenus* & cùm conſtet Pleuritidem eſſe inflammationem habitam ex cruore ſtagnante, vel ut nonnulli volunt in alis pulmonum, vel ut alii in membrana coſtas ſuccingente, neceſſe erit inferre venas eſſe ſecandas, & ſic à parte affecta humorem revellendum, derivandum, & evacuandum; hoc docente *Sennerto*, *Williſio*, *Riverio*; *Sydenhamio*, *Wallæo*, & aliis; Hinc Venæſectio tanti momenti eſt, ut ſi in gravida pleuritis ſuccedat, aut in puerpera, vel menſtruante, non debeat omitti; docuit enim experientia gravidis etiam octomeſtribus, puerperis, & menſtruantibus, necnon ſeptuagenariis, & infantibus ſanguine per baſilicam affecti lateris miſſo opportunè ſuccurri, ut docet *Enchiridion*, *Medico-Practicum*, *cum Riverio*, & ni aliud efficeret Venæſectio in Pleuritide, minuit febrem; tutum enim febrium medicamen exiſtit, ut probant multi inter quos præcipuè *Petrus à Caſtro* ſcribens; *Detrahendum eſſe ſanguinem in Febre, ſtatim ac poſſit, hoc enim neglecto auxilio vix fauſtum eventum licet ſperare*; Sed ut de Pleuritide hoc clarius elucescat hiſtoriam hìc referam, à *Clar. Nicol. Tulpio* recenſitam, de quodam ſcilicet Juvene Pleuritico, qui bis miſſionem ſanguinis paſſus, ſanatus fuit; unde fatendum cogito cum *Daniel. Sennerto Pract. l. 2. p. 2. c. 16.* tutiſſimum eſſe, & maximè neceſſarium Pleuritidis auxilium Venæſectionem, quæ ſummum ægro commodum affert; hoc confirmante *Arnald. Villanovano Breviar. l. 4. Th. Williſio in Pharm. ration. ſect. 1. c. 9.*; *Th. Sydenhamio in ſuis obſervat. Medic. cap. de Pleurit*; *Saxonia*

nia in prælection. Pract. l. 1. *c.* 27. *Wallæo Method. Medend. pag.* 81. *Riolano l.* 13. *c.* 4. *Boneto in Mercur. compital. l.* 4. *tract. de Pleurit.* §. 4 & aliis.

ANIMADVERSIO LX.

An dulcia conveniant in Tuſſi ?

MUlti medicinam facientes in tuſſis curatione optimam eſſe dulcium ingurgitationem volunt, ideòque tuſſi affectis porrigunt ſyrupos, confectiones, conſervas, aliaque hujus ordinis, ità ut tota ſpes ſalutis in dulcium rerum virtute conſiſtat; Aſt ſanè ſi mentis oculos cum Recentibus nonnullis ſanioribus, in hoc intimiùs mittamus, quantùm errent videbimus, qui ſimilibus utuntur medicamentis? Quis enim eſt inter Doctos, qui neſciat pituitoſum craſſumque humorem dulcibus medicaminibus glutinoſiorem evadere, undè malo more Medici in quavis penè tuſſi aliquandiù protracta, & phthiſim minante, quin imò productam fovente, utuntur dicam, an abutuntur, conſerva roſarum copiosè in dies devorata, undè non tantùm ut ipſi fingunt, non abſtergitur, conſolidaturque ulcus pulmonis; ſed inſuper gravitatis ſenſus, ac intollerabile frigus excitatur in Ventriculi regione, unà cum appetitu proſtrato, redditurque tandem hac arte morbus immedicabilis quem quorundam Medicorum morem imitantur, quotquot ritu pecorum ſequuntur antecedentium gregem, ac eunt qua itur, non qua eundum eſt; hoc etiam confirmante *Franc. Sylvio de le Boë*, *Praxeos l.* 1. *c.* 34. §. 11. 100. nam in tuſſi Medicus meo judicio aſſubtillare, ac fluitizzare debet craſſum, pituitoſum, tenacemque humorem, non craſſiorem, & tenaciorem reddere medicamentis dulcibus; dulcia enim incraſſant, impinguant, & humores viſcoſos producunt; Unde, meliori judicio, dulcibus relictis, tuſſi affectis diæta, ſalibuſque volatilibus ac medicamentis aliis fluitizzantibus ut ſunt oculi cancrorum &c. ſuccurri poteſt.

ANIMADVERSIO LXI.

De Thoracis ſectione in Empyemate.

DE hac operatione diſcurens *Joh. van Horne.* Ægrum ſemper poſt ſimile tentatum remedium ad orci fauces tranſmiſſum fuiſſe ait; à quo diſſentiens *Scultetus tab.* 35. dicit nobiliſſimum eſſe, & tutiſſimum remedium thoracis, paracenteſim; additque doctrinalem modum, quo emitti debeat empyematis materia, paulatim, & partitis vicibus quotidiè ad uncias ſex ſemel, vel bis, prout ægri vires poſtulaverint: Mox inſequitur *Clar. Tulpius l.* 2. *c.* 4. aiens lateris ſuppurati inciſionem frequenter ſe vidiſſe inſtitutam, & interdùm proſperè, ſed pluries infeliciter, ſivè quod adimat pulmoni motum, ſivè quod tandiù plerumque continuet, ut vix ſufferant vires, vel corporis totius vel pectoris ſolius, cujus viſcera uſque adeò infirmat frigidus, ac infeſtus aër, ut rarò mortem fugiant, quibus hac via pus elicitur: Attamen *Divinus Hippocrates Epid.* 7. ſcribit thoracem ſecare opus eſſe, quod confirmant omnes ferè Practici, de quo legi poteſt *Mercur. compit Theoph. Boneti l.* 5.

Suppoſito autem hanc fieri debere operationem, quam verò rariſſimè, ſi meum eſſet, conſulerem; notandum cum *Sennerto Pract. l.* 2. *p.* 2. *c.* 19. ſecari debere inter quartam, & quintam coſtam, alias enim, ſi loco inferiori ſecetur, metus eſt ne ſimul diaphragma lædatur quod non eſt ſine periculo, quod ipſum præcaveri juſſit *Hippocrates de morb.* 3. neque ad ſuperiora inſtituenda eſt paracenteſis pulmonis metu; de quo plura apud *Hieron. Fabricium ab Aquapendente*, *Riverium*, *Barbetam*, *Verzaſcham*, *Schenckium*, & alios.

ANI-

ANIMADVERSIO LXII.

De Purgantibus in Ictero.

AN purgantia præcribenda ſint in Ictero dubium eſt inter Practicos; Affirmativa poteſt confirmari quia adeſt bilis ſuperabundantia; hinc *Jacchinus l. 9.* præſcribit purgationes ex ſcammonio, electuario de ſucco roſarum & ſimilibus; *Mercurialis* proponit cathartica quæ bilem educunt; negativa verò concluditur cum *Hippocrate lib. de intern. affect.* ubi diſſuadet cholagoga ne corpus magis conturbetur; Additur inſuper quod frequenter in icteritia, non copia bilis, ſed propter obſtructionem meatuum veſicæ felleæ, ſuccedens bilis effuſio noceat; illas autem obſtructiones per purgationem non tollimus; Notandum eſt autem cum *Mercato* in Ictero duabus de cauſis purgandum eſſe; primò quia cathartica craſſos, & viſcoſos humores ducunt & abſtergunt, & ſic aperta obſtructione bilis ad naturale locum pertingere poteſt; ſecundò nam talia medicamenta bilem, quam naturalia vaſa capere nequeunt, imminuunt, & evacuant; Verùm cavendum eſt ut notat *Clar. Greg. Horſtius*, quod ſi Icteritia cauſata ſit ab Hepatis inflammatione tunc ad purgationem deveniendum non eſt; in internis enim inflammationibus purgatio haud convenit, & cavendum pariter; quod ſi per modum criſis, ad cutim diffuſa eſt bilis, eam ad interiora medicamento revocare pernicioſum eſt, quod quoque prohibet *Hippocrates lib. de humorib.* dicendo: *effuſi humores ne intrò revellantur.* Igitur cum *Mercato* fatendum purgationes validas in Ictero eſſe noxias, eo quod in obſtructo corpore melius ſit paulatim à longinquo bilem allicere, & craſſum humorem ab obſtructo vaſe educere, quam ſubitò evocato excremento majorem efficere obſtructionem, quare per vices aliquot leviores adhibere purgationes oportet, potiùs quàm violentiâ quadam, reddere morbum deteriorem, hoc confirmante *Greg. Horſtio in problemat. decad. 7. quæſt. 5. & Raym. Ioh. Fortis*, aliiſque.

ANI-

ANIMADVERSIO LXIII.

De Venæſectione in Amore inſano.

BEnè cautus circa venæſectionem *Mercatus lib.* 1. *c.* 17. ait, *Nihil magis in actionibus Medicis vereri oportet, quam detrahere ſanguinem*; Mittendo enim cruorem effodiuntur ſpiriturales illæ ſubſtantiæ quæ ſolæ naturam conſervant, & vitam; actiones enim naturæ ab inſtrumentis fiunt, ſed inſtrumenta ſunt ſpiritus, qui continuò per ſanguinem diſcurrunt ad vitæ conſervationem; igitur inſtrumenta iſta effodi cum ſanguine non debent, ut morbus evincatur; Undè poſtea optimè ſcripſiſſe puto *Luc. Tozzium*, *Leonard. à Capua*, *Th. Cornellium Conſentinum Fabrum*, *Helmontium*, *Kergerum*, *Salam*, quando juſto calamo contra Medicos nimis humani cruoris avidos invectivas egêre; Et ſanè in caſu noſtro quis eſt qui benè de re medica meritus, amore inſano laboranti velit ſanguinem mittere? cùm alio faciliori Medicamine poſſit morbum edomare, videlicet diæta, & refrigerantibus, necnon tandem remedio, quod dictavit *Hippocrates lib. de Virg. morb. ſub finem*; Et ſi veſana hæc libido non ab ingenti Amore, nec ab abundante ſemine oriatur, ſed Philtro, tunc nec miſſio ſanguinis prodeſt, nam ſola vomitorii medicamenti potentia ſanare poteſt, ut docet *Clar. Martin. Rulandus* & *Sennertus* id confirmat, nullam in hujus affectus curatione de venæſectione mentionem faciens; & *Job. Franc. de Franciſcis*, *de Venæſectione*.

ANIMADVERSIO XLIV.

An in Canina fame oleoſa medicamenta conveniant?

TRahit canina fames originem, ſi *Clar. Sylvio de le Boë* credimus, ab acriore, & præternaturali ſucco in ventriculo morante, qui acredine, & aciditate ſua præternaturali, fibras ventri-

ventriculi ipſius præter naturam infeſtat, & famem caninam excitare valet; Qua de re poſtea oleoſa medicamenta optima eſſe ad hujus affectionis curationem unà cum omnibus medicinæ Practicis fateor, nec immeritò; nam quotidiè in mechanicis oſtendit experientia acida omnia ab oleoſis temperari, ità ut ſi Calchanthi ſpiritum, cum aliquo oleoſo miſceamus ſuam non ſentimus aciditatem, utpotè quia refringitur ab oleôſis particulis; Et hic cum *Præſtantiſſ. de le Boë Sylvio* adverto nulla præſcribi debere purgantia in fame aucta, quoniam, ut ipſe ait, nulla educunt acidos humores, & ille fuit edoctus per experientiam multiplicem, irritari quidem, non item niſi cum ſummis torminibus, & noxa majore quàm fructu evacuari acidos humores à Medicis de ſuorum ægrotorum dolore, ac moleſtia parum ſollicitis, aut hujus rei ignaris; Undè meliùs meo judicio oleoſis medicamentis indicationi in hoc affectu ſatisfieri puto, & hoc confirmat *Riverius*, & *Villanovanus* refert de quodam hac afflicto affectione, qui adipem bovinum cum pari calentis olei quantitate ingurgitavit, & ſanus evaſit; de quo plura apud *Joh. Arculani Pract. Med.*

ANIMADVERSIO LXV.

De purgatione in Mania.

MAnia, quæ per *Williſium* procedit à ſpiritibus animalibus naturam aquæ ſtygiæ induentibus; vel ab impedimento ſpiritus animalis excitati à ſpiritu vitali nimis excitato per materiam ſulphuream, ut docet *Lazar. Meyſſonerius* nequit ſanari niſi per purgans aliquod medicamen, quod cùm fermenta corrigat, ſanguinem meliorem reddit; à quò materia illa ſulphurea dependet, & confectio ſpirituum; Ideòque optimè ſcripſit *Sylvaticus cent.* 1. *conſ.* 53. monendo in curatione maniæ optimum eſſe uſum hellebori nigri, immò & albi; & *Veslingius* ſemper referente *Welſchio*, ad helleboriſmos progrediebatur, & uſum pulveris ſeminis Urticæ mortuæ, quo multos quoque Dæmo-

niacos liberatos aiebat; Hinc *Williſium* teſtem adduco, qui *in p. 2. Patholog. cap. de Mania*, ait, *Purgantia fortiora, ubi vires ferunt quatenus ſpirituum, & ſanguinis efferationes deprimunt, atque emunctoria pro excipiendis, & ſanguinis, & ſucci nervei recrementis multum evacuant, etiam in hoc morbo opem conferunt*; Hinc cum *Sennerto*, *Bernard. Verzaſcha Comp. Med. Pract. l.* 1. inter phlebotomias eſſe interjiciendas purgationes in cura maniæ apertiſſimè docet; de quo plura apud *Riverium*, *Maſſariam*, *Burnetum*, *Hollerium*, alioſque Practicos.

ANIMADVERSIO LXVI.

De Venæſectione in Colico dolore.

S*Apientiſſ. Raymund Joh. Fortis Conſ* 95. *cent.* 3. venæſectionem ſummoperè commendat in colica, ut facit *Auctor Enchirid. Med. Pract.* Et ratio hujus videtur timor inflammationis in colico dolore exiſtens, ita ut meliùs ſit ſanguinem mittere, ob arcendendam inflammationem, quàm linquere, ut ipſa superveniat inflammatio, & febris, quæ ferè ſemper hanc affectionem ſequitur. *Riverius* autem quatuor potiſſimum caſibus convenire ſcribit; primò videlicet in affectu inflammatorio, ſecundò præſente febre, tertiò ſi colicæ ſuperveniat Icterus, de quo optimè *Greulichius*, quartò demùm ſi in contumaci dolore copioſum calidorum humorum effluxum metuamus; Quin *Clar. Guern. Rolfincius cap. de Colic. dolor.* venæſectionem in principio commendat, ad revulſionem, ut ipſe ſcribit, materiæ ſulphureæ, quæ tanquam cauſa hunc dolorem efficiens ab ipſo accuſatur; de quo plura apud *Theoph. Bonetum Merc. Comp. l.* 3. ubi agit de Colico dolore pagina 125.

ANIMADVERSIO LXVII.

De Oleis Aromaticis, & Salibus volatilibus in Syncope.

PRactici quærunt an in Syncope olea aromatica, & ſalia volatilia conveniant circa quod breviſſimè noto, *Clar. Sennertum Epiſt. vigeſima octava Cent.* 1. ſcribere, optimum eſſe ſpiritum roſarum, eò quod cor, & cerebrum recreat, & ſpiritus reficiendi vim habet, nam ſpiritus illo odore refrigerium capiunt, ac robur, expergefactique ad munia corporis obeunda redeunt magno cum naturæ levamine; qua de re poſtea *Doct. & nunquam ſatis laudatus Franciſcus de le Boë Sylvius Prax. l.* 1. *c.* 19. caſtoreum ſummoperè commendat, omniaque olea aromatica, & ſalia volatilia maximè oleoſa, & ſic non improbat oleum terebinthinæ, aliaque quæ apud eum videre eſt; Quamobrem poſteà non eſt mirum ſi *Clar. Wincleru*s optimè ſciens iſtorum oleorum efficaciam, virginem quandam à magna Syncope liberavit; Amabat enim hæc immani amore juvenem, qui ab hoſte una veſperi proditoriè fuit interfectus; hoc audito Virgo in terram procidit, & in ſyncopem incidit tam validam, ut eam mortuam Adſtantes crederent; Medicus citatus, cùm fuiſſet rogatus, ut ægram liberaret, ſtatim ad nares oleum de caſtoreo aliaque ſimilis conditionis appoſuit, & ipſa expergefacta ad mundum denuò, ut ità loquar, reverſa fuit; Hiſtoria ſanè ob duo capita admirabilis, primò quia ſolo medicaminum prædictorum odore fuerit ſanata; ſecundò, quod in muliere tantum amoris extiterit, ſtante ſexûs illius malitioſa perverſitate; de quo plura apud *Franc. Sylvium loc. cit.*

ANIMADVERSIO LXVIII.

De ſanguinis miſſione in Incubo.

AN Sanguinem mittere liceat? diligenter conſiderandum, ait *Clar. Mercatus*; an is quodammodo ſanguine abundet? vel

vel humor abundas ſanguini commixtus ſit? tunc enim; & maximè ſi ſuppreſſa fuerit aliqua ſanguinis conſueta evacuatio, ſi neque ætas, neque vires, aut quidquam aliud vetuerit prudenter oportebit ſanguinem mittere, parcè quidem, & per longiſſima intervalla: Verùm ſi ex ſuppreſſa aliqua ſanguinis evacuatione affectio ſuboriatur, tunc ea vel ad locum conſuetum eſt revocanda, vel à parte proxima ei, per quam ſanguis fluere aſſueverat liberaliùs ſanguinem mitti debet; mediante enim Venæſectione ægri feliciter ab incubo liberantur, nam ſpiritus revocantur, & motus maſſæ ſanguinis innovatur; undè *Sapientiſſ. Sennertus Pract. l.* 1. *p.* 2. *c.* 29. cephalicam, vel hepaticam in Viris, in mulieribus verò ſaphænam aperiri jubet, quod idem confirmat *Joh. Riolanus in Enchir. Med.*, *&* *Method. medend.* de quo plura apud *Riverium*, *Paulum*, *Aëtium*, *Avicennam*, *Manardum*, *Maſſariam*, *Dolæum*, & alios.

ANIMADVERSIO LXIX.

De nonnullis medicamentis externis ad mictum ſanguineum tollendum.

NOnnulli Medicinæ Practici ſtatim ac mictum ſanguinis detegunt, ſtupam madefactam in ovi albumine, cui boli armeni pulvis admixtus ſit, renum regioni imponi mandant, ſicque mictionem cruoris ſiſtere autumant; dicunt enim virtutem adſtrictivam boli armeni ad renes penetrare, & ſanguinis fluxum inhibere. Alii dicto non credentes remedio ſcribunt, terram ſigillatam, non tantùm intus ſumptam, ſed in crumena ſemper delatam, ſanguinolentum mictum tollere, hocque potentia quadam ſpecifica, undè ſigillatam terram inter adſtringentes reponunt. *Sennertus* de Corallis mentionem facit, quos ſummos eſſe in hoc morbo ejiciendo ſcribit, ſed cùm ipſe poſtea, nec intus aſſumendi, nec extra ponendi mentionem faciat, anſam dat dubitandi aliquibus, an coralli externe adhibiti valeant ad ſanguinis mictum tollendum? Circa quod multi Recentes ſunt, qui putant corallum in annulo delatum, vel collo ſuſpenſum à mul-

multis morbis liberare, & præcipuè à ſanguinis fluxionibus; undè cùm inter ſanguinolentas effluxiones mictus ſanguinis ſit, ideò aſſerendum corallos externè adhibitos cruoris mictioni occurrere. Folia plantaginis alii commendant, alii burſam paſtoris, quæ autem medicamenta, an eventui reſpondeant, vel non, adhuc non eſt probatum. *Oribaſius* lanam cum roſaceo, & aceto appoſitam renum regioni laudat, cui etiam aſſentit *Joh. Fortis tom.* 1. *Cent.* 4. *Conſ.* 4. *Laz. Riverius in Prax. c. de mict. ſanguin.* narrat, laminam plumbeam multis foraminibus perforatam, & ſuprà renes latam in hoc morbo ejiciendo eſſe valdè idoneam. *Hieronym. Mercurialis* ſcribit, ſuccum papaveris, & conſolidæ loco renum applicitum vaſa ſanguinem effundentia claudere, & mictui ſanguinolento occurrere, ita dicente, ubi tractat *de affectibus Infimi Ventris cap.* 31.; & tandem *Raym. Joh. Fortis loco ſuprà citato* commendat ſummoperè cataplaſma renibus extrinſecè imponendum cujus deſcriptio eſt hæc, videlicet: ℞. farinæ fabarum, hordei ana ℔. v. ſucci portulacæ, ſempervivi, ana ℔. v. pulveris boli armeni: ſanguinis draconis, aluminis, ana ʒ. iij. albuminis ovorum ℥. ij. aquæ roſarum & aceti roſacei q. s. m. f. cataplaſma, imponendum Renum regioni, ut ſupra dictum eſt.

ANIMADVERSIO LXXI.

De ſanguinis transfuſione.

SAnguinem unius animalis tutò in aliud animal transfundi poſſe, demonſtrarunt nonnulli, inter quos nominare eſt *Richard. Lower. Tract. de Cord. c.* 4. Dicunt enim ſecari arteriam unam magnam Agni vel Vituli, v. g & inde venam jugularem ejus cui cupitur ſalus, ac aperta venula in pede, ſanguinem primi, in ſecundum introduci mediantibus cannulis deſcriptis à citato *Lower.* aliiſque; quæ opinio confirmata fuit ab aliquibus experimentis nonnullorum ope transfuſionis ſanguinis ſanitati reſtitutorum, hoc referentibus *Edmund. King*, *T. Coxe*, *Denis*, *Auctore*

Actor. Philoſ. Londin. An. 1668 & aliis; Aſt aliqui hujus operationis adverſarii, dixere id eſſequid chimericum, & impoſſibile; primò, quia diverſitas complexionum in ſanguine fundata, ſupponit differentiam inter ſanguines diverſorum animalium, undè impoſſibile eſſe, unum reſpectu alterius, non eſſe venenum; ſecundò, quia ſanguis extravaſatus, ſecundum *Hippocratis* opinionem, ex ſuo exiens loco, naturaliter corrumpitur; tertiò denique, quia ſanguis è ſuis profiliens locis debens tranſire per cannulas inanimatas deſcriptas à *Lowero* infallibiliter coagulatur; undè nihil niſi incommodum affert.

Rationes autem iſtæ parvi ſunt momenti; nam primæ reſpondetur concedendo eſſe complexiones differentes, & qualitates impares in cruore, quot ſunt individua in omni ſpecie, ſed non per hoc ſequi, ſanguinem unius reſpectu alterius poſſe venenum eſſe; Cibi enim ex quibus fit ſanguis, licet ſint qualitatis diverſæ, tamen non eſt dicendum quod reſpectu ſanguinis ſint venena, & quod veneno cruorem inficiant; Secundò *Hippocratis* auctoritati transfuſionem ſanguinis non repugnare, reſpondetur; nam ad honorem *Hippocratis* ſervandum; oportet ſuam explicare opinionem, dicendo, tunc ſanguinem corrumpi, quandò extra vaſa motum ei conſervantia, ſtagnat; ſed in transfuſionis caſu, ſanguis de uno in aliud animal tranſit ſemper motum ſervando naturalem, nec interruptum; tranſit enim quidem ſanguis, & hoc ad tertiam facit objectionem, per alienos canales, ſed calefactos, nec punctum quidem aëris in proprias cavitates permittentes; unde, nihil ſanguis alteratur; ità ut, ac ſi eſſet, in arteriis, veniſque; de quo plura apud *Theoph. Boneti Med. Sept. tom.* 1. *l.* 1. *ſect.* 20. *& ejuſd. Merc. Comp. l.* 11, *pag.* 468. Sunt & alii, qui varios liquores, opiatos, emeticos, multoſque medicinales in vivorum animalium venas injiciunt, quin, & multos alimentares ſuccos infundunt, de qua re apud *R. Lowerum loc. ſup. cit.*, *Ettmullerum diſſert. de Chirurg. infuſor.*, *Fracaſatum*, *& Experimenta facta in Anglia, Gallia & Italia circa ſanguinis transfuſionem Anno* 1668. *impr. Bononiæ.*

ANI-

ANIMADVERSIO LXXI.

De Diarrhœa ante menſtrua.

PLurima circa menſtruas purgationes curioſa in Medicorum hiſtoriis paſſim occurrunt; in primis verò, è variis corporis partibus effluentes notantur, ſic per manum dextram effluentia menſtrua vidit *Theod. Kerckringius*; per vomitum rejecta obſervavit *Verzaſcha*; ex oculis fluentia *Helwigius*; per umbilicum evacuata *Rhodius*; ſed ut alia taceam, de fœmina quadam narrabo ante menſtrua diarrhœam paſſa; laboraverat enim hæc per benè longum temporis ſpatium menſium obſtructione à quo affectu uſu remediorum liberata fuit, omninò autem jam ſana, diarrhœa menſium fluxum præcedens ſucceſſit, ratione cujus antè tributum lunare, tribus quatuorque antecedentibus diebus alvi fluxum miſera patiebatur & modo etiam patitur, ſine alio tamen ſalutis diſcrimine, vel incommodo; de quo exemplum ſimile legi poteſt in Animadv. mea 145.

ANIMADVERSIO LXXII.

Sanguis Albus inſtar Lactis.

ANno 1648. *P. Borellus* virum vidit febri maligna detentum cujus ſanguis ſtatim à phlebotomia albedinem lactis retulit, idemque vidit in ſcabioſo *D. Iſaac. Riverius Medicus Mazametenſis*; & *Diarium Litteratorum Ven.* refert Anno 1670. Nautam quendam ſanguinem album, è venis emiſiſſe, dum ob communem purgationem phlebotomiſatus fuit cujus cauſam vide lector curioſe, apud Diarium Litterat. Venet.

SCHOLION. Non ſolùm album ſanguinem, ſed & verminantem

minantem obſervavit *Bartholinus in Litteris ad D. Sachſium*; idem obſervarunt *Petrus à Caſtro*, *Kircherus in Art. Mag. & Mundo ſubterraneo*, *Riolanus in Enchiridio Anat. & Pathologia*, *Zacutus*, *Prævotius*, *& Spigelius*; licet contrarium ſentiat *Schiribitius* quin, & urinam verminantem in quodam ſcorbutico vidit *Chriſtoph. Tinctorius Archiater Brandenburgicus*, *Balduin. Ronſſeus* in urinis Lue Venerea infectorum notavit vermes; dolore, ac hypochondriorum æſtu vexati, vermiculos fuſcos, cornutos, & morſicantes in copia vidit.

Poſſe autem vermes quoque extra corpus in urina produci idem *Rhodius* confirmat de quo plura apud *Aloyſium Mundelam*, *Greiffium*, *Fernelium*, *Hollerium*, *Fabritium Hildanum*, & alios.

ANIMADVERSIO LXXIII.

De mira Abſtemia.

DE Virgine quadam narrat *Georg. Franci* abhorrente adeo à vino ut, nec in medicamentis, quidquam de tartaro poſſit aſſumere, neque ſal, nec cremorem, nec ſpiritum; & ſi inſciæ aliqua ex iſtis porrigebantur, ſudore, anguſtiis, ac lipothymiis corripiebatur; olim tamen vinum bibebat; Cui exemplo ſequens eſt ſimile. Eſt hic Ferrariæ Hebræa 25. annum agens, quæ nunquam poſt quinque annos vinum guſtavit, ità ut modò etiam ſola aqua pro potu utatur, & ſi vini odorem ſentit, ſtatim in vomitum declinat; & de hoc plura exempla vide apud *Theoph. Bonetum Med. Septentr. tom. 2.*

ANIMADVERSIO LXXIV.

De Podagra natalia à ventriculo noſcente.

TRitum eſt illud Adaggium. *Errata primæ coctionis, non emendari in ſequentibus*; hocque patefit in caſu ſequenti; Virum

rum cognovi 40. annorum qui poſtquam magno vomitu, & ſingultu per multos dies laboraſſet; denique his ceſſatis malis, incidit in Podagram ſævam; & quotieſcumque redibat Podagra, antecedentes vomitus, ac ſingultus ipſe patiebatur qui uſu lactis Aſinini tandem liberatus fuit perfectè; de quo plura vide *Ettmullerum de Arthritide à ventriculo primord. repetent.*

SCHOLION. Ad Arthritidis fugam decoctum ligni Juniperini ex aqua chalybeata quo pedes laventur commendat *Crato*, quin & pro pedibus roborandis in Podagra decocto corticis Tiliæ utitur *Paul. Muntzerus*, *Anton. Gallus* ſequens medicamentum præſcribit. ℞. Valerianæ ℥. j. Agarici ℥. ij. ſeminis Petroſelini ℥. v. Hyperici ℥. v. Gentianæ ℥. vj. Ariſtolochiæ rotundæ, ℥. vij. Centaurii minoris ℥. viij. chamædryos, ℥. jx. oſſium humanorum ex articulis ℥. x. cum oxymellis ſcillitici q. s. fiat maſſa & doſis ſit ʒ. j. quotidie uſque ad finem anni.

Michael Doringius vinum chamædrios maximè facere ad curam Artritidis pluries expertus fuit, ipſeque in Epiſtola ad *Sennertum* pilulas tartareas ſequentes ſummæ efficaciæ eſſe jurat, ℞. radicis polipodii quercicini ℥. ij. Aſari, Chelidonii, ſeminis geniſtæ, ana ℥. v. Fumariæ, Ceterach. ana. m. j. florum bugloſæ, borraginis, violarum, geniſtæ, ana. m. v. m. decoque in s. q. aquæ fontanæ, & iſtius decocti ℞. ℔. ij. adde ſucci bugloſæ ℔. j. & infunde foliorum ſennæ ℥. iij. turbith., hellebori nigri ana ℥. j. ß. Macis, Caryophyllorum, Cinnamomi, ſeminis Cuſcutæ ana ℥. ß. ſalis tartari ℥. j. ſtent in infuſione in Vitro obturato in B. M. per 4. dies; poſtea colentur, & colaturæ adde cremoris tartari ℥. iij. extracti Aloes ℥. jv. myrrhæ in vino ad ignem diſſolutæ, Gummi ammoniaci aceto ſcillitico ſoluti ana ℥. ß. omnia iterum per 4. dies in B. M. digerantur, & coagulentur ad lentum ignem; inde adde ſpecierum diarrhodon abatis, lætificantium Galeni, Trochiſcorum de lacca ana ʒ. j. ſalis Abſinthii ʒ. ij. eſſentiæ croci ℈. ij. extracti ligni Aloes ℈. j. m. f. maſſa pilularis; cujus doſis ſit ℈. j.

ANIMADVERSIO LXXV.

De fluore muliebri Croceo.

FOeminam quandam cognoſco hic Ferrariæ quæ multis ab hinc menſibus fluore non albo, ſed croceo afficitur, ad exemplum matronæ illius, quæ ſingulis menſibus ordinario non ſanguine, ſed materia ſeroſa crocea purgabatur, & ea materia ſi lintea tangebat, nulla macula erat delebilis; ut refert *D. Alard. Herman. Cummen.*

ANIMADVERSIO LXXVI.

De Vino in Febribus.

DE uſu vini in febribus etiam ardentibus, multi Medicorum ferre ſententiam laborarunt; de quo apud *Clar. Sachſium.* Ipſe autem *Hippocrates* vinum permiſit in febribus, hinc *Anton. Lindanus*, *&* *Vit. Riedlinus* *&* *Joh. Ludovic. Hannemannus* de febri ſpiritu vini curata referunt, quin morbum Hungaricum à vino ſublatum fuiſſe refert *Decas prima Ephemer. Ann. 2. obſerv.* 145. hinc *Clar. Petr. à Caſtro* in cunctis febri puncticulari affectis optimum eſſe vinum notat; Aſt Prudentis Medici conſilium, cui ſoli morborum cauſas, ſubjecta, tempora &c. licet cognoſcere, conſiderare debet, an vinum in hoc vel illo affectu deceat, necnè?

SCHOLION. *Avenzoar* Arabs ait Vino, neque cibus, neque medicamentum unquam privari debet; nam vinum adeò naturæ amicum eſt, ut etiam medicamenti virtute imbuatur, uti ſcribit *Meſves*; ideòque *Galenus* vini laudes complectitur *comm. 2. aphor.* 11. dicens, vinum vires corporis corroborat, ſuccorum pravitatem emendat, concoctionem adjuvat, diſtribu-

tionem.

tionem accelerat, ſomnum conciliat, ſpiritus recreat, ſanguinem fovet, humores temperat, calorem nativum conſervat, hilaritatem excitat, angorem pellit, membris robur addit, pluraque alia commoda affert; Hinc *Eraſtus* Aurigam quendam febricitantem hauſtu vini, in quo ſalis manipulus diſſolutus fuerat, exhibito liberatum vidit; *Solenander ſect.* 5. *conſ.* 15. narrat Medicum quendam in vomitu, ac intenſa febre, ægroque jam deſperato uncias tres aquæ vitæ exhibuiſſe, & ita ſumptis cibis, & vino odorato, interpolatis horis reſtitutus intrà triduum æger perfectè convaluit; De hac autem re videantur *Hieron. Cardanus de malo medendi uſu c.* 6. *Joh. Baptiſta Helmontius*, *Andreas Schemberger.*, *Sachſius*, & alii plures.

ANIMADVERSIO LXXVII.

De ſanguine, etſi nigricante, tamen melancholici humoris nomine non donando.

CRuor quando in patina refrixit, tunc illa cruoris, quæ in fundo reſedit, particula multò nigrior apparet quam quæ ſtat in ſuperficie; Communis autem Medicorum ſententia eſt ſanguinem illum eſſe melancholicum, utpote nigrum, & hoc quoque, ut exemplo, ſolent monſtrare, una cum reliquis tribus humoribus ſanguinis intrare compoſitionem; At verò *Fracaſſatus* colorem hunc nigricantem, ex inde quod ſanguis, qui eſt in fundo patinæ aëri non ſit expoſitus, non autem ex ulla melancholiæ mixtura eſſe contendit; quod ut confirmet, ipſum mutare colorem aſſerit, fierique rubrum; ſi aëri exponatur, ut videre eſt apud *Acta Philoſoph.* Angliæ; Id verò aëris nitroſitati adſcribendum; notum enim eſt carnes animalium mactatas, ſi affrictum fuerit nitrum, rubeſcere.

ANIMADVERSIO LXXVIII.

De ſtatua humana circulatoria.

REferam hic nonnulla notatu digna *D. Salomon. Reiſelii* de ſtatua humana circulatoria in gratiam ſanguinis circuli inventa, mechanicè enim, citatus ait Auctor humani corporis effigiem habere, quæ per primas cavitates, velut per œſophagum in ſtomachum dilapſam aquam demittit, & ex ventriculo breviſſime, in cordis ventriculum dextrum, aut longiuſcule, & artificioſius per inteſtina, pancreas, venam portæ, hepar, cavam, in cor, è corde in magnum tubulum, velut Aortam demandat; hinc tam ad ſuperiores Artus, quam ad inferiores eam pellit; & inde per emulgentes, & renum colatoria in veſicam, quæ ſpontè illam aquam emittit; Et non negligitur etiam pulmonum uſus, quorum ope in machina inſpiratio, & exſpiratio animadvertitur; & pulſus retardari, vel accelerari, augeri, vel minui poteſt; In manu poſtea vel pede, ſi aliquis ſectionem venæ deſideret, facilè imitari licebit; Ea tamen lege hæc fient, ait ipſe, ut vel continuè, vel per breviora, vel per longiora intervalla impleatur, quo plus, vel minus aquæ dedeperditum eſt, fortius, vel debilius per veſicam, quemadmodum ſitis, & fames quotidiano victu in prandio, & cœna reſtinguenda eſt; Cujus machinæ vires narratæ, colendæ quidem, & admirandæ ſunt; ſummæ enim difficultatis exiſtit, opera naturæ in corporibus noſtris, mechanicè imitari; Verum autem, ut fatear circa hoc, dico me ſummoperè optare præſentiam hujus machinæ, & poſſe longo temporis intervallo ſtatuam iſtam humanam contemplari; de quo plura apud *Th. Bonetum tom.* 2. *Med. Sept. l.* 1. *pag.* 673.

ANIMADVERSIO LXXIX.

De Antipathia inter Bufones, & Araneas.

BUfo ex eorum eſt genere quæ in putrido terræ mucore generantur; animal plenum veneno, ut non immeritò terreſtris toxici, & contagioſæ virulentiæ burſa magnetica dici mereatur; tardiſſimum eſt ad reptandum, unde ſaturni ſe ſobolem eſſe demonſtrat, tumida, ac tuberoſa pelle venenum quod continet indicat; fœtore & halitu abominabili animalia, & plantas inficit, & tanto in hominem odio eſt, ut ſuſpenſus ab homine præ nimia in illum rabie moriatur; quin ſumma etiam fovetur antipathia inter venena; Virus enim aranei monente *Chriſtian. Franc. Paulini lib. de Bufon.* ſpirituoſo maximeque activo ſale volatili turget, ideoque longè potentius, & efficacius, quod copioſum bufonis ſal fixum ocius volatilizat, ut aſſumpto pauculo humido, mors repentina ſubſequatur; undè *Kircherus mund. ſubterr.* Bufonis venenum ex corrupta putredine, & venenoſo terræ muco conflatum eſſe ſcribit; araneæ autem aëreum ſubtile, & ſpiritu turgidum; hinc aranea ſpiritibus deleteriis, & mineralium ſuccis plena, ubi bufonis venenum ſui juris nunc factum in ſuum venenum convertit, & ideo Bufonem in alieno totaque diſſimilitudine ſubſtantia veneno infectum proſternit; Bufonis autem venenum humido frigidum, quoad ſenſum, araneæ è contra calidum, & ſiccum quid, igitur mirum, ſi ex hujus ignea quadam vi pollentis veneni efficacia Bufonis venenum, omninò contrarium conſumatur, & deſtruatur.

ANIMADVERSIO LXXX.

De Calculo eximiæ magnitudinis.

ACta *Philoſoph. An.* 1666. referunt de quodam calculoſo affectu defuncto, à cujus cadaveris veſica exemptus fuit calcu-

lus magnitudine ferè æquans caput infantis recenter nati, nec multum diſſimilis; & hîc Ferrariæ Anno elapſo extractum vidi calculum à cadavere unius artificis malum punicum æquantem; quorum calculorum cauſam videre poteſt lector curioſus in mea *Addition. ad Olai Borrichii de lapid. gener. diſſert. & in mea Animadv. de Calcul.*

ANIMADVERSIO LXXXI.

De dolore ſummo capitis Arteriotomia ſanato.

RUſticus quidam in Ferrarienſi Ducatu magno dolore capitis, & pertinaciſſimo vexabatur; pertinacis inquam, quia nullis remediis cedere voluerat; tandem ſectis temporum arteriis, ſanus evaſit; de qua re ſimiles hiſtorias legiſſe recordor apud *Michael Angel. Ruzenentum Veronenſ. medic.*

SCHOLION. Licet hoc remedii genus noſtris temporibus ferè obſoletum ſit; præſtantiſſimum tamen, atque utiliſſimum eſt, & periculi expers: ſola enim ligatura impeditur ſanguinis arterioſi effluxus in arteriis minoribus, neque neceſſarium eſt emplaſtrum à *Galeno* propoſitum ex bolo armena, thure, maſtice, & pilis leporinis cum ovi albumine compoſitum, quod tamen ad majorem cautelam, qui hanc operationem reformidant, in uſum revocare poterunt; Iſtiuſque uſu hemicraniam curavit *Riverius.* Ideòque *Pareus* ait, *Fruſtra hactenus ſuſpecta fuit arteriotomia, quod prorumpentem inde ſanguinem ſiſtere, & quod cicatricem obducere ſit periculoſum, propter arteriæ duritiem, & ob metum Aneuriſmatis: ſed hæc eſt hominum opinio; omnia enim in Arteriotomia tuta ſunt.* Quæ verò arteriæ poſſint ſecari, hæc ſunt; primò frontalis mediam dividens frontem, & hæc ſecatur ab Ægyptiis in cephalalgia diuturna; 2. occipitalis; 3. temporum arteria; 4. poſt aures, de qua meminit *Galenus & Paulus*; 5. inter pollicem, & indicem digitum, quæ prodeſt in hypochondriorum dolore; 6. malleoli in confinio arteria ſecta prodeſſe creditur

ditur in Iſchiade, de qua re plura apud *Rolfincium meth. med. l.* 4. *ſect.* 3. *c.* 2. *Job. Rhodium cent.* 1. *obſ.* 87.

ANIMADVERSIO LXXXII.

An ſomnus ſit concedendus poſt venæ ſectionem.

PRactici quærunt an ſomnus ſit concedendus poſt phlebotomiam? circa quod notandum cum *Primeroſio de Vulg. erroribus*, Medicos quoſdam eſſe, qui ſomnum à venæſectione prohibent, credentes ſanguinem ad cor redire, quod tamen verum haud eſt, niſi fortè immodica fuerit ſanguinis evacuatio, aut timiditas ægri, quæ ſyncopem inducere poſſit; Inde reditum ipſius ſanguinis eſſe pernicioſum nulla ſuadet ratio, nam ſolet in ſomno cruor redire ad præcordia magna cum naturæ recreatione: In ægrotis verò qui inſomnes noctes integras duxere, quanto cum beneficio ſomnus accedat omnes norunt, vires enim ſomnus reparat, humores morbificos coquit; undè Poëta

-- -- *Feſſos ſopor irrigat Artus.*

Si ergo poſt venæſectionem veniat, bonus erit, & recreabit naturam oppreſſam; At *Guil. Ballonius* referente *Thom. Burneto*, narrat de quodam Nobili, qui à ſomno poſt phlebotomiam extinctus fuit; hoc verò in mea ſententia non ratione ſomni, ſed ratione malignitatis cauſæ morbificæ ſucceſſit; ideòque ſomnus non eſt interdicendus ſi ſuperveniat Venæſectioni.

ANIMADVERSIO LXXXIII.

De Venæſectione Neroniana.

IN conſuetudinem venit, inter Germanos præcipuè, ut multi in utraque manu ſimul, vel in utroque brachio venas ſibi

bi incidi curent; idque ut plurimum non ſine diſpendio valetudinis, ex duplicata enim venæſectione, diverſis in membris inter ſe oppoſitis uno eodemque tempore facta maxima in corpore fit ſanguinis agitatio, quæ ſine periculo fieri non poteſt, & iſtam venæſectionem Neronianam appellare multi voluere Practici; de quo plura apud *Guil. Fabritium Hildanum obſerv.* 91. *cent.* 6.

ANIMADVERSIO LXXXIV.

De condiendis cadaveribus.

HIc diſcant Medici, modum quo nobilium corpora condita fiunt, à *Gregor. Horſtio* relatum; Accipitur videlicet primò vinum ſublimatum ad menſuras duas pro abluenda, poſt exenterationem, totacavitate interiore pectoris, & abdominis, quæ poſt factam ablutionem terebinthina undique aſpergatur, ut pulveris, & herbæ injiciendæ melius adhæreant. Poſteà ſequentibus impleatur; ℞. fol. roriſmarini, lauri, hyſſopi, abſinthii, menthæ, rutæ, ſalviæ, ſerpilli, pulegii, origani, ſcordii, florum Anthos, lavendulæ Chamæmeli, ſtœchados, ſpicæ communis ana, m. ij. ſeminis carvi, fœniculi, ana, ℔. ß. radicis gentianæ caryophyllatæ, angelicæ, valerianæ ana, ℔. j. & omnia incidantur craſſo modo. Inde ℞. Aloës lotæ ℔. ij. myrrhæ ℔. ß. maſtiches, Thuris, ana, ℥. ij. benzoin, ſtyracis calamitæ, ladani, cinnamomi, caryophyllorum, nucis moſchatæ, macis, croci, ana, ℥. j. mumiæ, ℥. ij. craſſoque modo contuſa miſce cum præcedentibus, & omnia hæc capacitati injiciantur, corpuſque ſuturis occludatur, ac ſequentibus oleis corpus totum inungatur. ℞. olei Abſinthii, ſpicæ, rutæ, chamæmeli ana, ℥. jv. olei Juniperini laurini, ana, ℥. ij. olei petroſelini, ℥. j. ß. olei terebinthinæ ℥. j. miſce.

Ad incerationem autem induſii, quo corpus poſt inunctionem induatur, ℞. terebinthinæ ℔. iij. ceræ ℔. j. ß. & diſſolve cum oleo pro cerato. Tantem pro replenda narium; & aurium

rium capacitate. ℞. olei nucis moſchatæ expreſſi ℥. ß. olei Cariophyllorum deſtil. ℥. ß miſce.

ANIMADVERSIO LXXXV.

De Vermibus in Aceto.

VErmes in aceto copioſiſſimi ſunt tam vivi, quam mortui; viventes autem per acetum tanquam piſces vagantur, mortui in fundo reſident; ex quorum vermium ſeminibus tanquam ex ovis alii naſcuntur vermes; & quo acetum eſt acrius, eo copioſiores ſunt vermes; ut confirmat *G. Entius Apol. pro circul. ſang. contr. Æmil. Pariſanum pag.* 169. Colato autem aceto, aut filtrato, habetur illud limpidum, & ſine vermibus fere per triduum, quo tempore tranſacto, vermes denuò oriuntur; Si verò vini quantitas exigua in Acetum infundatur, omnes vermes pereunt; & ſi quoque in aceti ℔. ij. miſceatur ʒ. j. Theriacæ omnes moriuntur; Denique mixta theriaca cum aceto in clauſo vaſe, & expoſito vaſe ſoli per menſem, ſemel in die agitando, & poſtmodum relinquendo, ut theriaca in fundo remaneat, quo peracto diligenter coletur, & habebitur acetum ſemper ſine vermibus non ſolùm, ſed ſummoperè utile ad peſtem, & malignas febres; Et vermes in aceto obſervantur ope microſcopii, quo etiam recentes utuntur ad detegendos in ſanguiſugis dentes.

SCHOLION. Non ſolùm in aceto, ſed in ſemine humano vermes eſſe docent nonnulli, quod microſcopiorum beneficio conſtare dicit *Th. Bartholinus*, idque veriſſimum eſſe faſſus eſt *D. Volderus Philoſ. Profeſſ. doct.* Hinc *D. Samuel Reiſelius* magnam copiam vermium in ſalis colonienſis culinaris ſaccis plenis inventam fuiſſe ſcribit, quin & vermes in ſaccharo eſſe ſcribit *ſupra citatus Bartholinus :* His verbis; *corrumpi ſac-*

cari cannas in Braſilia à vermiculo quoddam, quem Braſilienſes vocant Guirapeacoia; *Luſitani* Pao de glalina, *qui radices cannæ exedat ſcribit Marcgravius; Non id eſt novum, quod ſaccharo permixtum ex India orientali advectum navibus ſocietatis Haffniæ nuper vidi. Grylli ſpecies potiùs eſt, ſed nulla figura illi convenit apud Jonſtonum; duplex autem mihi viſa eſt ſpecies, una alata, repens alia; gryllus repens colore caſtaneo cruſtis in tergo diſtinctis; Alatus major eſt quatuor alis ornatus! An ex ſaccharo generentur non liquet, nec credo, cùm oryza veſcantur, &c.*

Miror autem vermes non ſolum in aceto, ſaccharo, & ſale exiſtere, verum & piperi ineſſe, ut fatetur *Joh. Ludov. Hannemannus*: reperiſſe enim aſſerit ipſe vermes albos capitibus rubris, qui non ſolum arroſerant piper, ſed & in pollinem redejerant.

In felle quoque vermes vidit *Guil. Fabritius Hildanus*, & in aurium cerumine notavit vermiculos *Plinius*, necnon anno 1629. *Joh. Rhodius* in viro febri maligna correpto ex ipſius bilis vomitu vermem obſervavit bili immixtum; quod etiam adnotaſſe fatetur *Pet. Toletus in Appendice Pauli Bagellardi de morbis Puerorum.*

Ariſtoteles ſcribente *Joh. Benedict. Sinibaldo Geneanthr. lib.* 2. ait vermes in nive generari, qui è nive extracti ſtatim pereunt.

In renibus vermes obſervavit *Bartholinus*, de quibus mentionem faciunt *Laurentius Bellinus de uſu, & ſtructura renum, & Gerardus Blaſius Com. in Vesling.*

In corde Juvenis unius ſyncope valida defuncti notavit *R. P. Chriſtini* vermem araneæ ſimilem.

In cerebro vermes *Schenckius, Benivenius, Verzaſcha, Tulpius, Fabritius Hildanus, Zacutus*, & alii obſervarunt; De qua re plura eruditè dabit *Diligentiſſ. Franc. Redi lib. de Animal. viv. invent. in animal viventibus recenter impreſſo.*

ANIMADVERSIO LXXXVI.

De Aquæ circulatione.

MIrabilis equidem aquæ circulatio in, & circa terram; Ex Oceano enim, ſeu matrice ſua in frequentiſſimos terræ circulos, magno quandoque hiatu patentes copioſè rapta, penetralia ejuſdem ſubit, ubi per ſabulum cribrata, rurſus in terræ faciem erumpit, eamque in rivulos, fontes, & flumina, tandemque in priſtinum maris ſinum delabitur. Rivuli hi, & flumina quandiù decenti curſu manant, pratis amœnitatem, & fertilitatem præbent; cùm autem liquentes dilabuntur nives, & imbres copioſi, aut alii aquarum affluxus accedunt, inundationes, & innumera producunt mala; Idemque dixeris in microcoſmo; Ex corde enim tanquam ex Oceano cum florida ſpumanteque ſanguinis purpurea maſſa, ad univerſi corporis partes, aquoſa, vitali tamen ſalſedine imbuta materia, amandatur, per glandulas in corpore paſſim diſperſas tranſcolatur, & à vaſis lymphaticis veluti canaliculis excepta, juxtà venas, & arterias in Chyli receptaculum fertur, ut per thoracicum ductum cordis mare denuò intret; ſi verò continua iſta periodo à violenta irruentium humorum copia augeatur, vel obſtructionum cauſa curſus ejus ſiſtatur, vaſa rumpuntur, & vicinæ inundantur partes; hinc ventris, pedum, aliarumque partium intumeſcentia; aliique affectus oriuntur. Plura de circulatione maris, & fontium, dabit *Becherus in Phyſica. ſubterr. & Bernard. Varenius in Geogr. & Voſſius de motu maris.*

ANIMADVERSIO LXXXVII.

De oſſis frontis cavitate.

IN oſſe frontis cavernula eſt obſervanda ad naſi radicem ſita, interdum in duas partes diviſa, ut notat *Highmorus* de cujus uſu maxime dubitatur, ſuas enim quiſque habet conjecturas; Alii cum *Placentino* mucoſum humorem qui in nares deſtillat continere docent; alii illam cavitatem inſervire, ut vox ſit magis canora, quia in illis qui malè loquuntur non invenitur; alii cum *Valverde* quod in illa elaboretur aër ad generationem animalium ſpirituum contendunt. *Spigelius* ad odores hauriendos facere exiſtimat; cùm ibi aër odore prægnans excipiatur, paulumque conſervetur, ne nares tam ſubito præterlabatur, unde odor per integrum diem in narium ſummitate præſentitur; Alii illum humorem quo oculi humectantur continere putavere; Et *Highmorus* tandem eam cavitatem à Natura primariò inſtitutam arbitratur, ut protuberantiam illam, & eminentiam ſuperciliorum extendat, ſi enim ex oſſe ſolido extuberet frons, & ſupercilium, onus nimis grave, & naturæ moleſtum effingeretur; atque hanc in omnibus prominentiis, ad quodcumque officium deſtinatis, methodum natura obſervavit, ut nulli parti inutile pondus deſignaret, quod officium damno inevitabili compenſetur; ſic os maxillæ ſuperioris magnum eſt, & maximè protuberat, cavum tamen eſt, adeò ut Natura non ſolum robur, ſed & utile quandoque ac conveniens excogitare videatur; Atque hanc *Highmori* ſententiam confirmavit *Bartholinus*, aſſerens cavernulam frontis oſſis, in depreſſis frontis ipſius non inveniri, videlicet, ubi non eſt ſuperciliorum prominentia.

ANIMADVERSIO LXXXVIII.

De Arteria Bronchiali.

ARteria Bronchialis dicitur ea, quæ ſupra bronchia ſerpens, ea concomitatur uſque ad finem; ortumque ſumit à poſtica parte arteriæ magnæ deſcendentis digiti latitudine plus minus ſupra ſupremas arteriarum intercoſtalium, ex Aorta deſcendenti exortarum; aliquandò etiam duorum digitorum latitudine ſuprà arterias modò dictas; nonnunquam quoque infrà eas originem habere, vidit *Frid. Ruyſchius*; Gaudet enim natura varietate frui. Nunc unica exurgit, nunc gemina, ita ut ſæpius arteria magna cadavere exempta intercoſtalibus, & Bronchialibus abſciſſis, trunculi Bronchialium remanentes exortum intercoſtalium mentiantur; Hinc pulmones obliquè ſubit, & ſub arteria venoſa bronchia ad extremum uſque comitatur, donec facta capillaris viſus aciem effugiat; Sed dicet aliquis hanc arteriam parvi eſſe momenti, ſi reſpiciamus arterioſam venam, à qua ſanguis ſufficiens copia pulmoni præſtari poteſt; cui reſpondetur ea quoque ratione hepaticam arteriam flocci faciendam fore; eo quod, reſpectu venæ portæ hepati ſanguinis copiam ſubminiſtrantis quam minima exiſtat; quod æquè abſurdum mihi videretur, arteriam enim hepaticam jecur ingredientem, venamque portæ comitantem ratione pabuli nobilis illac vehendi maximi faciendam puto; quidquid enim per portam jecori communicatur, merè venoſus eſt ſanguis ab imi ventris viſceribus refluus, nullo *Riolani* chylo, aut *Eilſii* commixtus. Eadem quoque ratione hanc arteriam bronchialem maximi faciendam exiſtimat citatus *Ruyſchius*, non quidem ratione quantitatis, ſed qualitatis ſanguinis; ſanguinem enim ſiniſtrum cordis ventriculum tranſgreſſum nobiliorem eſſe, dextri ventriculi ſanguine,

quis negat? Cogito itaque tandem arteriam hanc bronchialem conditam eſſe à natura, ut pulmoni ſanguinem nobiliorem, & perfectiorem ipſa communicet.

ANIMADVERSIO LXXXIX.

De quodam nunquam ægroto.

ROmandiolus quidam nomine Ferdinandus annorum circiter 74. Anno 1685. mihi narravit; Se toto ſuæ vitæ curſu nunquam expuiſſe, nec ægrotaſſe; adeò ut nec quidem minimum capitis dolorem ſuſtuliſſe faſſus eſt; quod ſanè eſt mirabile.

ANIMADVERSIO XC.

De hæmorrhoidum dolore urina fugato.

DOm. Cæſar Mediogaurus Pictor anno 1685. ſe frequenter laboraſſe hæmorrhoidum dolore mihi narravit: procidebant enim ipſæ ex ano, & inflammabantur; ipſumque ſemper uſum fuiſſe, magno cum levamine, & juvamento urina propria, ad partem affectam appoſita; quod ipſum olim docuit Rever. quidam Fr. Capuccinus.

ANIMADVERSIO XCI.

De oſſium humanorum uſu in dyſenteria.

OSſa humana inſignes edere effectus in exſiccandis; & extirpandis vitioſis in corpore humoribus, jam obſervavit *Clar. Becherus Med. microcoſm. lib.* 2. Salina enim cùm ſint corpora, ſalinam etiam exſiccandi, & abſumendi obtinere facultatem arbitror; idcircò fluxus quoſcunque, & in ſpecie dyſentericos

tericos ſiſtendi vim oſſa habere, docuit *Schroderus Pharmac. lib. 5. claſſ.* 1. Unde medicamentis contra dyſenteriam proficuis eadem ab aliquibus Practicis fuiſſe admixta noſcunt illi, qui medicinam faciunt. E contra verò oſſa humana hominibus devoranda exhibere abominandum impiumque cenſet *Henr. Smetius lib. 2. Miſcellan. med.*

Verum cùm paſſim, & cranii humani pulveriſati in capitis affectibus tribuatur, idcircò benè poteſt in dyſenterico fluxu curando tribui oſſibus humanis pulveriſatis, de qua re plura apud *Samuel Ledelium.*

ANIMADVERSIO XCII.

An ex Ocymo ſcorpiones naſcantur?

NArrat *Plinius* tritum ocymum opertum lapide, ſcorpionem gignere, & commanducatum, & in Sole poſitum vermes afferre; Aliique dicunt, ipſum celerrimè ſcorpiones generare, dum tritum in ollam inanem immitatur, & ſoli radiis exponatur; quod falſum eſſe ſcribit *Galenus & Georg. Wolfang. Wedelius*: Si autem aliquando, ut nonnulli teſtantur, hoc accidiſſe viſum eſt, crediderim in ocymo, cui caſualiter, vel ſcorpiones ipſi exigui, vel eorundem ſemina adhæſerunt, hoc eveniſſe; Non nego tamen, alios ſui generis vermiculos in ocymo generari poſſe, nulla enim ferè herba, eſt in qua minutiſſimi vermiculi ope microſcopii non videantur, qui mox in papilionis, vel alterius inſecti volatilis ſpeciem degenerant; hoc confirmante *Kirchero.*

Quin quotidiana oſtendit experientia vermes in arboribus; immò Salviæ quoque externam ſuperficiem totam opertam, veluti aranearum textura quadam; intrà quam ingentem minutiſſimorum animaculorum fœtura comparet, videre eſt per microſcopium; de quo plura apud citat. *Kircherum, Hagendornium, & Corvinum.*

SCHO-

SCHOLION. Valde miror *Clar. Joh. Baptiſt. Helmontium* Philoſophum præſtantiſſimum ſcribere *in tractatu; imago fermenti imprægnat, maſſam ſemin.* §. 13. non eſſe figmentum ut dixi in Animadverſione, ſed revera herbam iſtam contuſam atque inter lateres depreſſam ſolique expoſitam poſt aliquot dies ſcorpiones producere; idemque etiam confirmare in *Tumulo peſtis & in Poteſtate medicaminum*; quin miror quoque hoc etiam aſſerere *Hœferum Medicum illum famatiſſ.* ſcribendo de uno Pharmacopœo, qui ope ocymi ſcorpiones multos produxit;

Hollerius pariter notat quidam Italo ex frequenti odoratu herbæ baſilicæ natum ſcorpionem in cerebro, vehementeſque dolores, & mortem tandem attuliſſe; Et Celebr. *D. Michaelis* idem confirmat *ſup. Schroder. Pharmacop.*

Unde *Wedelius*, ut lites dirimeret, Anno 1671. menſe Auguſti ocymum recens ex horto decerptum contudit, ac inter lateres binos, adæquatè ſe contingentes foſſula in media ſtudiosè prius parata recondidit, & Soli expoſuit; quæ herba nullum ſcorpium, ſed ſiccitatem contraxit.

Idem denique expertus ego fui Anno elapſo menſe Auguſti, cum *D. Joh. Baptiſta Reali Pharmacopola diligentiſſ.* accipiendo nimirum ocymum & eadem diligentia, qua uſus eſt *citatus Wedelius* Soli exponendo, verum poſt paucos non ſolum dies, ſed poſt aliquas ſeptimanas etiam, nullum effectum vidi: Unde cum *Clar. Wedelio* pro fabula teneo ex ocymo ſcorpiones naſci; dummodo in ipſo, fortuitò ovula ſcorpionum ſeminalia non exiſtant, ut dicebam in *Animadv.* tunc enim non ex ocymo, ſed ex ſemine ſcorpii, ſcorpius oritur, nulla enim generatio æquivoca datur, ſed quæcunque naſcuntur, non ex putri, ſed ex præhabito ſemine, id eſt ovo producuntur: quod latiùs explicavi in *Animadv. de ovo*, & clarè oſtendit *diligentiſſ. Franc. Redi in obſerv. de Inſectis* Quare relicta ſententia *Florentini*, *Græci*, *Plinii*, *Chryſippi*, *aliorumque* dicendum eſt, ex herba baſilici generari haud poſſe ſcorpiones dummodò in herba dicta ova ſcorpionum non exiſtant; ſcorpiones enim à ſcorpionibus, non ab ocymo generantur.

ANI-

ANIMADVERSIO XCIII.

An humanus ſanguis præſtet in tollendis hæmorrhagiis?

SIſtendis in hæmorrhagiis humanum cruorem utilem dare operam, dum in pulverem redactus parti fluxum ſanguinis patienti inſpergatur, plurimis conſtat hiſtoriis relatis à Medicinæ Doctoribus, & hoc glutinoſitati ejus, qua erumpenti alteri occurrit, demulcet, & vaſa conglutinat, adſcribitur à *Clariſſ. Wedelio tract. de medic. facult.* Idemque præſtare nonnulli aſſerunt in narium hæmorrhagiis, dum vapor ſanguinis, in ferrum candens elabentis, naribus excipitur, de quò doctiſſimè egit *Thom. Willis*; Quin de ipſo ſanguine menſtruo ſiccato, & propinato, in alium ſanguinem menſtruum agente optimè tractavit *Joh. Baptiſta Sitonus*; Sanguis enim ſanguinem ſiſtit manifeſtis ejus qualitatibus, terreſtribus, exſiccantibus, & obſtruentibus ad inſtar Boli Armeni, terræ ſigillatæ, & aliorum ſimilium; Hinc poſtea ſanguinem leporis Menſe Martii occiſi linteo exceptum commendari in dyſenteria *Schroderus* tradit *in Pharmac. lib. 5.* Plura autem de ſanguinis virtutibus legi poſſunt apud *Frid. Hofmannum comment. in Schroderi Pharmacopœam.*

ANIMADVERSIO XCIV.

De prædictione futurorum in morbis.

PRæter generalia ſigna de morborum eventibus ab excretis deſumpta, Urina, Alvi fœcibus, ſputis, ſudore &c. hujuſmodi videlicet; non raro quoque ex ipſis hominis partibus depromere ſolent Practici judicia ſalutis; vel interitus; Sic *Protus Caſulanus* ex lingua, *Camillus Baldus* ex unguium inſpectione quomodo judicia Medica formanda ſint ſingularibus docuerunt tractatibus; & *Valentin. Andreas Mollembrochius*, ex

dentibus futurorum prædictionem obſervat, ut & facit *Panarolus* notando de fœmina pulcherrima, cui, cùm morbus immineret, paulò ante eundem ſemper vena frontis in medio tumere viſa eſt, una cum magna dentium ſtupefactione. Unde ipſe citatus *Mollenbrochius* Virginem ſe obſervaſſe teſtatur melancholia hypochondriaca laborantem cui quoties ſævior inſtabat Paroxyſmus, ſemper arteriæ, & venæ in temporibus intumeſcebant, morbum prænunciantes, cujus cauſa, ut cogito, erat ebullitio tunc temporis majori æſtu cruoris.

ANIMADVERSIO XCV.

De Paralyſi frigidis curata.

DOm. *Joh. Bettus de natura ſanguinis* docet à morbis ex fumo ortis non ſemper calida convenire, ſed talia quæ tenues mordaceſque humores incraſſent, & mediocriter refrigerent, & meminit Colicæ cujuſdam epidemicæ per plurimas regiones graſſantis, undè non pauci in morbum comitialem, ex quibus maxima pars interiit, alii in paralyſim incolumi ſenſu, qui ut plurimum evaſerunt incolumes, nonnulli in utrumque delapſi ſunt; & Medicus Italus opem tulit vino aqua gelida diluto, unde plures hac methodo jam in epilepſiam, aut nervorum reſolutionem prolabentes præter omnium opinionem ſervavit. Hinc aquæ frigidæ largo hauſtu, à paralyſi *Paul. de Sorbait.* quandam mulierem liberavit. Sicque dolorem colicum ſæviſſimum nive circumpoſita ſanatum recenſet *Zacutus*, & narrant *Septalius*, *Bartholinus de nive*, *Crato*, *Sylvaticus*, *Sanctorius.* & *Philip. Jacob. Sachs*, Colicam à flatibus in habitu carnoſo frigidæ aquæ affuſione propulſam fuiſſe fatetur.

ANI-

ANIMADVERSIO XCVI.

De riſu in Epileptico Paroxyſmo.

DE riſus natura, & cauſis egit eruditè *Valleriola l. 3 enarrat.* definiendo riſum concitatiorem quendam animi ex re jucunda motum, ad conceptum intro gaudium explicandum, quo thoracis, & oris muſculi impetu quodam moventur; hoc confirmantibus *Conimbricenſibus in lib. Ariſtot. de Anima cap.* 3. de quo optimè *M. Calanus Ferrarienſis noſter*, & ſecundum iſtam definitionem riſus, ſequens vere riſus non fuit; Fœmina enim erat epileptica ſolens in paroxyſmo ridere; Sed potiùs riſus hic epilepticus ortum habuit ex motu muſculorum thoracis, & oris impetuoſo, à vapore acri, & ſtimulante, concitato, & hunc vaporem ex utero aſcendiſſe opinor; atque epilepſiam hanc eſſe non per idiopathiam, ſed per ſympathiam judico; *Hollerius* enim varia recenſet exempla mulierum, quæ uteri ſuffocatione laborarunt, & riſui involuntario fuerunt obnoxiæ; & *Chriſtoph. Roeslerus*, convulſiones ex utero in virgine vidit, cum delirio levi, & riſu ſymptomatico, quæ nullis aliis remediis ſopiebantur, niſi exhibitis Cinnabaris nativi gr. xvj. in aquis Antepilepticis.

ANIMADVERSIO XCVII.

An Dentes ſint oſſa?

NUm in oſſium catervam recipiendi ſint dentes à Doctoribus valdè controvertitur; & plurimi negativam tenent, quia dentes ſentiunt, peculiari pollent duritie, perpetuò creſcunt, & evulſi renaſcuntur; & ab ipſo *Hippocrate* ab oſſium claſſibus ſegregantur dum in *Aphoriſmis* ait, *Frigidum inimicum oſſibus, dentibus, & nervis*; Facilè verò ad hæc reſpondit *Laurentius in controv anatom.* dicendo eſſe oſſa, ſed ſui generis, & *accuratiſſ. Scaligerus*

rus eos eſſe oſſa ſuæ ſpeciei docet ſumendo os loco generis, dentem verò loco ſpeciei ; & hoc ipſum confirmat *Gotofred. Moebius Fundam. medic. c. 9. pag.* 111. Atque in numero oſſium aliorum ponendos eſſe dentes, ſcribit *Clar. Isbrand. Diemerbroeckius Anatom. l. 9. de oſſibus cap.* 10. *pag.* 572. necnon huic opinioni ſe ſubſcribit *Gerard. Blaſius Comm. in Vesling. Anat.* dicens dentes oſſa minuta eſſe, quia corpora ſunt ſicciſſima, duriſſima, & ſolidiſſima, cui ſententiæ favet quoque *Ariſtoteles lib.* 1. *Hiſtor. animal. c.* 11.

Licet autem dentes ſint oſſa plurimas habent tamen proprietates cæteris oſſibus non competentes ; nam primis annis dentes excidunt, & loco illorum, qui cadunt, aut arte auferuntur, alii renaſcuntur, quod in aliis oſſibus non accidit ; de quibus proprietatibus plura legi poſſunt apud *Senguerdium exercit. Phyſic.* 7. *Bernard. Gengam in Anatom. Chirurgic. l.* 1. *c.* 13. & *Minadoum de Extern. Affect. l.* 1. *c.* 12.

ANIMADVERSIO XCVIII.

De acicula deglutita.

ACiculas degluitas cum urina excretas obſervavit *Alexander Benedictus & Joh. Langius, & Claudinus*; ex perforato ventriculo *Antonius Benivenius*, per cervicis latus circa dextram aurem *Caſpar. à Reies*; ex crure erumpentes *Roderic. à Caſtro*, & *Henric. à Moinichen obſerv.* 21. Cui improvidæ factæ deglutioni lubricantibus, & laxantibus eſſe medendum communiter ſtatuitur, ut videlicet ventriculus, & inteſtina laxiora facta, irruenti ſolido corpori cedere, & ſe ſe magis extendere, & faciliorem auctis ſpiculis tranſitum præbere valeant; Atque hac methodo curam feliciter abſolvit *Hieron. Reuſnerus in obſervat. med.* 56. *Wierum* ſecutus, ut & fecit *Georg. Segerus decad.* 1. *Ephem. Ann.* 4. Et notabilis eſt hiſtoria à *Theodor. Kerckringio* memorata, in *obſervat. Anatom.* 44. de Ancilla quadam cui Acus deglutita, quæ partibus interioribus gutturis infixa hærebat, levi

facta

facta inciſione, & appoſito vulneri magnete fuit feliciter extracta; quod idem in Cultrivoro fuiſſe pari ſucceſſu tentatum tradit *Oſwald. Crollius in Præfat. Baſilic. Chym.*

SCHOLION. Anno 1685. *cum Excellentiſſ. D. Joh. Baptiſta Juſtino Præceptore meo dilectiſſimo* ego in puero notavi, aciculam deglutitam per urinam excretam, abſque ullo periculo; & eam per vias breves à ventriculo ad veſicam derivaſſe putavimus; & hiſtoriam ſimilem legi apud *Claudinum* & narrat *Joh. Daniel Dorſtenius* Medicinæ Doctor. Clariſſimus, de acicula deglutita, & infrà cartilagineni ſcutiformem extracta, & puellam quæ eam deglutiverat ſanam vidiſſe teſtatur: de hoc lege meum Scholium ad 21. obſ. *Moinichen.*

ANIMADVERSIO XCIX.

De Vulpis ſanguine ad frangendum calculum Veſicæ.

REfert *D. Timoth. Roſſellus in ſecret. l.* 1. ſanguinem vulpis recentem linteo illinitum, ac ſuprà ſitum veſicæ poſitum, ſtatim calculum frangere; unde ſine moleſtia calculus fractus paulatim exit; Verum de hoc in quodam Rev. Presbytero ſine effectu experientiam feci; poteſt autem eſſe id in aliis eveniſſe, ut teſtatur ipſe *Roſſellus*; Multa enim ſunt medicamenta, quæ in uno corpore faciliter operantur, in alio verò nihil operantur; unde multos noſco antimonii infuſionem ſumentes; ex quibus aliqui purgati ſunt, aliique non, ita ut nec parvam quidem moleſtiam, in ventriculo percepiſſe mihi ſunt faſſi.

ANIMADVERSIO C.

De exceſſiva hepatis magnitudine.

JEcur in homine naturaliter magnitudinem inſignem habet, ſed interdum ita amplificatur, ut excedat naturales terminos ſitu ventriculi tranſacto ad lienem deſcendat, quod accidit partim ex relaxatione vinculorum, quibus diaphragmati ad-

adſtringitur, & nothis coſtis, partimque ex tumore ipſius viſceris ſaburrati, ut notat *Fabricius Hildanus*, qui in Pagano tantæ magnitudinis hepar invenit, ut lobus ſtomachum verſus ſpurias ſiniſtri lateris tranſgrederetur; quod idem confirmant *Andreas Spigelius l. 8. de hum. corpor. fabric. c. 12. Cyriacus Lucius apud Schenckium obſerv. med. l. 3. Dominicus Panarolus pentec. 4. obſerv.* 24.

Interdum autem quoque hepar ſimul, & lien in eodem ſubjecto ſunt eximiæ molis, ut teſtatur *Philip. Salmuth. cent.* 1. *obſerv.* 21. *& Thomas Bartholinus Anatom. reformat. & cent. 2. hiſt. Anatom.* 85. ubi refert de cadavere cujuſdam Angli in quo lien maximum reperiere Anatomici; Tandemque *Clar. Juſtus Schraderus decad. 2. obſ. Anat. med.* 7. in cadavere unius ebrioſi hepar, & lienem ingentis magnitudinis reperit, parenchymate utriuſque viſceris integro, benè colorato; quod confirmat *Matthias Tilingius* referente *Theoph. Boneto Med. Septentr. tom.* 2.

ANIMADVERSIO CI.

De imperitia Chirurgi in vena ſecanda Aneuriſma cauſante.

CLariſſ. *Joh. de Muralto* narrat de quadam fœmina Aneuriſmate extincta, quod aneuriſma excitatum fuerat ab imperitia Chirurgi in miſſione ſanguinis inſtituenda; ipſe enim arteriam perforaverat; Undè patet facilè improvidam Chirurgi manum lugubria poſſe parere exempla, de quibus paſſim apud Practicos, & hìc Ferrariæ perſæpè videre eſt; Multi enim Chirurgi nomen tantum habentes hos, & illos mancos reddunt; quæ pericula tantum attulerunt metum *Eraſiſtrato* ut Venæſectionem omninò damnaverit.

Ab imperitia verò Chirurgorum ferè ſemper exoriri Aneuriſma notum eſt omnibus, quod licet curam aliquando admiſiſſe, ſæpiùs tamen mortem intuliſſe certò conſtat ex ſcriptis *Th. Bartholini,*

Marti-

Martini Bogdani obſerv. 7. *Henric Roonhuyſen l.* 1 *obſ* 4. *Dioniſ. Pomaret. & aliorum.* Me autem non latet poſſe ſtrictioribus ligaturis, & adſtringentibus medicamentis aneuriſmata minora, & in minoribus arteriis, & in iiſdem non admodum profundè deliteſcentibus contingentia, ſanari, & in primis ſi à dilatatione tantum arteriarum, non verò ruptura orta fuerint: quin & recentia: quanto magis enim antiqua ſunt, eò minus curationem admittunt.

Quare in Caſibus iſtis *Th. Bartholinus cent.* 3. *Fpiſt. med.* 54. meritò ſcripſit. *Deum ſoleo precari; ut hujuſmodi caſus, vel avertat, vel meæ curæ ſubtrahat:* Aneuriſma enim ex læſione arteriæ tunicæ excitari ſolet, ideoque raró curationem admittit, de quo plura apud *Guilielm. Rivam. in Ephem. An.* 1. *decad.* 1. *obſerv.* 18.

ANIMADVERSIO CII.

De Antipathia ad Muſicam.

HEnric. *ad Heer obſerv.* 29. *pag.* 253. de puella Nobili narrat quæ quoties campanæ ſonum audiebat, ſtatim animi deliquio laborare viſa fuerit: & *Scaliger. exercit.* 344. refert. jocoſam ſympathiam de quodam Juvene, qui audita phormingis voce urinam illicò facere cogebatur: Dubium autem eſt an urinæ incontinentiam poſſit excitare muſica humores movendo, ut fit in Tarantatis, cum muſicæ vi ſanantur? an vi imaginationis matri o'im impreſſæ? an ob recordationem, quod anteà ob hanc muſicæ ſpeciem hoc ſimptomate correptus fuerit, dequo plura apud *Fr. Valeſium l.* 4. *controverſ.* Hinc ſolo aſpectu carnis ſuillæ riſum ſardonium & quaſi convulſivum excitatum *D. Franc. Franchi* vidit, ut & obſervavit *Franc. Rabelæſus.* Tandemque de famulo ſuo retulit *Borrichio Illuſtr. Boyleus*, quod quoties ille cote cultros acuere audiebat ob ingratum illum in aëre ſtridorem ſanguinem è gingivis profundebat: & ego fateri poſſum ruſticum quendam anno elapſo

vi-

vidiſſe, qui quotieſcumque tympanum pulſare audiebat dolore exceſſivo capitis ſtatim infeſtabatur.

ANIMADVERSIO. CIII.

De China Chinæ.

INutili hactenus conatu omni artis ingenio quæſitum eſt febrifugum ad febres ſiſtendas, aut extirpandas idoneum. Et tandem felici experimento ex vegetabilium cohorte natura inventum præbuit; idque ſimplex, & innoxium omni ætati, & conſtitutioni adhibitum febriles æſtus quaſi faſcino ligans; & cortex eſt cujuſdam arboris junioris quercus non abſimilis, ſapore amarus, & ſubaſtringens, & dicitur China Chinæ, de quo plura apud Donzelum.

Sic autem præſcribitur. ℞. pulv. Chinæ Chinæ ʒ. ij. aquæ fontis ℥. iij. infunde tepidè; & æger bibat aquam longè ante paroxyſmum, vel ſi ab aqua abhorreat in vino infuſionem Chinæ Chinæ faciat, nihil ſumendo ante, & poſt per tres ſaltem horas;

Abſtinendum autem à vini infuſione dum viſcera, & humores nimium incaleſcunt, neque minus febrem ſiſtere uſus oſtendit cum in aqua ſimplici infunditur, quam cum in aqua cichorei, fumariæ bugloſſæ aut cum conſerva cichorei, vel pulpa pomi cocti permixtus ipſe pulvis exhibetur, ut docet *H. à Tencke in inſtrument. ad curat. morb.*

Tempus verò Chinam Chinæ ſumendi duplex eſt, liberum, ſcilicet in curatione regulari, quando non urget grave aliquod ſymptoma, & tunc ſi Medico lubeat, poteſt corpus purgari prius, ac China Chinæ exhibeatur; Coactum autem eſt, cum timor apparet, ne acceſſionis violentia, & prava humorum indole, tum & ſymptomatis alicujus potentia corruant vires; & tunc non eſt corporis expiatio, vel communis præparatio expectanda, prius enim æger deficeret. Pariter dicendum de tempore,

pore, quo præciſè debet ſumi; ſæpius enim proxyſmum ſiſtit ſi exhibeatur 20. horis ante paroxyſmi ipſius initium; maximè ſi non una vice, ſed bis, vel ter conſequenter ſemel in die longè ante acceſſionem ſumatur; Sic enim repetito ictu febrem extinguit, & recidivam tollit; Si autem ſufficiens intervalli tempus deſit, quo febri ſcilicet immunis ſit æger, quod in duplici tertiana hic Ferrariæ ſæpiſſimè apparet; tunc tempore remiſſionis ſumi debet Cortex Peruvianus; cujus doſis eſt ad ℥. ij. & pueris ℥. j. vel ℥. ß. pro ratione ætatis; dum autem repetita ſit exhibitio, ſufficit media doſis; & ſic exhibita China Chinæ prodeſt in tollendis omnibus intermittentibus febribus, & omnibus pariter morbis in quibus inſignis eſt humorum tenuium fermentatio. Advertendum tamen, ne poſt Chinæ Chinæ pulverem propinatum, medicamentum purgans exhibeatur, incandeſcit enim tunc fomes, & febrilis æſtus renovatur, & ſopitum vi pulveris empyreuma rurſus exagitatur; ideòque abſtinendum ſaltem pro menſe à purgantibus, & ſolis clyſteribus alvus laxanda, necnon exquiſita victus ratio adhibenda; Quod autem ſpectat ad operandi ſcilicet Chinæ Chinæ modum, dico breviter cum *Hofmanno comm. in Schrôderi Pharmac.* febres tollere, nec ſenſibiliter, nec inſenſibiliter, ſed per vim præcipitantem febrile fermentum; plura verò de iſtius operandi ratione dat *Willis de Febrib. c. 6.*

Poteſt ex cortice iſto parari eſſentia cujus modum deſcribit *Rolfincius & Sturmius*, paratur, & ſpiritus, extractum, & oleum; Sed ego utor plerumque pulvere modo ſupra dicto cum felici ſucceſſu; de quo plura apud librum cui titulus *Febris China Chinæ expugnata*, *P. Sachſium de febr. interm. ſect. 2. pag. 83.* alioſque.

ANIMADVERSIO CIV.

De eſu rerum abſurdarum.

De gravidarum pica innumera inveniuntur exempla apud Practicos, unde *Philipp. Jacob. Sachſ.* de Pariſienſi muliere narrat, quæ Cleopatræ filia luxurioſa facta, fila multa aurea comedit, & pretioſum ſibi conſtruxit convivium, & hiſtorias ſimiles referunt *G. Hieron. Welſchius*, *Hieron. Reuſnerus*, *Harsdorffius in Theatro Chymico*, *Nicol. Tulpius*, aliique plurimi.

In ſexu autem maſculino rariora ſunt exempla; Dantur tamen aliqui, quibus rerum abſurdarum eſus non fuit nocivus; ſicque Vitrivoros *Fabricius Hildanus* vidit tres, qui robuſtiſſimi, & abſque noxa vitra devorabant, & longa vita gaviſi fuere; Pariter Gallum ſæpè vitra devorantem agnovit *P. Borellus*; Hinc *Uliſſ. Aldovrandus* de Bajulo refert, qui mercede incitatus, mures vivos, clavos, aves implumes, ligna, & vivas anguillas, vorabat, ſine ulla penitus noxa, & per alvum ſine vitæ diſcrimine egerebat; Et *Euſebius Nierembergius*, vidit in Aula Philippica hominem, qui pannos laneos, coria, imò & vivum felem manducabat; Sed hoc parum eſſet niſi quoque *Excellent. Joh. Hoppius Pathologicus Lipſienſis* narraret de quodam, qui præter inteſtina porcellum crudum una cum pilis devoravit; indeque unius ducati pretio ab Adſtantibus exhibito, etiam inteſtina comedit; Tandemque ego hîc Ferrariæ Juvenem noſco, qui arenam ad bonam etiam quantitatem ſine noxa comedit.

ANIMADVERSIO CV.

An Potus ad Pulmones perveniat?

Docuit olim *Plato* potum ad pulmones devenire, & *Hippocrates lib. de Corde* potus portionem ad pulmones ferri putavit,

putavit, cui conſentit *Galenus* 2. *de ſimpl. medic. facult.* & antiquis ſæculis hanc fuiſſe opinionem, ex Græcorum Poëtarum carminibus patet, ut videre eſt apud *Got. Moebium fundam. med. c.* 13. Quod probat *Laurentius* variis rationibus, ut & faciunt *Mercatus*, *&* *Sennertus lib.* 2. *Med. Pract.* Verum ut veritatem fatear, & ut meum in hoc aperiam ſenſum, dico falſiſſimum eſſe quicquam potus ad pulmones ferri; nam ſi è bronchiis liquor ad arterias penetrare poſſet, eadem facilitate ſanguis ad bronchia veniret, & ſic ſputo cruento ſemper laboraremus; & ſi aliquid potus ad pulmones penetraret, bronchia in potatoribus faciliter implerentur, & aſthma, & moleſtiſſima tuſſis oriretur.

Aſperam enim arteriam nihil niſi cum magna tuſſi, & ſumma moleſtia retinere poſſe, quiſque in ſe ipſo experiri poteſt, ſi minima portiuncula potus ad hanc partem perveniat. Hinc *Anacreon Poeta* acino uvæ paſſæ ſuffocatus, & *Fabius Senator* poto in hauſtu lactis pilo ſtrangulatus fuit; & *Alexauder Benedictus* meminit, matronam filio pilulam ſumere nolenti in aſperam arteriam digitum immiſiſſe, & ex eo ſtatim ſuffocatum periiſſe; Quin multis etiam rationibus probat *citatus Moebius*, nullum potum ad pulmonem pervenire poſſe; idemque docet *Ariſtoteles l.* 3. *de partib. animal. c.* 3. dicendo; *Si quid vel cibi vel potus in arteriam dilabitur, ſtrangulationes; tormina, & tuſſes graves incitantur*; Quare non audiendi ſunt illi, qui potum, ad pulmones meare dicunt; nam aſſumptis purgantibus medicaminibus, pulmones urerentur, & exulcerarentur; purgantia enim plerumque urente ac noxia facultate prædita ſunt, ut notat *Jul. Recalcus Ferrarienſis noſter de ſimil corp. nat.*

ANIMADVERSIO CVI.

De Lachrymis.

CRedidit *Empedocles* lachrymas fieri, ex attenuato, & eliquato cruore; *Job. Baptiſta Scortias* ipſas ab animali ſpiritu gigni in angulis oculorum voluit; & *Ariſtoteles* ſcripſit lachrymas vaporem quendam ſeu ſudorem eſſe; Hinc alii cum *Carthesio* ex vaporibus condenſatis lachrymas efformari dixerunt, & ab hac opinione diſtare non videtur *Georg. Nyſſenus*, *Moletius*, & *Conringius*; multi lachrymas eſſe tenue excrementum oculorum tradiderunt inter quos *Septalius*, *Jul. Caſſerius*, & *Aquapendens* ſic ſentiunt; Alii eſſe ſerum ſanguinis; portionem potulentæ materiæ nonnulli voluere: Aſt poſtquam autopſia patefecit vaſa lymphatica ad oculos deferri, ſupracitatæ opiniones tanquam futiles, ac flocci faciendæ, putatæ ſunt à ſanioribus Anatomicis, inter quos præcipuè de lymphaticis oculi ſcripſit *Nicol. Steno* inſignis Adenographus; Relicta igitur, *Diemerbroeckii* recenti opinione, qui putat, lachrymas eſſe pituitoſi humoris in cerebro collecti, tenuiores ac ſeroſiores particulas, ex oculorum antris effluentes; dico lachrymarum materiam, à lymphatico humore ad oculos per propria vaſa delato præſtari, & non tantum ad lachrymas generandas deportatur ad oculum lympha, ſed quoque ad continuam, oculi humectationem; quam quiſque percipere poteſt in ſe ipſo; Quotieſcunque igitur lachrymarum proventus ab oculo emanare proſpicitur, anaſtomoſes iſtorum lymphaticorum vaſorum aperiuntur, vel ob nimiam tenuitatem lymphaticæ materiæ, vel ob non debitum motum oculi quod contingit in lugentibus, & ridentibus, vel etiam ſi placet dicere, ab imaginatione; & ſi prædictorum vaſorum Anaſtomoſes, continuò ſint apertæ tunc continuò illachrymat oculus,

lus, & affectus oritur, vocatus à Medicis involuntaria, & aſſidua oculi illachrymatio; tandemque non nego ab acredine, & ſalſedine lymphæ poſſe ſtimulari Anaſtomoſes, ad lachrymas effundendas. Plura verò de lachrymis cupienti, dabunt *Nicol. Steno*, *Warthonus*, *Diemerbroeckius*, & alii recentes Anatomici.

ANIMADVERSIO CVII.

De Nicotiana, vulgò Tabaco.

Optimè ſcripſit de variis nominibus Nicotianæ *Schroderus*, & cum eo *Frid. Hofmannus* ſufficiet igitur dicere Nicotianam nomen accepiſſe à Nicotio inventore, & à Provincia in Indiis *Tabaco* dicta, ubi primum inventa fuit, & etiam nunc abundat copioſè; Tripliciter dividitur Nicotiana à ſupracitato *Schrodero*, nimirum in maximam, minorem, & minimam, majorem autem in marem, & fœminam dividit ipſe *Joh. Schroderus*. Verùm *Franc. Hernandez* duas tantum adducit ſpecies Nicotianæ, cujus vis in acerrimo ſale volatili conſiſtit, ut docet *Clar. Ettmullerus in Schroder. dilucid. par.* 1.

Nonnulli Tabaci uſum valdè noxium eſſe cenſent, quos improbat *Primeroſius de errorib. popular. lib.* 4. obſervantur enim omnis generis homines nihil moleſtiæ ex hoc percipientes, & maximè hic Ferrariæ, ubi tanta eſt in Tabaco aſſumendo luxuria, ut multi potius abſque pane, quam ſine Nicotiana vivere velle audiantur; Verùm niſi ob immodicum uſum nihil incommodi percipitur; omne enim immodicum vertitur in vitium; Hinc *Ludovicus Mercatus* ſummis extollit laudibus Nicotianæ pulverem, & variis in morbis commendat; Cenſendum tamen moderatum eſſe debere ipſius uſum, & magis convenire, craſſis corporibus, pituitoſis, catarrhoſis, ob

ob calefaciendi, & ſiccandi vim; & ſi melancholici moderate utantur non multum nocere ſolet Tabaci pulvis.

Folia autem Nicotianæ ſiccata aſthmati auxiliantur, & inſpiratus ejus fumus uterinis etiam confert affectibus ut notat *Frid. Hofmannus.* Caput roborat, ſomnum inducit, dolores ſedat; quin folia ejus virentia manibus oleo percunctis emollita, ac igne calefacta, & ori ventriculi, dorſoque impoſita, coctionem juvant, & appetitum promovent. Succus illius vulnera ſanat, & dolores dentium tollit, necnon ſcorbuto auxiliatur;

Ulterius Nicotiana vim purgandi poſſidet, quam experiuntur illi, qui præter voluntatem ejus fumum deglutiunt ut notat *Thom. Bartholinus cent. 6. hiſt. 66.*

Paratur extractum Tabaci cum aqua vitæ, & ad piſi magnitudinem linguæ impoſitum, magnam pituitæ copiam elicere docet *Riverius*, advertendo ne moles excedatur, alias vomitus excitabitur moleſtus, ſi in ventriculum illabatur. Ex foliis autem ejuſdem aqua deſtillatur, & paratur ſyrupus, & oleum, de quibus apud *Joh. Schrôderi Pharmacopœam.*

Notandum verò Nicotianam in potu datam ventriculo, ac inteſtinis adverſari; & dubitatur, utrum fumus ipſiùs pulmones lædat, calida enim eſt planta; imò acris, ac vellicans ſive natura, ſive arte, nam pulvere euphorbii, pyrethri, piperis, aliorumque acrium aromatum lucri cauſa à fraudulentis Nicotiana inſpergitur; unde melius eſt, ab hac abſtinere, ne pulmones offendantur; ut advertit *Nic. Tulpius lib* 1. De Tabaco autem plura videri poſſunt apud *Joh. Neandrum in Tabacologia*, *D. Simon. Paulli comment. de abuſu Tabaci & herbæ Theæ*, *Frid. Loſſium conſult. 56.*, *& Nicol. Monardes Hiſpanum.*

ANE

ANIMADVERSIO CVIII.

An Aſthma ſit ſine febre?

ASthma eſſe ſine febre, & differre à reſpiratione illa læſa quæ fit in febribus, vulgata fuit opinio, de quo *Sennertus* ſuſpectam tamen tenet hanc doctrinam *Carolus Piſo*, & cum eo *Bernard. Langwedelius*; cum enim aſthma à ſeroſo humore originem habeat, in qua plerumque circa inſignes temporum mutationes, in quibuſdam ei obnoxiis febris excitatur, & febrem adeſſe experientia teſtatur; ſed eſt ea blanda, & halituoſa, qualis etiam alios morbos à fervore, & motu ſeroſi humoris ortos, ut arthritidem, catarrhum, & hujuſmodi fluxiones commitari ſolet: licet contrarium teneat *Gualter. Bruele in Pract. medic.* Verum quia in pulmonibus obſtructa ſunt bronchia hoc ſanè abſque febre, niſi raro fieri poteſt; ſi enim in aliquo loco ſanguis ſiſtat, motum ejuſdem inordinatum excitari eſt neceſſe, qui inordinatus motus eſt febris.

ANIMADVERSIO CIX.

De Pulſuum obſervatione.

PUlſuum differentias propoſuit *Galenus* & tot, taleſque adnotavit *Sennertus*, ut potius confuſionem, quam doctrinalem eruditionem faciant; Hinc pulſus differentias ſex ſolum eſſe ſcripſit *Th. Burnetus Theſaur. med. Pract. tom.* 2. videlicet pulſus magnus, & parvus, tardus, & velox, rarus, & frequens, æqualis, & inæqualis, plenus, & vacuus, vehemenſque ac debilis; & nugæ futiles præter has, differentiæ à *Galeno* traditæ creduntur à citato *Burneto*; quod quoque mutatis

tis verbis confirmat *Joh. Baptiſta Montanus conſil.* 256. aſſerens ſplendidum eſſe mendacium aſſerere pulſum dari ſerinum, dum iſte pulſus durus, & frequens ſit; Confabulari verò Medicum paululum debere, ante quam pulſum tangat docuit *Joh. Riolanus de offic. Medic.* nec tantum unum, ſed omnes duos pulſus bis tangere oportere idem Auctor ſcribit, ne forte una vice deceptus febrem non præſentem falsò accuſet, quod accidit illis, qui quotidiè in Xenodochiis confabulantes, & ridentes ægrotis pulſum tangunt, ut curent morbos, quos adhuc neſciunt, quia attentè miniſterium medicum, ut facere deberent, non agunt.

Si autem quis, ut accidere poteſt, pulſibus brachialibus careat, ut narrat de uno Capitaneo *Amatus Luſitanus* tunc Medicus, vel temporum arterias, vel arteriam in pede ad ſecundum digitum poſt maximum ſitam tangere debet, ut febris eſſentiam, & tempora noſcat; Plura verò de pulſu videre eſt apud *David. Abercrombium in libello de variatione & varietate pulſuum*, *Sennertum*, *Galenum*, *Angel. Victorium Balneoregienſem in conſult.* 81. *Pamphil. Montium Bononienſem in Method. medendi*, *Savonarolam*, & alios.

ANIMADVERSIO CX.

De ſiderum conſideratione in Medicis operibus.

Siderum influxus magnam efficaciam in corpora noſtra habere dictavit *Hippocrates*, dicens *in Aphoriſmis: ſub cane, & ante Canem difficiles ſunt purgationes*, & hujus aphoriſmi optimam gerit explicationem *R. à Fonſeca*, ſua naturali præſtantia: *Fr. Bencius* autem Medicorum Italiæ ſuo tempore Princeps, teſte *Joh. Manardo lib. 2. epiſt.* 1. nihil unquam cœleſte obſervavit ſed quoties occaſio urgebat, & purgationem, & ſanguinis miſſionem imperabat, nullo conſiderato Lunæ congreſſu, magis obſervans pulſum, quam ſidera, quod etiam juſſit *Rolfincius*

ſincius lib. de febrib. cap. 85. & licet *Hippocrates & Avicenna* aſtrorum conſiderationem ſuadeant, tamen *Galenus*, Lunæ mutationem aliorumve ſiderum ortum, & occaſum non obſervavit; ut & faciunt plerique Ferrarienſes Medici, qui nil cogitantes de Luna, & Sole, modo mittunt ſanguinem, modo purgationem inſtituunt, dummodò morbi cauſa poſcat, edocti in hoc à *Clar. Manelpho lib.* 2. *de febribus* qui docet pharmaca in novilunio &c. exhibita nihil detrimenti afferre poſſe: & licet notet *Samuel Camerarius* in ſeipſo difficilem fuiſſe purgationem die novilunium præcedente, tamen hoc non tollit operationes medicas in novilunio, &c. quia hoc tunc accidit ob pravam humorum conditionem illius *Camerarii*, vel ob incongruam medicinæ purgantis aſſumptionem; Nos vero docet experientia infinitos fere, & in plenilunio &c. purgari ſine ullo vitæ detrimento; Urgente enim neceſſitate quovis tempore purganda ſunt corpora; nam ſi morborum urgeat vehementia, ſane non intermittenda medica auxilia, ſed eadem hora, ut etiam dixit *Hippocrates* ægro debet medicamentis ſuccurri; quocirca etiam animadvertendum cum *Frid. Hofmanno Hippocratem* non dixiſſe, ſimpliciter non eſſe purgandum ſub cane, & ante canem, ſed tantum purgationem eſſe difficilem; unde illa difficultas purgationis, non tollit purgationem convenientem dummodò morbus eam poſcat quocunque tempore, de quo plura apud *Anton. Ponce Sancta Crus de imped. magn. auxilior. Bartholom. Pietragraſſam in polit. medic. & Mich. Angel. Ruzenentum de ſider. influxu.* haberi poſſunt.

ANIMADVERSIO CXI.

De Thermarum noxia in Arthritide.

INter vitæ impedimenta ponit *Helmontius* frequentem thermarum uſum; licet certum ſit aliquando proficuum fuiſſe

in nonnullis arthriticis; ſed quid fuit de minera morbi? hæc intacta relicta, ſuis conſtans in fermentis, ferocior facta, propriam in corpore humano exercet tirannidem, ut optimè advertit *Clar Frid. Hoffmannus in Method. med. l. 2.*

Hinc *D. Omichius in epiſt. 7. lib. 5.* ſummoperè Thermas deteſtatur inquiens *Thermarum uſum in arthritico affectu adeo malè ipſi ceſſiſſe, ut contracto exinde calore hectico ferè non ſolum contabuerit; ſed & paroxyſmis longè frequentioribus, & acerbius ipſum prehenderint; & neminem novi qui uſu Themarum ab Arthritide liberatus ſit:* Et hic non deſunt qui thermis nonnullis arſenicale quoddam virus, quod poteſtatibus vitalibus inimicum ſit, tribuunt; ut ait *F. O Grembs lib. 3. de brevit. Vitæ;* quamvis præter hanc deleteriam qualitatem, arcanis aliquibus è mineralium Claſſe petitis, non ſint deſtitutæ, dum experientia conſtat in multis lypothimias, atrophias, viſcerum eroſiones, & alia admiranda ſymptomata produxiſſe, de quo *Thom. Eraſtus contra Paracelſum, T. Zwingerus in præfatione, Ardroynus, & Oporinus*, ſcripſerunt; & de hac re plura vide lector benevole, apud *Moſerum de abuſu Thermarum, & acidul. & Baconem de Verulamio in hiſtor. Vitæ, & mortis.*

ANIMADVERSIO CXII.

De Febrifugis.

Diſtinctionem febrium fermentum febrile quod ex diverſis elevatur ſubjectis, parit; Unde in intermittentibus cauſa occaſionalis in primis hæret viis, ventriculo nempe, inteſtinis, & reliquis partibus adjacentibus; Ardentium autem continet ipſa ſanguinis maſſa, quæ vel aliunde corrupta, maligna, & venenata eſt vel inteſtinum gerit bellum; Hinc continuarum periodicarum ſubjectum inhæſionis, ſeu minera vel eſt in meſenterio, pancreate, vel in aliis partibus corporis ſanguinis defæcationi deſtinatis;

In

In harum verò omnium febrium cura Medicus ſcopum habere debet ad ebullitionem ſanguinis, quæ ſola paroxyſmum febrilem gignit, ſedandam atque impediendam; id quod ſpecificis antifebrilibus, materiam febrilem præcipitantibus ſolùm haberi deberet; cui indicationi in febribus intermittentibus inſerviunt illa quæ vel fundendo, & exagitando cruorem, febrile fermentum præcipitant, ex quorum cenſu ſunt Sal Cornu Cervi, vel Viperinum fixum, ſal Abſinthii, ſpiritus ſalis Ammoniaci, ſal antifebrile *Moebii*, Tinctura Bezoardica *D. Joh. Michaelis*; & *P. Poterius* in duplici tertiana exhibet ſalis centaurii minoris ʒ. ß. cum ſpiritus Vitrioli gutis v., in aqua appropriata; *P. Barbetta* cui conſentit *Frideric. Deckers* Sal, Cardui Benedicti, & Abſinthii, cum Tartaro vitriolato & Saccharo perlato in febribus evincendis commendat; Quin in dictis febribus nonnulla Alexipyreta, cruorem figendo, & conſtringendo, effervescentiam febrilem compeſcunt, qualia ſunt pulvis radicis Tormentillæ, ſuccus plantaginis, Cornu Cervi uſtum, & ppt., Alumen. &c. hujuſmodi de quibus plura apud *Frid. Hofmannum in libro cui titulus Febris China Chinæ expugnata.*

ANIMADVERSIO CXIII.

De ſiti non toleranda in febribus.

Reprehenſione digni ſunt aliqui medici noſtri temporis, qui febricantes ſiti macerant; & non paucos ſitis tolerantia perdunt, ut refert *Langius l.* 1. *epiſt.* 10. Tolerare autem ſitim in febribus eſt martyrium ſine juvamento; nam ſi poſt toleratam ſitim febres ceſſarent, ſitis tolerantia bonum pareret effectum, verum febres ſemper crudeliores evadunt; ergo bibendum: Narrat enim *Panarolus pentec.* 4. anno. 1649. infinitum ægrorum numerum, è vivis ſublatum fuiſſe ob denegatum à Medicis potum: Sectis nam cadaveribus, ven-

 tri-

triculum, cor, & pulmones, & reliqua viſcera tanquam exuſta obſervavit citatus Auctor; Importunam autem ſitim tollendi modum tradit ſua naturali præſtantia *Fr. Sylvius de le Boë Prax. med. l.* 1. *c.* 29.

ANIMADVERSIO CXIV.

De mortuo fœtu fracto, & è corpore emiſſo.

VIdi hic Ferrariæ anno elapſo mulierem 30. annorum quæ fœtus mortui digitos, & manum integram per vulvam emiſit; oſſa vero majora, tibiam radium, coſtas, per poſticum cum excrementis depoſuit; tandemque magnis cum doloribus totam calvariam cum cubito ejecit; ſana autem facta, nunc etiam vivit.

SCHOLION. Similem hiſtoriam refert *Marcell. Donatus Med. mir. lib.* 4 & fœtus mortui per alvum excreti exemplum ſcribit *Marſil. Cagnatus obſerv. var. lib.* 4. ut & facit *Ægidius de Hertoghe in epiſt. ad Mathiam Cornacem*; quin & *R. P. Chriſtini*, oſſa fœtus per umbilicum expurgata vidit; Hoc autem eſſe opus mirabiliſſimum naturæ, & maximè perpendendum, ob imperſcrutabiles vias, per quas natura fœtus mortui oſſa, ad alvum, aliaſve partes traducat, ſine mulierum nece, dicendum eſt; nulla enim ſine matricis, & inteſtini recti fractura, eſt via, tutò ducens oſſa fœtus ad alvum; ſi quis verò eſſet, qui has vias ſciret, ipſum, ut eas me doceat, toto pectore exoro.

ANIMADVERSIO CXV.

An Laryngotomia conveniat in curatione Anginæ?

PRactici quæſtionem agitant, Num ſcilicet in Angina, morbo tam pernicioſo, poſſit tutò ſecari aſpera arteria, ut æger

æger à mortis faucibus abripiatur? quapropter territi Medici ab *Hippocrate lib. 6. de affect.* dicente oſſa, Cartilagines, nervi diſciſſi non augentur, nec coaleſcunt, cum hoc vulnus ſit inſanabile, nequeunt poſtea hanc edere operationem, verùm enim vero cùm bene conſtet oſſa & Cartilagines coaleſcere, hinc eſt quod ex hoc capite poteſt tentari operatio hoc etiam docente *Jul. Caſſerio lib.* 1. *c.* 20. Ubi agit de Laryngotomia; in eximiis enim morbis melius eſt anceps experiri remedium, quam nullum, quare cum *Theoph. Boneto in ſuo Mercurio compit. l.* 1. *&* *Joh. van. Horne* poſſe hanc tutò fieri in deſperata angina indubitanter affirmo, quemadmodum fecit *Braſavolus*, *&* *Tulpius* qui in obſervatione 50. *lib.* 1. narrat de quodam aſperæ arteriæ vulnere ſanato; unde colligendum eſt cum *Lazaro Riverio*, *Avicenna Paulo Ægineta*, *Galeno*, *Sennerto*, aliiſque Medicinæ Practicis hanc poſſe fieri operationem in angina laborantibus deplorata tamen propter infamiæ metum quæ Medicis impendet, dum æger poſt operationem occumbat, quod ut plurimum contingit, & mors operationi potiùs quam morbo tribuitur, quamtumvis Medicus præmiſſo prognoſtico lethali ſe adverſus calumnias munierit; hic autem adverto *Hieron. Fabricium ab Aquapendente* ſe nunquam hanc operationem molitum fuiſſe, ſed tamen exacte docere modum hanc conficiendi in ſuo lib. *de Chirurg. operat. cap. de perforat. aſperæ arteriæ in Angina*, & licet *Areteus* *&* *Aurelianus* hanc operationem experientia deſtitutam eſſe credant, tamen corriguntur à *Sennet. pract. lib.* 2 *part.* 1. *c.* 25. *quæſt.* 5. quare demum concludere mihi fas ſit bene poſſe, tamen à perito Chirurgo in deſperata angina bronchotomiam exerceri, ut fortè auxiliatus in reſpiratione, æger non ſuffocetur; & hæc dicta ſufficiant pro ſolutione quæſitûs, an ſcilicet ſecanda ſit trachæa in angina laborantibus.

ANIMADVERSIO CXVI.

De dolore fluxuque Hæmorrhoidum.

HÆmorrhoidales venæ quæ in Recti Inteſtini extremitate ſunt, variis, & ipſæ, ut aliæ partes corporis, afficiuntur morbis, tumores enim ſæpè patiuntur, multoties inflammationem, aliquando dolorem, & fluxum ſanguinis; quæ quidem venæ duplices ſunt unà videlicet interior, quæ ſuam arteriam cognoſcit, & à ramo ſplenico oritur, alia externa, quæ à ramo venæ cavæ epigaſtrico naſcitur, & ad podicem in varios venæ ramulos dipartitur, hinc quia ſanguis, ut & per alias venas, & per iſtas traducitur, ità ſi aliæ variis fluxionibus, & doloribus, morbiſque ſubjectæ ſunt, ita iſtæ frequenter fluxionibus doloribusque afficiuntur, qui quidem fluxus, ſi naturalis ſit, ac intra bonos limites incluſus, tunc nullum ſequitur malum, immò dictante *Clar. Riolano* à magnis liberat morbis; verum ſi præternaturalis fiat fluxio, tunc læduntur actiones, undè eſt quod inter morbos connumeretur; Fluxus igitur hæmorrhoidum eſt nimia cruoris per venas, arterias hæmorrhoidales fluxio cum dolore, virium debilitate aliiſque pravis ſymptomatibus conjuncta; Cujus cauſæ immediatæ ſunt apertio, aut diruptio iſtorum vaſorum, vel ſi *Meyſſonnerio* credimus immediata cauſa eſt impedimentum ſpiritus animalis hæc vaſa conſtringere, & claudere non valentis, cauſa vero mediata eſt, vel plenitudo vaſorum nimia, vel dum ſanguis peccat qualitate quando ſcilicet cruor acrior evadit, ac par eſt, vel tenuior, quod quidem efficere poteſt, vel per calorem nimium, vel per maximam ſeri lymphæque mixtionem & particularum ſulphurearum nimiam exaltationem.

Cognoſcitur autem hic fluxus immodicus ex proſtratione virium, & imbecilitate, quam ager percipit ab aſſi-

duitate fluxionis, tum quoque ex malo corporis colore ad flavum vergente ita ut æger ictero laborare videatur, ut ait *Clar. Riverius in prax. lib.* 10. *cap. de hæmorrhoid. Flux.*

Quoad prognoſim ſpectat primò deſumenda venit ab *Hippocrate* docente hæmorrhoides inveteratas periculum facere hydropis aut tabis, quod etiam confirmat *Raymund. Joh. Fortis conſult. 99. cent. 2. tom.* 1. ſecundò ſi morbus perſeveret, nec remediis cedat, certum ſignum eſt ægrum morte inpropinquo eſſe: Aſt aliquid dicamus de hæmorrhoidum dolore, circa quod notandum aliquas eſſe hæmorrhoides cæcas ita dictas, quia nunquam aperiuntur ad cruorem emittendum, ſed quando implentur, tumorem, & inflammationem, ſi in illis fluxus humor inſiſtat, pariunt, unde ſi cruor in iſtas fluens multis acribus particulis ſcateat, nullum erit dubium, quin dolor ſuccedat, tunc enim vellicabuntur venæ quæ membranaceæ, ac ſenſu præditæ ſunt; quare quotidiè occurrunt in praxi medica varii homines hæmorrhoidum dolore afflicti fatentes unum ex immanibus eſſe cruciatibus: tota die enim ſævis diriſque anguntur paſſionibus ægri, itaut videatur illam partem ſemper ſtilo compungi, & acubus perforari, unde ſi non maturè ſuccurantur ægri, ut docet *Sennertus*, metuendum eſt ne ratione magnæ humorum attractionis inflammatio, ulcus, vel fiſtula, vel aliud grave malum excitetur, de quo plura apud *Fromman. de hæmorrhoidibus.*

ANIMADVERSIO CXVII.

An vinum conveniat in curatione Lethargi?

AGitant quæſtionem Medici, an ſcilicet in Lethargi curatione ſit ægris præbendum vinum, quare lecta morbi iſtius eſſentia

eſſentia apud Practicos, videtur primum *Hippocratem* 3. *de morbis* vinum interdixiſſe, & meritò, quia capitis plenitudinem auget, ac narcoticum eſt febremque auget: Verùm ſi cum *Zacuto pract. l.* 1. *c.* 5. conciliemus auctoritatem, dicemus vinum in lethargi curatione eſſe concedendum, nam tunc loquitur *Hippocratus* de lethargo cum putredine, & corruptione humorum quæ ferè unquam meo judicio conceditur: verum conceſſo quoque quod daretur, neque improbari poſſet; vinum enim in corruptione tanquam Alexiterium commendatur, ut notat *doctiſſ. Bonetus*: quod ſi *Alexander Trallianus* in phrenitide vinum probat, quanto magis laudandum erit in lethargo, ubi calefaciendi, & exſiccandi ſunt ſcopi, adeò ut vel caſtoreum exhibeatur, vel oleum, ſuccinum, licetque videatur vinum in hoc affectu nocere quia vapore ad caput elevat, tamen cum nullæ ſint viæ propter quas à ventriculo ad cerebrum tranſmitti poſſint illi vapores, ut ſomniarunt aliqui ex antiquis, & nunc ſomniantur antiquorum dogmatum mancipia, quæ ut unum tantum Veterum erratum defendant, infinitos poſtea errores dicere non erubeſcant. Ideo vinum in hac affectione debellanda, ut *Avicenna* docet calefaciendo, & exſiccando prodeſt; adeo ut *Galenus* ait in modica quantitate apparente coctione in urina exhibitum vinum non parum conferre; craſſos enim vapores attenuat, & humores ſomnum efficientes concoquit, ut confirmat *Zacutus Pract. l.* 1. *c.* 5. & *Joh. Fortis conſult.* 28. *Cent.* 1. vinum in curatione lethargi commendat, ut facit *Hippocrates* 2. *de morbis* dicendo, *Album vinoſum poſtea bibendum dato*, & vinoſum dicit ad differentiam aquoſi, nam aquoſum caput replet, nec reſolvit, vinoſum vero adjuvat coctionem, & materiæ reſolutionem, ut notat *Joh. Fortis loc. cit.*

ANI-

ANIMADVERSIO CXVIII.

De Hydrocephalo ſanato.

PUer quidam annorum 7. natus à parentibus Lue Venerea infectis, laborabat tumore magno cum materia ſub cute undulante in capite, emplaſtroque ſequenti adhibito diſſipata materia fuit ſub cute jacens, & æger benè ſe habuit ac modo proſpera utitur valetudine. Emplaſtrum verò ſequens fuit ℞. *Radic. Ebuli recentis* manip. vj. *Cortic. externi ſambuci* m. jv. *fol. cucumeris aſinini* m. j. *malvæ* manip. ij. *Altheæ betonicæ*, *ana*, manip. j. *ſurfuris macri.* m. jv. *Flor. Chamomillæ* m. iij. *Meliloti*, m. ij. *abſinthij exſiccati*, m iij miſce decoque in aquæ Font. q. s. Piſtent. addendo *Unguenti Agrippæ* ℥. iij. *farinæ Hordei* q. s. miſce & fiat cataplaſma S. A. ex quo medicamine cum materia multa effluxiſſet aquoſa, factus eſt ſanus.

ANIMADVERSIO CXIX.

An Vomitoria conveniant in ſingultu?

SIngultus infeſtat ventriculum, & à materia viſcida tenaci, necnon acredine imbuta irritando ventriculi, ac œſophagi fibras ſingultum affectionem peſſimam inducit, & quouſque materia illa viſcida, & tenax non deperditur minimè fugatur affectio: Verum nihil præſtantius eſſe credo in illius expulſione quam vomitum excitare, ut docet *Luc. Tozzi*

zi in prax pag. 15. *p.* 2. Vomitu enim mediante, expellitur hujus affectionis cauſa; & humores viſcido-acres per os rejiciuntur: Quamobrem poſtea *Clar. Franc. Sylvius* dixit ſe vomitoria, & præcipuè Antimonialia in hujus affectus curatione ſæpè adminiſtrare, certus factus ab experientia medicamenta iſta promiſcuè humores omnes evacuare, quod confirmat *Gualter. Bruele Method. curandi ſingultum* aliique plurimi: ſed ne ab experientiis aſſertum hoc dereliquatur adverto quendam Juvenem febri duplici tertiana laborantem cui in quarta ſupervenit ſingultus, aſt propinato vomitorio rejeciſſe magnam copiam humoris lymphatico-viſcidi quo ejecto, & febri, & ſingultu immunis evaſit, de quo plura apud *Joh. Jonſtonum.*

ANIMADVERSIO CXX.

De venæſectione in Hepatis obſtructione.

CONtrovertitur inter Practicos, an ſcilicet ſecanda ſit vena in Jecore obſtructo, circa quod notandum cùm *Capivaccio l.* 3. *c.* 20. in Jecoris obſtructione venam eſſe ſecandam, quando obſtructio ſit antiqua, & hoc non ſuperficialiter intelligendum, nam ſi ſemper expectare velimus, donec antiqua fiat obſtructio, hæc ſanè ita augebitur, ut valdè ſit periculoſa, unde *Avicenna* inſinuat ſanguinem effodi, cùm hepar obſtruitur; tunc enim tota humorum maſſa vitioſa eſt; ulterius, cùm non detur obſtructio in ſanguineis ductibus, quin etiam ſemper detur motus inordinatus cruoris, qui febris eſt; Ideo debemus ſanguinem mittere, docet enim *Galenus* ſanguinem mittendum eſſe, in quibuſcunque febribus *in meth med c.* 11. quod etiam docet *Maceratus* immò ait oportunam eſſe ſectionem ſalvatellæ in obſtructionibus Hepa-

Hepatis, ni alio, ſaltem ut temperetur Jecoris fervor qui in tali caſu ob materias ſtagnantes eſt communis; Hinc *Cl. Joh. Fortis tom.* 1. *conſ.* 18. *cent.* 3. dicit præſtantiſſimum eſſe in hoc caſu remedium aperire Jecorariam, & ſanguinem ad unc. vij. detrahere, præmiſſis præmittendis, & *Guern. Rolfinc* nullam ſine Venæſectione Jecoris obſtructionem ſe unquam curatam vidiſſe teſtatur.

ANIMADVERSIO CXXI.

De venæſectionis præſtantia in aſthmate.

IN Aſthmatis paroxyſmo ſtatim venam ſecandam eſſe ſcribit *Doct. Joh. Fortis conſ.* 7. *cent.* 2. & clare evincitur exemplo ſequenti. Domina Lucia Carli die 11. Novembris anni 1684. quinquemeſtris, tam ſævo accidenti aſthmatico laborabat, ut ferè ſuffocaretur: Facta autem ſtatim larga venæſectione in dextro pede ad unc. x. boni ponderis, melius ſe habuit adeò ut quæ antea non loquebatur, dum ſanguis exibat, loquelam capiebat: & poſtea optimè nocte ſine interruptione & labore uſque ad ſeq. mane dormivit, qua ſana omninò inventa fuit.

ANIMADVERSIO CXXII.

An in Peripneumonia linimenta conveniant?

MEdicinæ inter inſtrumenta ſordida magis, ac meo judicio incongrua in Peripneumonia primum obtinent locnm linimenta, nam quid faciet quæſo Butyrum? quid oleum amygdalarum dulcium? & alia linimenta, quæ medico-

rum vulgus ſuæ ignaviæ eligit in aſyla; ſi enim agere deberent unctiones in noſtro caſu ad ſubſtantiam pulmonum penetrarent; verum quomodo hoc unquam præſtabunt, nam ſterno thorax imbuitur, parte quidem tam firma, & valida ut nonnulli illam eſſe oſſeam affirment; quomodo per pleuram, & alias partes quas tranſagere debent, ut tandem ad nobiliſſimam pulmonum fabricam deveniant; Tantæ enim activitatis non eſt butyrum &c. ut proprias confundant in pulmones particulas, qua propter a *Clar. Leonardo à Capua* merito iſtud medicamen tanquam circulatorium judicatur Ideòque nonnulli ſunt recentes Medici qui linimenta in pulmonum inflamatione repudiant; niſi forte iſta adhibere velimus vulgum ſequendo, & proprias fovendo ignavias, & ne aliquis putaret nos fortaſſis medicaminibus, tam privari ut etiam unctionibus orbemur; Quare non ut proſint linimenta in curatione Peripneumoniæ adhibenda ſunt, ſed ut indoctorum Medicorum nomen effugiamus.

ANIMADVERSIO CXXIII.

An in Lumbricorum cura deceant dulcia?

MEdicæ intentiones in vermium curatione ſunt vermes necare, expellere, novum eorum proventum inhibere, & ſymptomatibus occurrere; Unde *Clar. Joh. Fortis conſult. 95. cent. 2. tom. 1.* ſtatim ventrciulum, & inteſtina ab excrementis liberare, & vermium pabulo expedire leniente aliquo medicamento convenire aſſerit, vomitum enim provocare non licet, ne vermes ab inteſtinis ad ſuperiora provocentur, ubi graviora poſſent inducere mala; Communis autem ſententia docet ad amara in vermium curatione eſſe confugiendum; verum ab illa ego diſſentio dul-

dulcia illis longè præferens quia vermes dulcium cauſa ab inteſtinorum morſu revocantur, & ad exitum per ſeceſſum diſponuntur, quare benè cum allato Auctore mannam commendo in jure Cinnamomo alterato diſſolutam & tribus poſt horis aquam multam dilutam, ex aqua Hordei paratam bibitam laudo ut vermes ad inferiora ejiciantur, & inteſtina abluantur: horis verò veſpertinis clyſtere injecto, ex lacte, butyro, & ſaccharo; Quod etiam dulcia ad vermium curationem conducant patet ex *Wedelio*, *Tozzio*, *&* *Boneto* aſſerentibus mel, & alia dulcia optima eſſe in iſtorum profligatione, adduntque cum *Sennerto*, & Decoctum Sebeſten. expertiſſimum eſſe medicamentum, & unus ex ipſis fatetur, quendam Medicum Saxonum pueros verminoſos feliciter paſſulis curaſſe, & *Riolan cap. de vermib.* clyſteres ex lacte, ſaccharo, & melle commendat, necnon *diligentiſſ. Franc. Redi*, ait ſe multoties poſuiſſe vermes in humoribus dulcibus, & amaris, & obſervaſſe citius perire vermes poſitos in humore dulci; ſignum evidens vermes à dulci facilius fugari, quam ab amarò; Unde ſileant mulierculæ noſtræ credentes ex nimia dulcium ingurgitatione vermes ſuccedere.

ANIMADVERSIO CXXIV.

De Paracentheſi in Thoracis hydrope.

UNicam eſſe in pectoris hydrope opem Paracenteſim omnes ferè Practici volunt; ſecto enim pectore cauſa morbifica evacuatur, ità ut ægri alacriores contra morbi inſurgant reliquias: nam tunc ceſſat morbus quando cognita cauſa, cauſam manifeſtè tollimus, igitur ſecandus eſt thorax in pectoris hydrope, ut docent *Riverius*, *Sennertus*, *Maſſarias* aliique in arte medica verſati; quocirca legiſſe recordor de quodam adoleſ-

centi, qui corporis exercitiis immodicis aſſuetus tandem thoracis plenitudinem ſenſit, ità ut pulmonis latus ſiniſtrum intumeſcere, & cor extra locum ſuum dextrorſum protrudi videretur; hinc cum extrà dubiums fuiſſet ſe pectoris hydrope laborare, eo quod lymphæ ductu è pulmone in thoracis cavitatem humorem dimitterent, poſt tentata quædam ſine fructu remedia, communi Medicorum conſenſu lateris ſectio decretatur; itaque Chirurgus inter ſextam, & ſeptimam vertebram cauterium applicuit, & poſtridie foramini in pectoris cavitatem ſecto canalem indidit, quo facto liquor albus, craſſuſque exivit, & de hoc liquore, in die ſemel extractis unciis ſeptem, aliiſque etiam præmiſſis remediis, tandem ſanatus fuit.

ANIMADVERSIO CXXV.

De lacte viridi

ANno 1686. propè Ferrariam, dum ruſticum quendam febri continua laborantem viſitarem, mulierem vidi 30. annorum quæ lac è mammis emittebat viride cum omnium admiratione, cujus exemplum addi poteſt obſervationi primæ *Clar. Riedlini* narrantis de fœmina quadam lac amarum emittente, & legiſſe recordor apud *Borellum*, non tantum lac, ſed ſudorem etiam viridem in medicinæ ſtudioſo ab axillis emanaſſe.

ANIMADVERSIO CXXVI.

De lochiis per alvum evacuatis.

NEceſſarium quam ſit, ut ſanguis tempore prægnationis in matrice collectus poſt partum excernatur, ſymptomata,

mata, ex eodem retento ſuſcitata apertè demonſtrant; hinc ſanguinem hunc è vicinis locis quandoque expurgatum vidit *Maurit Cordeus*, idemque notavit *Th. Bartholinus.* in propria uxore, quæ lochia per alvum emiſit; quod idem etiam hic Ferrariæ anno 1686. acidit in quadam Primipara annorum 19. quæ poſt ventris dolores maximos, nihil per vulvam lochiis fluentibus, tandem per alvum optimè expurgata fuit; immiſſo enim communi clyſtere fluere cepit ſanguinea materia ceſſantibus paulatim doloribus, quæ fluxio usque ad diem ſeptimam ſecuta fuit; & poſtea Dei gratia omninò ſana è puerperio exivit

SCHOLION. Similem obſervationem notavit *Clar. Vit. Riedlinus in obſervationibus ſuis optimè conſcriptis.*

Hinc *Paul. Ammanus* lochiorum materiam per nares expurgatam vidit Lipſiæ anno 1670. in quadam fœmina, cui poſt partum ſuppreſſa fuere lochia; & ſymptomata ſupervenere dictata ab *Hippocrate in coac. prædict.* Verum die tertia poſt ſuppreſſionem dictam, circa medium noctis incepit largiſſima hæmorhagia narium, quæ duravit uſque ad meridiem dei quartæ, qua fluxione perfectè purgata fuit, ſine aliorum medicaminum uſu.

ANIMADVERSIO CXXVII.

De viribus imaginationis in gravida.

HIc Ferrariæ Mulier quædam gravida, ſeptimo prægnationis menſe caput vituli edendi avido deſiderio vexata appetitum marito communicat, qui ut uxori ſatisfaceret ſtatim caput vituli adinvenit; At quandiu hoc ollæ impo-

ſitum

ſitum excoquebatur, id eam rei expetitæ tam fortiter animo inſculpſit, ut fœtus cuncta cranii oſſa carne ſpongioſa induta apparuerint, & capitis vitulini formam caput filii aſſumpſiſſe docuit partus.

SHOLION. Quantum imaginatio prægnantium non ſolùm in imprimendis fœtui certis figuris, ſed, & formandis partibus præternaturalibus imò nonnunquam delindis naturalibus, valeat, hiſtoriæ medicorum demonſtrant; mulierum enim idea imaginum characteres fœtibus imprimit, quod explicavi *in Animadv. de ventriculo pag.* 512. Sic *D. Nicol. de Blegny in Zodiac. Med. Gallic.* narrat de puella quadam, quæ ex viſione unius facinoroſi carnificinæ, puerum peperit vinculis ligatum ad modum ferè quo furciferorum colla conſtringuntur; Et *Nicol. Tulpius* de infante refert, cui loco digitorum uvæ, & acini enati erant; necnon *Olaus Borrichius* de fœmina quadam narrat quæ cùm quarto geſtationis menſe aream Palatii Regii incauta perambulabat, vidit miſerum quendam egenum, mutilum pedem oſtendentem; quo viſo ità cohorruit, ut domum reverſa marito triſtitiam conceptam ſignificaverit; Periit tandem facti memoria, & animus gravidæ revocatur ad quietem; hinc prodit juſto tempore infans, eaſdem infelicitatis notas in pede, quas in mendico mater viderat in auras vitales ſecum exportans; alias hujus generis obſervationes dabunt *Vitus Riedlinus*, *Georg Abraham. Mercklinus*, *Georg. Segerus*, *Joh. Schmidius*, *Simeon Scholtzius*, *Joh. Georg Sommerus*, *Fort. Licetus*, *Hannemannus*, *Sachſius*, *&* *Tobias Czaſchelius*, *Sip. Mercurius in obſtetrice*, aliique plures.

ANIMADVERSIO CXXVIII.

An imperforatio mulierum matrimonium impediat?

EX hiſtoriis Medicorum patet imperforationem matrimonium non impedire, dummodò imperforatio ipſa ſit ſanabilis; qua de re prolixius egit *Paul. Zacchias tom.* 1. *Quæſt. Med. Legal. lib.* 3. necnon *Mic. Boudewyns Ventilabr. Med. Theolog. part.* 2. *quæſt.* 19. Inprimis autem ſatis tutò fit operatio ſi exterius nec profunde admodum pudenda ſint connata membranaque tegantur faciliter cultro diſcindenda quod in duabus puellis obſervaſſe ſcribit *Joh. Henr. Meibomius comm. in Hippocratis Jusjurand.* & varia unitorum vulvæ labiorum ſectionis exempla habent, *Merckerenus obſerv. Chirurg. cap.* 51. *Guliel. Fabricius Hildanus cent.* 3. *obſerv.* 60. *Petrus Foreſtus lib.* 29. *obſerv.* 7. *Rodericus à Caſtro lib.* 1. *de morb. mulierum c.* 1. *Lucas Schrockius in obſerv. Helwigii pag.* 381. Unde ſi curatio ſuccedat, & mulier ad perfectæ ſalutis ſtatum perveniat, tunc non eſt impediendum matrimonium; Sed ſi incurabilis ſit affectio divortium eſt faciendum; de quo plura apud citat. *Zacchiam*, & *Felic. Platerum lib.* 1. *obſervat. Gaſp. Tagliacocium*, *Hieron. Fabricium. ab Aquapendente*, *Joh. Scultetum part.* 1. *Armament. Chirurg. Tab.* 43. & alios medicinæ practicos.

ANIMADVERSIO CXXIX.

De Tumore circa aurem venæſectione curato.

ILluſtriſſ. D. N. N. maximo circa aurem tumore cum febre comite laborabat; ſed ſanguine extracto è vena pedis illius lateris in quo tumor, & dolor infeſtabatur ad uncias decem; ſtatim detumuit auris, & febris abiit.

ANIMADVERSIO CXXX.

De cura ſpinæ ventoſæ.

SPinæ ventoſæ materia, eſt pituita articulorum nutritioni dicata acrior facta, primò oſſa corrumpens, & perioſtium lædens ſi *Marchetto* credimus; cujus ſignum dolor pungitivus, acutus, & lancinans, ità ut patiens velut ſpina pungi videatur; Dum vero hujuſmodi dolore æger divexatur, atque perioſtium eroditur, nullus adhuc tumor; corrupto verò oſſe, & perioſtio materia pituitoſa acris liberè permeans per loca carnoſa attollit articulum affectum in tumorem primò mollem, & laxum, ac doloris expertem, cuti concolorem, qui patefactus durior evadit, confluente humorum copia, quorum tenuior pars exhalat, ſuperſtite craſſiori; ex quo inſuper emanat materia ſeroſa, atque ſpecillo os corruptum ſe prodit; Signa pathognomonica ſunt dolores à principio inſtar puncturæ ſpinæ, tumor mollis, qui hians ſeroſitatem effundit; Morbus autem ægrè eſt ſanabilis tum ob aſſiduum materiæ confluxum, tum ratione corruptionis oſſis; & nunquam ſananda eſt hæc affectio niſi remota fluxione, & ſublato toto oſſe corrupto, vel igne vel ferro, ut docet *Marchettus Tractat. de ſpin. vent. in obſerv. Chirurg.*

Ad curationem verò quod attinet, ſtatim ac patiens de dolore pungitivo, veluti ſpinoſo, in articulis manum vel pedum cubitorum aut genuum ſtatim nullo licet tumore apparente, ſectio eſt facienda, à qua non tam citò eſt demittendum ſpecillum, quo os corruptum inæquale percipiatur; & tunc prima oritur indicatio nempè cariem oſſis abradendi, oſſe verò ſublato curanda carnis generatio cicatrizando vulnus; quod ſi ob loci profunditatem abraſoria ferramenta inſinuari non poſſint, utendum eſt igne actuali: Dilatato ergo foramine ſpongia præparata, vel medulla ſambuci, aut ſorgi, in idem demittenda eſt cannula ferrea utrimque perforata; mox candenti ferro os corruptum inurendum, poſtmodum curatio eſt ſequenda modo

ordi-

ordinario. Advertendum autem ne tendines lædantur, in oſſis abraſione, uſtione, ac evulſione, metu convulſionis de quo plura apud *Scultetum Armament. Chirurg. & Joſeph. Pandolfinum.*

ANIMADVERSIO CXXXI.

An qui pulverem, vel ſerpentum vel viperarum ſumpſere à morſibus illorum tuti ſint.

EXperientia conſtare docet, *Zwelferus in appendice ad Pharmacopœam Auguſtanam*, illos, qui aſſumpſere pulverem Viperarum attamen demorſos, ſubſecutis prius atrociſſimis convulſionibus, inter ejulatus, & ſuſpiria vitam terminaviſſe; Si enim verum eſſet hominem qui priùs ſumat viperarum pulverem ab illis lædi haud poſſe, ſequeretur etiam, quod nec viperæ à Vipera nec homini ab homine, ad invicem demorſis, ullum immineret periculum, cùm Vipera demorſa tota ex materia pulveris viperini conſtet, adeòque venenum reſpuere deberet; ſed compertum eſt, viperam à vipera demorſam vitam cum morte commutare, & hominem ſimiliter ab homine iracundiæ œſtro percito, morſum in vitæ diſcrimen præcipitari; Hincque poſtea eſt, ut homines à viperis ſauciati, non uſu pulveris viperini liberantur; ſed ligaturis citiſſimis, ſcarificationibus, alexipharmacis &c. Quod autem nonnulli ſint, qui ſerpentes ſine periculo pro lubitu tractent, licet pulvere ſerpentum uſi non ſint; id eſſe credo propter peculiarem quandam dotem, ac audaciam; Indidit præterea natura ſerpentibus metum verſus homines, quod patet, nam viſo homine celeriter fugiunt; ideòque ſine ulla noxa ab aliquibus tractantur; Verùm, & aliquandò viperæ, ut adagium ait, circulatorem mordent, & lædunt.

ANIMADVERSIO CXXXII.

De methodo therapeutica comatis, ſecundum Williſii *ſententiam.*

IN comate primariò danda eſt opera, ut materiæ morbificæ novus in cerebrum affluxus præcaveatur, & ut, quæ jam impacta eſt diſcuti poſſit; hincque ſpiritus animales exſuſcitari, iiſque torpor omnis, ſive narcoſis excuti debet: Et ad iſtum finem phlebotomiam, catharſim, cucurbitulas, veſicatoria, topica, revellentia, & diſcutientia applicare, medicamenta cephalica, & in primis ſale volatili prædita propinare, pluresque alios adminiſtrationum modos adhibere oportet; Quod ſi hic morbus aliis affectibus ſuperveniens cuipiam, corpore jam plurimùm attrito, ſanguine vitiato, aut valde depauperato ſpiritibus, inciderit, de ſanguinis miſſione, & purgatione ſeriò ante deliberare opus eſt; quandoque enim ab iis abſtinere convenit, multoties autem è fronte, aut temporibus per hirudines, aut è ſcapulis per cucurbitulas ſcarificatas cruorem in modica quantitate detrahere expedit, ut ſanitas habeatur.

ANIMADVERSIO CXXXIII.

De Cinnabari intus ſumpta.

D. *Jo. Michaelis* Cinnabarim approbat, ſed depuratam, quæ quæ in deſperatiſſimis morbis valdè æſtimanda eſt, quantumvis autem non ſit diaphoretica, eſt tamen ſecuriſſimum alexiterium; Cinnabarim enim antimonii, dicunt multi, abire in pulverem niveum ejuſdem generis, quod eſt Mercurius vitæ, ſi aqua calenti diſſolvatur; ſed mechanica hæc de cinnabaris Antimonii per aquam calentem tranſmutatione in mercurium vitæ album eſt falſa; ſed poſito etiam ex nativa cinnabari, facili negotio mercurium elici? quid poſtea; mercurius cum ſulphure anti-

antimonii ligatus in cinnabari ſui non eſt juris, ſed hujus compedibus ligatus à turbis iſtis gravioribus, quas vel liber, vel ſalibus corroſivis irretitus ciere ſolet jam planè immunis exiſtit, & illuſtres illas dotes obtinet, quibus etiam contagioſis, epidemiiſque morbis, ipſique peſti exterius appenſus, ſingulari proprietate reſiſtit; Licetque cinnabaris hæc aſſumpta ventriculi digeſtioni minimè pareat, nec in corporis noſtri œconomiam recipi poſſit, tamen aſſumpta, ut docet *Clar. Wedelius in Pharmac.* quandiù hæret in ſtomacho, archeum alterando variè mireque afficit: de qua cinnabari plura apud *Gothofred. Schultzium.*

ANIMADVERSIO CXXXIV.

De Cornu Cervi præſtantia.

VIs cornu cervi præcipuè conſiſtit in ſale volatili, atque ſulphure quorum copia turgentia oſſa animalium, quod purum eſt ſumunt pro nutrimento, & quod ſuperfluum extrudunt ad extremitates oſſium; hinc hæc luxurians materia aëri diutiùs expoſita figitur & quaſi vitriolatur, atque in dura aſpera, & grandia abit cornua, ob volatilem, & extenſilem ſui naturam, quæ bezoardica meritò putatur; nam ſpiritu ſuo (qui ſanguinis ſpiritui omninò congener eſt, docente *Samuel Cloſſeo*) cor recreat, tartareas attenuat materias, ſudores urinaſque movet ac proinde auræ peſtiferæ adverſatur; facultate ipſius acida malignis febribus obſtat; Vi autem ſiccante arcet putredinem, enecat vermes, alvi fluxionibus prodeſt.

Hinc prò variis indicationibus, variæ etiam præparationes Cornu Cervi in uſum habendæ ſunt; Sic in venenis, ac peſte utendum eſt ſpiritu Cornu Cervi cujus deſcriptionem optimè dat *Schröderus in ſua Pharmacopœa.* In febribus gelatina Cornu Cervi, de qua inferius vel extracto, vel Cornu Cervi philoſophice præparato de quo multa notavit *Jacobus le Mort. in ſua Chymia*; vel uſto, vel ipſius magiſterio, vel ſale volatili; In malignis utendum eſt aqua ex typhis Cornu Cervi recenter

 deſtil-

deſtillata, ejuſque ſyrupo: in phthiſi balſamo dulci Cornu Cervi & in diarrhœis, ac vermibus Cornu Cervi vitriolato utitur *G. Horſtius.*

Removenda eſt autem, & interdicenda negligentia ac imperitia quorumdam Pharmacopœorum, qui Cornu Cervi non in catillis fuſoriis, ſed ſimpliciter inter carbones urunt; quæ præparatio quantum ægro ſit noxia, ſcriptum fuit ab *Hildano lib. de Gangræna.* Vaporem enim malignum in Carbonibus contentum, in ſe continet.

Paratur denique unguentum Cornu Cervi quod eſt Anodynum, à *Gulielmo Simonide*, quod prodeſt in doloribus ſcorbuto colicis atrociſſimis, tum & in podagricis, aliiſque torminibus cujus deſcriptio hæc eſt.

℞. Cornu Cervi dimidium minutim inciſum, ponatur in olla vino plena, addito ſemper vino q. s. dum Bull. pro una vice; inde bulliat ad vini conſumptionem; inde abjecta craſſiore Cornu Cervi parte, medulla remanens fricetur manibus, & poſtea adde olei. Abrotani, hyperici, anethi, ſcorpionum, lumbricorum terreſtrium, nucum, laurini, rutæ, ſpicæ, ſabinæ, ana ℥. ß. Adipis human. ℥. j. ß. caſtorei ʒ. ij. nitri ʒ. j ß. Euphorbii ʒ. ß. miſce fiat S. A. unguentum.

SCHOLION. Notandum gelatinam ex Cornu Cervi paratam recentem primo eſſe debere, vetuſta enim ranceſcit, & ingratum ſaporem refert; ſecundo teneram, & albicantem, non nigram & duram, unde ſtomacho maximè ingratam, & infauſtam talem gelatinam fuiſſe in Illuſtriſſ. Puero Variolis affecto notavit *Wedelius Pharm. pag.* 142. Tertio liquabilem, & in ore ſponte quaſi ſolvi aptam, ut delicato inde defluat ſenſu; Attamen in danda gelatina, ratio eſt habenda ventriculi, ne hac fortè fermentum ejuſdem nimis obtundatur.

Duplex in officinis proſtat Cornu Cervi gelatina, vel ſimplex, vel acida; acidæ gelatinæ deſcriptio exſtat apud *Ettmullerum in part.* 2. *Schröder. dilucid. pag.* 77. cujus uſus eſt in febribus ardentibus, aliiſque morbis; deſcriptio talis eſt ℞. Cornu Cervi raſpati ℔. ß. aceti, ſucci citri, ana ℥. viii. macis, cinnamomi,

nucis

nucis moſchatæ, ana ʒ. ij. Caryphyllorum, Cardamomi, ana ʒ. j. ß. ſeminis aniſorum ʒ. iij. miſce contunde in mortario, inde Alembico clauſo coque; poſt cola per linteum, & purga ab excrementis, adde ſacchari albi ℥. iv frig. f. gelatina, cujus doſis ſit ℥. j. ad ij. vel iij.

ANIMADVERSIO CXXXV.

De ſpermate Ceti.

SPerma Ceti genus eſt bituminis nominatum à multis ſal veterum, vel Ambra ſubpallida, & flos maris, & eſt ſubſtantia, pinguis, tenera, mollis tempore verno manè mari tranquillo innatans, calore diffluens, aëre verò frigido concreſcens, colore alba, ad inſtar ſquammarum minutarum, in ſapore butyrum æmulatur præter aliquid rancoris: Odor ejus nullus propè eſt niſi quodammodò rancidus, ut notat *F. Hofmannus* Hauritur ergo hæc ſubſtantia ex mari, inde aquis puris calidis abluitur, incoquitur, & facta poſt refrigerationem conſiſtentia auſertur pinguedo, quæ dicitur Sperma Ceti officinarum: Id verò quod non ex aquis marinis, ſed à capite balænarum ſumitur, ut docent *Wormius*, *Bartholinus*, *& Hoffmannus*, concinniori longè præparatione colligi debet.

Uſus ejus eſt humectare, reſolvere, unde anodyna virtute indui, ait *Schröderus*, & ſic in colica, ſuffocatione hypochondriaca, hyſterica paſſione, & torminibus, prodeſt. Hinc emplaſtrum de ſpermate Ceti deſcribit *D. Adrian. à Mynſicht.* cujus feliciſſimum ſucceſſum *D. Jo. Michaelis* in mammillarum tumoribus ſæpiùs expertus fuit;

Quin ſanguinis grumos reſolvit; & in aſthmate catharro ſuffocativo nil eſt præſtantius; Notandum autem rancidum non eſſe debere, tunc enim plus nocebit, quam proderit.

Doſis denique ſpermatis Ceti in adultis eſt ℈. j ad ʒ j. in infantibus autem gr j. ad ℈. ß., vel per ſe, vel cum ſaccharo cando, in lacte materno.

Plura de Spermate Ceti lector ſi cupis, lege *Mich. Ettmullerum in diſſert. acad.* 1.

ANIMADVERSIO CXXXVI.

De Clyſteribus.

CLyſterum quatuor genera hodie circumferri, jam notum eſt; Primum horum omnium ab *Hippocrate* deſcriptum eſt, illud nempè, quod ex veſica bubula paratur, cui eburnea ſyrinx, vel buxeus canalis alligatur; quod cum præ verecundia nonnulli, & præcipue mulieres alios clyſteres adverſantes, ſibi aptari ſolent; ſecundum genus dictatur à *Famatiſſ. Hildano*, & deſcribitur à *Cl. R. de Graaf.* Tertium genus ex Galliis ad nos delatum eſt, quod fit ſiphone ſtanneo fuſo; Et quartum genus noviſſimum eſt, corriaceum nempe quoddam, per quod decoctum in anum injicitur laxativum; Clyſterum uſus maximus eſt in vitiis inteſtinorum, ut Teneſmo, Colico dolore, diarrhœa, dyſenteria, vermibus, &c. Immò etiam in capitis affectibus multum prodeſſe Clyſteres quotidiana demonſtrat experientia; hoc autem quomodo contingat ad eos remitto, qui magis curioſi aſſiduè naturalia phænomena ſcrutantur.

Febribus omnibus malgnis maximè utilem eſſe clyſterem docet *Galenus*, & cum eo omnes ferè Practici. Uſum præterea habent Clyſteres, ſi quando Alvus admodum adſtricta eſt, & purgatio ore ſumenda vel neceſſaria, vel noxia eſt, nam ſi neceſſaria eſt purgatio, oportet prius fluida facere, ut docet *Hippocrates in Aphoriſm.* Si vero noxia purgatio eſt, & adſtricta ſit alvus, ut in pleuritide, peripneumonia, &c. tunc clyſtere uti debet Medicus ad alvum deonerandam

Hinc colligi poteſt quam malè agant ægri illi, qui malunt purgantia medicamenta aſſumere, quam clyſterum injectionem permittere; hoc enim modo, & propriam vitam, & Medici famam multis exponunt periculis, ut notat *R. de Graaff* nam forte æger talis moriatur, ut per purgans medicamen aſſumptum contingere poteſt, ſtatim Populus Medicum eum occidiſſe ait; neſciens ignarus *mortem, & vitam in manu Dei eſſe.* Idcircò *Solenauder*

Medi-

Medicus ſuæ ætatis Clariſſimus, ait plures ex ordine reiteratos clyſteres admittere melius eſſe, quam unam etiam levem ſolventem potionem aſſumere: quod confirmat *Primeroſius de Vulgi errorib lib.* 4. *cap.* 20 *pag.* 316.

Advertendum tamen, ne nimis calidi, vel nimis frigidi ſint clyſteres injiciendi: nam iſtis de cauſis mortuos aliquos eſſe teſtantur Medicorum hiſtoriæ, & maximè *Tho. Bartholinus cent.* 1. *obſerv.* 76 qui refert de uno, qui apud Barbitonſorem de metu morbi imminentis conqueſtus fuit: & ignarus ſimul, ac impius Barbitonſor clyſterem ei impoſuit frigidum, dicendo ſimili modo agere calidum, & frigidum, clyſterem: verum errorem eventus oſtendit, ſumma enim virium infelix debilitate preſſus poſtridie mortali frigore obrutus eſſe deſit. Unde moneo barbitonſores, & mulierculas illas, clyſteres ob mercedem imponentes, ut advertant in opere ſuo; ob errores enim in clyſteribus immitendis commiſſos, mors poteſt ſuccedere: Plura de clyſteribus tradit *Victor. Trincavel. de comp. medic. c.* 20.

SCHOLION. Loco aquei corporis interdum lac ſumitur ad clyſmata conficienda, quæ lactea dicuntur, & ſunt frequentiſſima non tam pro ſcopo laxativo, quam anodyno, vel temperativo, ut in ſcorbuto; lac autem vel ſimplex, vel chalybeatum ſumitur, imo, & medicatum v. gr. ſit clyſma anodinum antidyſentericum ℞. Florum Verbaſci, m. j. ſambuci m. ß. capitum papaveris cum ſeminibus num. xv. contunde & coque in q. s. lactis bubuli chalybeati: colaturæ ℞. ℔. j. in qua diſſolve philonii romani ʒ. ß. laudani opiati gr. ij. Theriacæ ℈. j. adde ſevi hircini in vitello ovi ſoluti ʒ. jv. miſce pro clyſmate. Sola etiam olea dant corpus prò clyſteribus aut integrum clyſma conſtituunt; hinc in contumaci alvi obſtructione, ex fæcum induratione clyſma ſequens præſcribit *Ettmullerus* ℞. olei raparum, lini, ana, ℥. v. diacolocynthidis Quercetani ʒ. vj. m. Pro clyſmate. Alvum pigram laxantem clyſterem ex Tabaci fumo confectum expertus fuit *Th. Bartholinus cent.* 6. *obſ.* 66. ubi, & commoda inſtrumenta deſignatur, ſimileque inſtrumentum confici poteſt, ad uterum pro verecundis puellis ut matricem pro neceſſitate, vel expurgent, vel

alterent, vel roborent; Clyſteres autem contra colicam ex oleo Amygdalarum parat *Sim. Pauli quadrip. Botan.* ipſoſque etiam convenire ait in Febribus acutis, ac malignis, in quibus ab omnibus purgantibus abſtinendum eſſe arbitratur, & optimè quidem; multi enim ſunt Medici, qui catharticis exhibitis ægros perdunt; laudanum opiatum ſæpè in clyſteribus adhibet *Riverius*: tutiùs enim tali modo opium ſomnum conciliat, quam per os ſumptum; Aliquando in clyſteribus crocum metallorum ponunt aliqui vel loco croci metallorum utuntur Antimonio vitrificato quod docente *Quercetano* in clyſteribus minorem noxam affert, quam diaphœnicum; Urina pueri in clyſmatibus pro affectibus hydropicis adhibetur à *Valleriola*.

Quidam è modernis paratis jam clyſteribus ſalia volatilia addunt pro celeriori alteratione, & hæc clyſmata ſanè ſunt efficaciſſima in paſſione hyſterica, epilepſia, & doloribus Abdominis

Laurentius in Anat. quæſtionem agitat num clyſter nutrire poſſit? certum tamen eſt quod apud *Hildanum* matrona per ſex hebdomadas ab omni cibo & potu ita abhorruit, ut nihil per os aſſumere potuerit, ex conſilio Medici bis ſingulis diebus juſculum carnis cum ovorum vitellis per ſedem infuſum fuit, quorum clyſterum beneficio ita fuit nutrita, ut gravida, ad conſtitutum tempus fætum geſtarit, feliciterque pepererit, & pariter *D. Bourgeois* anno 1660. Anginoſum quendam nil planè deglutientem per octo dies eo præſidio ſuſtentavit, donec via cibi, & potus recluderetur; Et ego tandem quendam Religioſum vomitu horrendo vexatum per ſeptem dies ope clyſterum enutrivi, donec vomitus ſedatus fuit. Plura ſi cupiantur videantur *Geor. Franci de Clyſteribus*, & *Franc. Zypæus fund med. par. 2. articul. 3.*

ANIMADVERSIO CXXXVII.

De Veſicantium utilitate.

DOcet *Severinus*, qui rectè veſicatoria adminiſtraverit difficilium morborum plerumque victoriam obtinebit, & præ-

ſertim

ſertim ipſorum, qui humorum fluxu foventur, eo quia hi commodiſſimè per poros cutis apertos effluunt. Ita ſi pectini, teſtibus, ſcroto, vel mentulæ malæ ſint eroſiones à ſucco acri ſeroſo; tunc coxis affixa veſicantia erunt utilia; Inſuper ſi collum, mammæ, aliæque ſuperiores partes terrifico aliquo ulcere, ac abominabili aliqua fluxione laborent; periculum his avertere veſicatoriis brachiis appoſitis, eſt neceſſe; Præter etiam hæc, & ſi peſtilentiæ, vel malignitatis germina appareant, & caput infeſtetur, tunc ſtatim veſicantibus occurrendum eſt; ut pravi humores evacuentur; Hoc enim remedii genus revulſorium non ſolùm eſt, ſed excellenter evacuatorium, humores enim docente *Williſio* è cutis poris, & glandulis, & arteriolarum oſculis, & fibrarum nervearum finibus, veſicatorio mediante, extillant; cutis enim infinitos habet poros, glandulas, nec non vaſorum, & nervorum fines in ipſam terminantes.

In Anaſarca, & quibuſcunque cutis defædationibus, quin & in arthritide necnon ſcorbuto à *citato Williſio* commendantur veſicantia; undè reſpectu ſanguinis tum à materia quavis heterogenea, ac morbifica ſenſim expurgandi, tum ab indole nimis acida, aut ſalſa, in rectam temperiem alterandi, in malignis ac putridis quibuſcunque febribus mali moris, præſtantiſſimi ſunt uſus veſicantia; Hincque tandem in affectibus ſoporoſis tritum hoc, & vulgare remedium eſt, ut & in apoplexia, epilepſia, convulſione, & doloribus in partibus membranoſis fixis, veſicatoria affigere, utpote quia à nervoſo genere ipſoque cerebro, evacuandi, & derivandi, ea vim poſſident; Quare *Excellentiſſ. Carolus Sponius Medic. Lugdunenſis* his edoctus rationibus unius apoplectici fere extincti capiti deraſo cataplaſma veſicatorium, appoſuit; ex cujus medicaminis beneficio loquendi libertatem æger acquiſivit, ut & judicium, memoriam, & auditum Ex quo inferre licet quanti momenti ſint in profligandis morbis veſicantia, licet contrarium ſentiat *Joh. Baptiſta Helmontius.*

Plura de veſicator. dabit *Fr. Zypæus fund. med. pag.* 380.

ANIMADVERSIO CXXXVIII.

De Suppoſitoriis.

SUppoſitoria nec frequentiora, nec acriora in morbis eſſe debent; non acriora inquam, nam faciliter irritant hæmorrhoidales venas, ut referentur, cùm maximè ſenſibilis ſit illa pars; unde cùm illa facta ex alumine crudo acriora ſint, ideo à Medicis præſidiis ſunt releganda, & ſic dicendum de aliis acrioribus; non frequentiora quoque dixi, nam aſſueta ſuppoſitoriis Natura ſphincterem facit pigriorem, ut nonniſi ſollicitatus excretionem urgeat; quod etiam dici poteſt de frequentibus clyſteribus: quod quoque confirmat *Clar. Wedelius Pharmac. pag.* 145.

Suppoſitoria verò, monente *Rondeletio*, conficiuntur ad inſtar candelarum, unde à ſimilitudine nonnulli candelas vocant; Ipſorum autem longitudo multa non ſit; ſufficit enim, ut tangendo recti inteſtini extremitatem facultatem expultricem, ut verbis antiquis loquar, irritent; Fieri ergo debent ad Glandis majoris ſimilitudinem, craſſitiemque digiti; quo facilius ingerantur, & ſine magno incommodo egerantur.

De ſuppoſitoriis autem plura dabit *H. Tencke de evacuantib. cap.* 1.

ANIMADVERSIO CXXXIX.

De Cicutæ Emplaſtro.

INter venena meritò refertur cicuta; hujus enim ſucco publicè in judiciis Athenienſes ad mortem utebantur, ut ſuo damno *Socrates* fateri poteſt; de qua optimè *Welſchius in decad.* 8 *curat.* 10.

Externus autem ejus uſus non eſt rejiciendus, ut monet *F. Hofmannus.* Illius enim emplaſtrum deſcriptum à *Schrödero* in lienis ſcirrho feliciter uſurpatur; & illius ſuccum optimum eſſe ad ſuppri-

ſupprimendum lac in mammis puerperarum alii notant; *A. le Grand Compend. curioſ. pag.* 243. Licet ejus uſum non commendet, tanquam non tutum *Dominus Sim. Paulli.* Emplaſtrum vero de cicuta ex deſcriptione *D. Charras.* ſequens eſt; ℞. Olei ſambuci, ℔. ij. ſucci cicutæ ℔. j. ß. lithargyrii auri ℔. j. miſce coquantur ſimul igne lento ad humoris conſumptionem, & emplaſtri ſpiſſitatem, aſſiduè movendo ſpatula lignea; inde addatur ſucci cicutæ ℔. ß. & lento igne iterum coquantur ad humoris conſumptionem, & poſtea jungatur gummi ammoniaci aceto ſcilitico ſoluti, & lento igne ſpiſſati ℔. j. & poſtquam igne leviſſimo humoris ſuperflui maxima pars fuerit conſumpta; materia refrigerata in emplaſtrum ſervetur. De Cicuta verò eruditiones plurimas dabunt. *Dioſcorides*, *Matthiolus*, *Ettmullerus*, *Smetius*, *Wepferus tractat. de Cicuta.*

ANIMADVERSIO CXL.

De Antimonio diaphoretico in Pleuritide.

ANtimonium diaphoreticum, cujus deſcriptio eſt in *Schröderi Pharmacopœa*, arcanum eſt ſummum in pleuritide, tum vera, tum ſpuria; in illa egregiè diſcutit congeſtos humores, dolores demulcet, & expectorationem promovet; In ſpuria verò pleuritide quantum præſtet novit *Cl. Wedelius*, cui ejus vis inſignis carminativa patet.

Ulterius diaphoreticum Antimonium ſanguinem mundificat, adverſus omnes obſtructiones conducit; ad expulſionem Luis Venereæ facit, ut & in febribus malignis ejiciendis; Confert etiam in Peſte, Variolis, & morbillis præcipuè, ſi ſit Tartarizatum, ut notat *Hofmannus*; & exhibitum cum Cornu Cervi in emulſionibus; Quin interna frangit apoſtemata; & unguentis admixtum valet in externis ulceribus ſanandis.

Notandum autem *Cl. Thom. Williſium in Pharm. Ration.* aſſerere gratis inſigniri Antimonium hoc nomine diaphoretici; fatetur enim ipſe Auctor, ſe neſcire; cujuſmodi ejus particulis hæc

virtus tribui poſſit; idcircò talem effectum fruſtrà à Medicis ex Antimonio diaphoretico expectari aſſerit; Pro ſiſtendis autem ſanguinis aut ſeri fluxionibus non raro cum fructu adhiberi poſſe ſcribit, eo quod acidos ſales imbibit; qualem energiam, Crocum martis per reverberii ignem paratum obtinere videtur; de quo apud *T. Bonetum Mercur. compit. l.* 19.

ANIMADVERSIO CXLI.

De viribus Roris.

ROrem Maialem in feſto Aſcenſionis Domini collectum multis morbis mederi, ut & illum die Nativitatis S. Jo. Baptiſtæ collectum à plebe dicitur; Hinc roſæ madefactæ rore majorem facultatem laxativam acquirunt, & ros è roſis collectus ſummoperè alvum ſolvit, ut notat *Frid. Hofmannus comm. in Schröder. Pharm.* Externè autem adhibitus ros, ex herbis ophthalmicis ſumptus, ad oculorum affectus prodeſt; Notandum tamen non ſemper tutò deambulandum eſſe nudo pede in rore, nec conferre nudo corpore ſe ſe in eo volutare, ut a iqui Medici ſuadent, nam ità pori cutis faciliter obſtrui poſſunt; magno cum naturæ diſcrimine ut ſuccedit in ſcabie, & podagra, quæ cauſa forſan fuit, quod *Plutarchus in quæſt. natural.* rorem ſummè noxium eſſe leproſis, ſcripſit; ut confirmat Cl *Mercurialis*; Ros autem per philtrum collatus in fundo exhibet materiam nivi ſimilem quam ſummè cardiacam eſſe notat *Matheſius.*

Hinc ex rore generari Margaritas ſtatuunt multi; quibus non aſſentit *citat. Hofmannus in Pharmac. Schröder. l.* 3. *c.* 3. nam ad oſtrea altius maris fundo immerſa, in quibus margaritæ reperiuntur, ros nullo modo pertingere poteſt; quo pacto enim magnò aquæ intervallo gaudentes ſe ſe impleri roſcido conceptu poterunt, & pro qualitate concepti roris, uniones candidi vel ſordidi,ac pallentes fient? Solummodò autem generantur Perlæ ex peritomate, ſeù humore illo; ex quo teſta concharum concreſcit, corticatim contextæ; & iſtas lapidum nomine inſigniri, docui *in Addition. ad Borrichii diſſert. de lapid. in macro, & microcoſmo.*

D. Jo.

D. *Jo. Michaelis* tandem egregium medicamentum ex rore maiali omnibus coloribus conſpicuum, item ſal, commune omnibus fulgens coloribus confecit; & ex rore, inquit *Helmontius* per analyſim ignis, ſal ſaccharinum parari poſſe, magnorum, morborum remedium.

SCHOLION. Ros maialis mirabile eſt ens, ſi *Michaeli Ettmullero* credimus; In examinatione enim per digeſtionem quaſi ad fermentationem diſponitur; hinc deſtillatus ſpiritum ſuggerit volatilem ſtriatum odore ſulphureo empyreumatico; Magma autem relictum ſi ſervetur ſponte turgeſcet, ac fermentabit ſaltem ex aura intrinſecus extracta; Reperitur in rore quod Argentum in Aurum tingit; ſed tantum ſuperficialiter; In capite mortuo roris habetur ſal penetrans quem *Rhumelius in Antidotario* contrà epilepſiam, ceu ſingulare remedium commendat, *Dygbæus de Plant. Vegetat.* in rore ſalem nitroſum inveniri aſſerit vires habentem omnia vegetabilia fœcundandi, ſicut ſtercora in agros projecta operantur ratione ſalis. Rore autem mediante hoc ſale utuntur multi pro extractione, & correctione vegetabilium.

Bunoſus inſignis Chimicus ex rore paravit menſtruum univerſale pro univerſis ſolvendis metallis, & extrahendis; Et in rore nonnulli Medici quæſiere varia balſamica pro corporis humani affectibus ſuperandis.

Clar. Nolius ex rore ſpiritum ſalis elaboravit, quo in Agone conſtitutos revocari, & tincturam ex Auro evocari poſſe ſcribit.

Petrus Borellus gloriatur tandem multis exantlatis laboribus ſecretum inveniſſe ad aurum ſolvendum id eſt menſtruum benignum amicè. aurum intrà paucas horas ſolvens, & ſine fumo, imò ſine igne, quod diſſolutum poteſt ad ſalis naturam, & olei reduci, cujus grana tria, vel quatuor juxtà ætates varias propinata intrà quatuor horas circiter ſudoribus copioſis febres malignas, purpuratas, epidemicas, & pertinaces curant; & hujus effectus miraculoſi ferè vires quater admiratus eſt oculis propriis *Jacob. Broſonius Monſpel. Pharmacop.*

Hinc ex rore cum manna egreggium, & ſecretum menſtruum ad corallorum rubrorum tincturam extrahendam nonnulli præpa-

præparant, quod vidit *Clar. Morhoſius*: Plura verò de rore curioſa valdè haberi poſſunt apud *Michael. Ettmullerum in part.* 1. *ſect.* 1. *Schröder. dilucid. & Meſſ. Med. ſpagiric l.* 3. *c.* 2.

Alia eruditè de rore notat *Jacobus Pancratius Bruno in Lexic. Caſtel. pag.* 1015.

ANIMADVERSIO CXLII.

De Unguento ſympathetico.

DE Unguento cujus deſcriptio habetur infrà optimè multa ſcripſit *Jacob. Primeroſius de vulgi error. l.* 4. *c.* 48. *p.* 390. ℞. Adipis veteris aprugni, Urſini, ana. ℥. iv. bulliant per horæ dimidium in vino rubro, & fundatur ſupra aquam frigidam, colligatur pinguedo ſupernatans; Inde ℞. lumbricorum lotorum pulveriſatorum, Cerebri Aprugni, Santali rubri, mumiæ, hæmatitidis ana ℥. j. Uſneæ è cranio hominis interempti ʒ. j. miſce fiat unguentum cum pinguedinibus ſuprad ctis.

Et hoc unguento dicunt multi ſanari omnia vulnera, dummodò nervi, Arteriæ &c non ſint læſa; ungatur telum, inquit *Crollius*, quo vulnus inflictum, quotidiè ſemel, ſi urgeat neceſſitas, & ingens ſit vulnus, aliter ſufficit inunxiſſe ſecundo, aut tertio die; Telo ſemper ſervato in linteolo mundo, & in loco non nimis calido, ne fortè damnum patienti inferatur.

Dicitur autem hoc unguentum ſympatheticum, eo quod cum vulnere quandam habeat ſympathiam.

Circa operationis iſtius unguenti rationem varii varia dicunt; nam *Jo. Schröderus cum Crollio* ſcribit operari hoc unguentum identitate Balſami, ſive illius ſpiritus balſamici, qui in homine, & cruore idem eſt; hoc tamen intercedente diſcrimine, quod in homine ſpiritus hic adhuc vitali actu vigeat, in cruore autem coagulatus ſit; Alii ſanationem illam per meram naturam, & magneticam quandam efficientiam peragi cogitant, & de hoc curiosè ſcribit *R Goclenius*: Aliique è contrà curationem hanc tanquam fallacem, ſuſpectam, & minimè naturalem agnoſcunt, ut *Sennertus*,

Conri-

Conringius, *Chiuccius*, *Athan. Kircherus*, *A. le Grand*, *Sylveſter*, *Rattraiius*, *& Dygbæus*: Addere poſſem, *F. Hofmannum* ſed quia medium tenet, nec virtutem iſtius ſympathici unguenti totaliter aſpernatur; ideo ab illis, qui omnino à ſympathico abhorrent unguento, eſt ſeparandus: Hinc notandum cum *Jo Ott. Helbigio*, Æthiopes ſine armario unguento feliciter ſanare vulnera, ſolo ſevo ovillo calide vulneri impoſito.

ANIMADVERSIO CXLIII.

An Camphora venerem extinguat?

CAmphoram venerem exinguere teſtatur *Avicenna* ſcribendo, Camphoram ſeminaria vaſa refrigerare, & abſcindere coitum, & teſtibus, lumbiſque illitam veneris ſtimulos coercere; Huic ſententiæ plurimi ſe ſubſcribunt; *Scaliger* autem contradicit exemplo canis leporariæ, cui quamvis exhibita camphora, tamen coivit, concepit, & peperit; idem de Juvene fertur, qui eam in manu habens validiſſimè coivit, & prægnantem mulierem reddidit; hæc verò exempla non evincunt Camphoram venerem non extinguere; nam primò ad illud Canis reſpondetur nihil probare, quia plurima, tum Canes, tum alia bruta devorant innoxiè, quæ homo nequit; & homo è contra nucleos perſicorum ſalubriter edit, qui ſues, & gallinas necant, ut narrat *Chriſt. Franc. Paulinus in C. Anni* 76. *obſerv.* 231. Secundò autem pariter exemplum Juvenis nil probare dicitur, quia tactu ſolo vel odore tantum Camphora venerem non tollit; debet enim magna doſi ſumi ad hoc ut agere poſſit, quod clarè oſtendit *Rhaſes lib.* 4. *continent. tract* 3. *c.* 11.

Quin experientia edoctus *Frid. Hofmannus* ſcribit Camphoram crebrò, & in magna copia ſumptam venerem tollere: quod ante ipſum primò animadvertit *Zacutus Luſitan. l.* 3. *Med. Princip. hiſtor.* 20. *& Joh. Schröderus* conceptum impedire ait; immò, & abortum excitare *P. Borellus in cent* 2. *obſ.* 98. fatetur; Ex quibus liquet facilè veneris ſtimulos camphoram fugare, in magna doſi ſumptam.

ANIMADVERSIO CXLIV.

De Rubini virtutibus.

GEſtatus Rubinus venenis reſiſtit, & à peſte præſervat, ſi *Schrôdero* credimus; Melancholiam arcet, libidinem coercet, & ſomnia terrentia avertit; Quin ſi homini rubinum gerenti aliqua inſtent infortunia, ea mutatione coloris indicat, ut notat *Clar. Andreas Baccius de gemmis.*

Nonnulli tradunt etiam in coitu, ſi quis rubinum ſecum geſtet, mutari, ut narrat *Frid. Hofmannus com. in Pharm. Schrôderi.*

P. Joannes Faber. lib. 3. Micro technes Spargiricæ quintam eſſentiam rubini in variis morbis commendat, cujus deſcriptio apud ipſum extat.

Et Rubinum Antimonii mercurialis parandi modum dictat *Clar. Clodius*, ut videre eſt apud *Meſſ. med. ſpargyric. lib. 3. cap.* 17.

ANIMADVERSIO CXLV.

De Diarrhœa ante menſtrua.

IN Medicorum hiſtoriis multa curioſa paſſim occurrunt, circa menſtrua, in primis autem è variis corporis partibus manantia notantur à *Theod. Kerckringio in ſpicileg.*, *à Bernardo Verzaſcha*, *Luca Schroockio*, *Joh. Helwigio*, *Riedlino* aliiſque, ſed ut alia taceam de ſequenti fœmina narrabo.

Erat mulier Ferrariæ paucis abhinc menſibus extincta 29. annum agens per benè longum temporis ſpatium, ex menſium obſtructione, variis gravibus morbis comitata, afflicta, cui poſtquam fluere ceperunt menſtrua ope medicamentorum, ſemper menſium fluxum præcedebat diarrhœa, & hæc ad trium, vel quatuor dierum ſpatium; Auguſti autem Menſe Diarrhœa mutata fuit in dyſenteriam, quæ tam immaniter ipſam cruciavit, ut tandem miſera Fato ceſſit.

ANIMADVERSIO CXLVI.

De utilitate aquæ in dyſenteria.

PEtrus *Salius Diverſus notis in Altimar.* ait, optimum eſſe remedium, & pluribus quoque Medicis notum, aquarum naturalium uſum in dyſenteria; aqua enim large ebibita reddit tonum viſceribus, & ad ulceris curam facit.

Iſtius autem non indiſtinctus ſit uſus, non enim tutum eſt aquas adhibere, ubi materia peccans multa, ac copioſa in corpore abundaverit; nam ſi talis materia vi aquæ intercipiatur, alterum duorum ſequetur, nempè, vel quod materia peccans retenta ad alias partes convertatur, hincque enaſcantur ægritudines lethales; vel retenta hæc materia acrior facta cauſa ſit majoris dyſenteriæ; Quarè uſus aquæ erit cum pro parte evacuata materia in minori erit mole, quo tempore oportunum erit aquam exhibere, cùm ex hac ſanatio haberi poſſit: Quod ſi a dyſenteriæ principio, nec copia excrementorum adſit, nec eorundem pravitas inſignis appareat, tutò etiam tunc exhiberi poterunt aquæ, & mihi ſæpe feliciter fuere in uſu.

Hinc dum humores bilioſi diminuuntur, ait *Clar. R. Jo. Fortis* aquas thermales optimas eſſe interjecto vehiculo dejectorio, ſyrupo roſarum ſolutivarum, & hoc ad x. vel xij. dies, de quo plura apud *Theoph. Bonettum Mercur. compit. lib. 6. pag.* 154.

ANIMADVERSIO CXLVII.

An Vulnera Sclopetorum ſint venenata?

TRes ſunt opiniones de vulneribus ſclopetorum; Alii enim ſtatuunt ea eſſe venenata: alii venenata eſſe negant, empyreuma tamen habere dicunt; alii tandem neutrum con-

cedunt; ſed omne id quo differunt hæc vulnera à cœteris acuto tello illatis, eſt à partium, quas globus tranſit contuſione, & dilaceratione: At ſi venenoſitas adeſſet, ea eſſet; vel à pulvere pyrio, vel à globo; non poteſt eſſe à pulvere, ut docet *Sennertus*, quia res è quibus pulvis componitur venenatæ non ſunt; immò experientia teſtatur, plures à globis hujuſmodi vulneratos nullum ſymptoma, quod veneni ſit indicium, pati; Non à globo plumbeo; nam plumbum nihil veneni afferre conſtat, ex eo quod multi diù globos plumbeos innoxiè in corpore circumferant, ut de multis hîc Ferrariæ poſſum teſtari: licet contrarium teneat *Franc. Plazonus lib. de vulner. ſclopetor. cap.* 8. nam hîc Ferrariæ vulnera hujus generis ſanantur nulla habita ratione veneficæ qualitatis; Poſſum tamen abſque præjudicio concedere aliquando ſclopetorum vulnera venenata eſſe, dum ſcilicet globus plumbeus antequam in ſclopetum immittatur veneno affectus ſit; de quo plura *Cæſ. Magatum in Appendic c.* 2.

ANIMADVERSIO CXLVIII.

An ſolus homo epilepſia laboret?

ARiſtoteles in Problematibus ſcribit ſolum hominem morbo laborare caduco; Alii autem, & meritò hoc negant, & primò *Plinius* quem ſequuntur *A. Mundella*, *Ulyſ. Aldrovandus*, & *Jul. Solinus*, ait, coturnicem epilepſia laborare, hinc *Aldrovandus* addit Picas, & Perdices, *Jacob Olivarius* Capos caducos vidiſſe teſtatur, & Paſſeres: Quin & *Hippocrates lib. de morbo ſacro* ſcribit, oves, & capras Herculea affectione affici: & canes epilepticos vidit *Julius Cæſar. Scaliger. comm. in lib.* 2. *Ariſtotel. de Plantis*, cui aſſentit libenter *Cælius Rhodiginus lib.* 6. *Antiqu. lection.* ipſoſque lue gallica affectos obſervavit *A. Le Grand. in Compend.* Et ego denique juſtè fateri poſſum, me elapſis menſibus Carduelem in cavea detentum obſervaſſe pluries convulſionibus epilepticis correptum, ac denique extinctum, Unde præter hominem bruta quo-

quoque præter *Ariſtotelis* mentem epilepſia laborare, fatendum eſt imò & Arbores aliquas epilepticas eſſe teſtatur *Paracelſ. cap. de morb. caduc.*

ANIMADVERSIO CXLIX.

De rebus alienis per penem excretis.

PEnis meatus uſus duplex eſt, unus ut urina per eum evacuetur, alter autem, ut per ipſum ſemen excernatur: Multoties verò accidit, ut præter naturam etiam aliæ res per eum excernantur; & primò ſanguis interdum per penem excernitur à renibus proveniens ut notavit *Fernelius lib. 6. patholog.* in quodam, qui longa gonorrhœa affectus purum ſanguinem emittebat; & obſervavit *Dan. Sennertus* in nimio coitu ſanguinem aliquos effudiſſe, ut & confirmavit *Hollerius* ſcribendo, ſe vidiſſe duos Adoleſcentes qui per immodicam Venerem purum cruorem per penem reddebant.

Cauſa immediata affectionis hujus eſt apertio oſculorum vaſorum ſpermaticorum ſi *Sennerto* credimus ſi enim brevi tempore coitus ſæpius repetatur, vaſa ſemen elaboratum continentia ita exhauriuntur, ut per vaſorum ſpermaticorum ſanguineorum oſcula ſuctione quaſi dilatata ſanguinem ipſum emitti videatur. Curatur autem hæc affectio rectiſſimè abſtinentia à Venere, & medicamentis adſtringentibus, quæ laxitatem præter naturalem vaſorum ſpermaticorum corrigunt; de quibus apud Practicos.

Præter ſanguinem, quoque acus, vermes, piloſas materias, calculos, ejici quotidiè per virgam patet omnibus praxim medicam exercentibus; Et *Plutarchus Auctor ſanè non contemnendus* mirabile narrat de Ephebo quodam Athenis, qui ſerpentem puſillum piloſum, & pluribus pedibus ſtatim ambulantem, multo cum ſemine ejecit; quin carbones per urinam excretos vidit *Joh. Baptiſta Lamzwerde*, & Anguem excretum per penem obſervavit *Nic. de Blegnii in Zodiac. med. Gal.*

ANIMADVERSIO CL.

De narcoticis in febrium curatione.

NOn deſunt aliqui Medici, qui ad minuendum vel inhibendum paroxyſmum opiata exhibent, non tantum in intermittentibus febribus, ſed etiam in malignis, dum magna adſit ſymptomatum vehementia in morbi principio vel augmento illa alexipharmacis mixta ad aliquot grana propinant, eo quod eorum virtute narcotica, & congelante ferventes fuligines cordi infeſtiſſimæ figantur quaſi, & materia febrilis maligna compeſcatur, ut natura à malignis humoribus, & ſpiritibus non laceſſita, recollectis viribus alexiteriorum virtutem ſibi faciliùs applicare valeat, quod confirmant *Zacutus*, *Riverius*, *&* *Poterius*, qui in febre ardenti potum cardiaco-narcoticum ſequentem præſcripſit;

℞. Spec. diamargarit. frigid. ʒ. j. ſyrupi papav. ℥. j. aquæ acetoſæ ℥. vj. ſucci citri ℥. s. miſce & ſufficiat pro una doſi.

Verum quemadmodum nullum præſidium temerè eſt aggrediendum, ſed circumſpectè omnia tractanda, ita & in opiatorum adminiſtratione eandem oportet obſervare cautelam; in febribus enim intermittentibus, ſi major febrilis materiæ pars quodammodò ſit conſumpta, & obſtructiones fuerint ſublatæ, tranſactis aliquot paroxyſmis non facilè opiata hora una ante paroxyſmum exhibita nocere poſſunt teſte *Laz. Riverio* : Aſt in ardentibus febribus, & malignis longe alia eſt habenda regula, in quibus ſpiritus potiùs elibrationem, quam fixationem flagitant; unde hujuſmodi febres opiatis medicamentis non curantur, verum magno ægrorum periculo ſemper magis inſæviunt; hoc confirmante *Fr. Hofmanno Mater. Medic. pag. 368.*

OMNIBUS PLACERE DIFFICILE.

FINIS.

INDEX

INDEX

ANIMADVERSIONUM.

1. *De Epilepſia.* Pag. 441
2. *De Igne è corpore emiſſo.* 444
3. *De ſumma alvi ſtypticitate.* 445
4. *De Opiatis medicamentis ad tollendum fluxum nimium menſium.* ibid.
5. *De Phthiſi à gutturis ulcere.* 447
6. *De diureticis in ſtranguria; dyſuria & iſchuria.* 448
7. *De Cordis palpitatione.* 449
8. *De paracentheſi in aſcite.* 451
9. *De elixirii vitæ præſtantia.* 452
10. *De dyſenteria.* 453
11. *De Capitis dolore cucurbitula fugato.* 455
12. *De miro capitis vulnere ſanato.* ibid.
13. *De ſudorificis in diabete.* 457
14. *De Spiritibus.* 458
15. *De Cranio fracto cute illæſa manente.* 466
16. *De Hæmoptoïco ſucco urticæ curato* 467
17. *De Febri continua laudano opiato fugata.* ibid.
18. *De Phthiſi.* 468
19. *De lacte in Renum ulcere.* 469
20. *De calculoſo affectu.* 470
21. *De paſſione ſtomachi faciliter curata.* 472
22. *De purgatione in Lienteria.* ibid.
23. *De Phrenitide.* 473
24. *De febri diureticis fugata.* 474
25. *De Hydrargyro in iliaca paſſione.* 475
26. *De Obſtetricum ignavia.* 476

27. *De pallido Virginum colore.* pag. ibid.
28. *De Cantharidum Veneno.* 478
29. *De Hirudinibus utero apponendis.* 479
30. *De Chinæ Chinæ præſtantia.* 480
31. *De Lacte, & Ductibus Lactiferis.* 481
32. *De Hominis generatione ex Ovo.* 487
33. *De Menſtruis, ſeu Catamæniorum fluxu.* 499
34. *De Ventriculo, ejuſque cum variis corporis partibus conſenſu.* 508
35. *De Febri lenta mirabiliter curata.* 514
36. *An adſtringentia in Fluore muliebri conveniant.* 515
37. *De Hæmoptöe.* 516
38. *De dolore capitis ſanato.* 517
39. *De Veſicantibus in capitis dolore.* 518
40. *De Lienis Scirrho mirabiliter ſanato.* 519
41. *De medicamentis aliquibus in Ophthalmia.* 520
42. *De venere in melancholia.* 522
43. *De Antipathia cum teſtudinibus.* 623
44. *De Vomitoriis in Apoplexia.* ibid.
45. *De Venæſectione in Diarrhæa.* 524
46. *De acidis in læſa ventriculi functione.* 525
47. *De ſiti morboſa.* 526
48. *De vomitu excitando in nauſea.* 527
49. *De muliere barbata.* 528
50. *De fœtidis medicamentis in Hyſterica paſſione.* 529
51. *De extractione lienis in obſtructo ſplene.* 530
52. *De purgato corpore ſolo odore medicamentorum.* 531
53. *De Purgantibus in Vertigine.* 532
54. *De Lienis magnitudine ferè incredibili.* ibid.
55. *De Medicamentis extrinſecis in convulſione.* 533
56. *De Venæſectione in Teneſmo.* 534
57. *De Vomitu in Paralyſi.* 535
58. *De ſanguine ejuſque uſu, & circulatione.* ibid
59. *De Venæſectione in Pleuritide.* 544
60. *De dulcibus in Tuſſi.* 545
61. *De ſectione thoracis in empyemate.* 546
62. *De purgantibus in ictero.* 547

63. *De Venæſectione in amore inſano.* 548
64. *De oleoſis medicamentis in fame canina.* ibid.
65. *De purgatione in Mania.* 549
66. *De Venæſectione in dolore Colico.* 550
67. *De Oleis Aromaticis, & ſalibus volatilibus in ſyncope.* 551
68. *De Sanguinis miſſione in Incubo.* ibid.
69. *De nonnullis Medicamentis ad mictum Sanguinis.* 552
70. *De Sanguinis transfuſione.* 553
71. *De Diarrhæa ante menſtrua.* 555
72. *De Sanguine albo.* ibid.
73. *De mira Abſtemia.* 556
74. *De Podagra natalia à ventriculo noſcente.* ibid.
75. *De fluore muliebri Croceo.* 558
76 *De Vino in Febribus.* ibid.
77. *De Sanguine licet nigricante, tamen non melancholico.* 559
78. *De Statua humana circulatoria.* 560
79. *De Antipathia inter Bufones, & Araneas.* 561
80. *De Calculo eximiæ magnitudinis.* ibid.
81. *De Capitis dolore arteriotomia ſanato.* 562
82. *De ſomno poſt venæſectionem.* 563
83. *De Venæſectione Neroniana.* ibid.
84. *De condiendis cadaveribus.* 564
85. *De Vermibus in Aceto.* 565
86. *De Aquæ circulatione.* 567
87. *De oſſis frontis cavitate.* 568
88. *De Arteria Bronchiali.* 569
89. *De quodam nunquam ægroto.* 570
90. *De Hæmorrhoidum dolore urina fugato.* ibib.
91. *De oſſium humanorum uſu in dyſenteria.* ibid.
92. *De Scorpionibus ex ocymo.* 571
93. *De Sanguine humano in hæmorrhagiis.* 573
94. *De prædictione futurorum in morbis.* ibid.
95. *De Paralyſi frigidis curata.* 574
96. *De riſu in Epileptico Paroxyſmo.* 575
97. *De Dentibus.* ibid.
98. *De acicula deglutita.* 576

99. De *Vulpis ſanguine ad frangendum calculum Veſicæ.* 577
100. De *exceſſiva hepatis magnitudine.* ibid.
101. De *imperitia Chirurgi Aneuriſma cauſante.* 578
102. De *Antipathia ad Muſicam.* 579
103. De *China Chinæ.* 580
104. De *eſu rerum abſurdarum.* 582
105. De *potu ad pulmones non perveniente.* ibid.
106. De *Lachrymis.* 584
107. De *Nicotiana vulgò Tabaco.* 585
108. De *Aſthmate ſine febre.* 587
109. De *pulſuum obſervatione.* ibid.
110. De *ſyderum conſideratione in Medicis operibus.* 588
111. De *Thermarum noxa in Arthritide.* 589
112. De *Febrifugis.* 590
113. De *Siti non toleranda in febribus.* 591
114. De *mortuo fœtu, fracto, & è corpore emiſſo.* 592
115. De *Laringotomia.* ibid.
116. De *Hemorrhoïdum fluxu, & dolore.* 594
117. De *Vino in Lethargo.* 596
118. De *Hydrocephalo ſanato.* 597
119. De *Vomitoriis in ſingultu.* ibid.
120. De *venæſectione in hepatis obſtructione.* 598
121. De *venæſectione in Aſthmate.* 599
122. De *linimentis in Peripneumonia.* ibid.
123. De *dulcibus in lumbricis.* 600
124. De *Paracenteſi in Hydrope thoracis.* 601
125. De *lacte viridi.* 602
126. De *lochiis per alvum evacuatis.* ibid.
127. De *viribus imaginationis in gravida.* 603
128. De *imperforatione mulierum.* 605
129. De *Tumore venæſectione curato.* ibid.
130. De *cura ſpinæ ventoſæ.* 606
131. De *illis, qui pulverem vel Serpentum vel Viperarum ſumpſere, an tuti ſint à morſibus illorum?* 607
132. De *methodo therapeutica comatis.* 608
133. De *Cinnabari intus ſumpta.* ibid.

134. *De cornu Cervi præſtantia.* 609
135. *De ſpermate Ceti.* 611
136. *De Cliſteribus.* 612
137. *De Veſicantium utilitate.* 614
138. *De ſuppoſitoriis.* 116
139. *De Cicutæ Emplaſtro.* ibid.
140. *De Antimonio diaphoretico in Pleuritide.* 617
141. *De viribus Roris.* 618
142. *De Unguento ſympathetico.* 620
143. *De Camphora an venerem extinguat.* 621
144. *De Rubini Virtutibus.* 622
145. *De Diarrhœa ante menſtrua.* ibid.
146. *De utilitate aquæ in dyſenteria.* 623
147. *De vulneribus ſclopetorum.* ibid.
148. *An ſolus homo epilepſia laboret?* 624
149. *De rebus alienis per penem excretis.* 625
150. *De Narcoticis in febrium curatione.* 626

FINIS.

INDEX
RERUM ET VERBORUM,
In hoc Tertio Volumine contentorum.

A.

Abſceſſus cruris quomodo expurgatus. pag. 406.
Abſtemia quædam miranda. p. 556.
Academia, undè antiquitus derivatur. Quid verò Academiæ noſtræ. p. 222. Quid ſub earum nomine venit. Vulgò Univerſitas dicitur. Illarum inſtitutio antiqua eſt. Earum utilitas. p. 223.
Accipenſer. vid. *Sturio.*
Acetaria quibus herbis parabantur, & parant*ur* etiam nunc, & quomodo condiebantur. Eorum uſus antiquiſſimus eſt. Præcipuæ herbæ quibus componebantur. p. 300. Quid delectatio eis deinde ſuperaddidit. p. 304.
Acus deglutita quomodo & per quam corporis partem extracta. De diverſis aliis rebus etiam deglutitis feliciter aut extractis aut evacuatis. p. 428. & 576.
Agapæ quænam convivia. p. 126.
Alabaſtri unguentum quid eſt, & undè nomen reperit. p. 121.
Alvi ſtipticitas quomodo curata. Diverſa ejus termina, diverſæque curationes. p. 408. 409. & 445.
Amaracus quid eſt. Secundùm aliquos differt à ſampſycho, juxta verò alios non. p. 79. Abundat in Ægypto. p. 80.
Amor abſurdus & ridiculus vituperatur, & quare. Dantur exempla talis inſaniæ. p. 168. & 169. Quomodo curatur Amor inſanus. p. 548.
Analecta quid eſt. Quare nefas erat ea tollere. p. 202. Quid verò Analectæ & quodnam erat eorum munus. p. 203.
Aneuriſma ruptum ſanatur à Natura ſicut & ab arte, & quomodo. Deſcribitur medicamentum ad illius curationem laudatum. p. 420. & 579.
Angina qualis per Laryngotomiam curari poteſt. Præcautio Medici in tali operatione. p. 593.
Animalia omnia ex ovis oriuntur. p. 487. & 572.
Animantia cuncta ad maximam admirationem Philoſophos trahunt, & quomodo.

Qua

Qua ratione differunt. Ab exiguis ad grandia, à parvis ad eximia infinita Dei Providentia ſuper terram prodigia poſuit. p. 281. Sui modum vivendi quæquæ tenent. p. 282. Omnia ex ovis genita dicuntur. p. 489.

Annus quot olim conflatus erat menſibus, quot verò nunc conſtat, & à quo tempore. p. 182. & 183.

Antimonium diaphoreticum optimum eſt in Pleuritide. Diverſæ aliæ ejus proprietates. Hoc nomen, Diaphoreticum, gratis ei tributum fuiſſe dicitur. p. 617.

Antipathia, ejus vis ſicut & Sympathiæ inter homines & Belluas. p. 523. De Antipathia inter Bufones & Araneas. p. 561.

Antiqui quot in die edebant, & quo nomine vocabant ſumptionem ſuorum ciborum. p. 118. 169. & 170. Quare ſanius eſt pluriès in die cibum ſumere. ibid. Quomodo ſtabant ad menſam. p. 118. & 340. In Luctu ſedebant. p. 119. Nunquam ſtantes epulabantur. Quomodo cœnabant aliqui, in quonam corporis habitu, & quomodo lectis incubabant. ibid. & p. 120. Inter Bellaria poſt cœnam quid adhibebant. p. 122. Prægustatores habebant. p. 123. nunquam nudi accumbebant. Quare accubituri pedes lavabant, ac ungebant. p. 122. & 128. Preces agebant. Quomodo ſacras menſas faciebant. Quibus Poculis bibebant. p. 122. Abituri ad ſummum quid agebant. p. 125. Ubinam cœnabant. p. 126. Medio convivio ſolebant projicere larvas. Duas apparebant menſas. Cranium Hominis apponebant in menſam & ob quem finem. ibid. Bibentes ſolebant dicere *Vivas*. p. 127. Quo tempore cibos ſuos ſumebant. ibid. Nobiliores quomodo cœnabant. p. 129. Quare veſcebantur publicè. ibid. Panes elevatos non habebant ut nos. p. 136. Quare in diſcumbendo uſus eis fuerat cibos digitis capiendi. p. 138. In tres partes dividebant cœnam. p. 244. Semper curarunt comedere cibaria Calidiſſima. p. 331. Veſte Cœnatoria utebantur in menſam. p. 340. Aquam calidam adhibebant ad vina, & quare. p. 345. Barbam venerabantur, & quomodo per eam ſupplicabant ac jurabant. p. 160.

Apodyterium quid eſt, & quomodo Latinè dicitur. p. 120.

Apophoreta quænam munera. Quibus & quandonam concedebantur. p. 126.

Apoplexia, in ejus paroxyſmo ſunt qui volunt nullo modo Emetica eſſe adhibenda, & quare. p. 523. Alii verò contrà, ſed quadam cum cautela. p. 524.

Aprilis, à quo Numine ſic vocatur, & quare. Quid prima hujus menſis die conſtitutum erat. p. 180.

Aranea, in quo conſiſtit ejus virus, & quale eſt. Quomodo contrarium eſt veneno Bufonis, & illud deſtruit. p. 561.

Arma, vox illa variè à Latinis uſurpatur. p. 136.

Aromata dicuntur ſolatia Sepulturæ, juxta verba J. C. ad Magdalenam. p. 9.

Arteria Bronchialis quid eſt. Qua ratione maximi facienda eſt. p. 569. Ad quid à Natura videtur condita. p. 570.

Arthritis, ejus dolor quomodo placatus. Præter Venæſectionem laudantur & alia plurima remedia. Datur Emplaſtrum conveniens. Deſcribitur aqua ad compeſcendum talem dolorem. p. 413. & 414. Indicantur & alia medicamenta. p. 557. In Arthritide noxius eſt Thermarum uſus. p. 589.

Aſtarte. vid. Libitina.
Aſthma ſine febre eſſe crediderunt olim aliqui. Improbatur hæc opinio, daturque ratio cur eâ comitari ſolet. p. 587. In ejus paroxiſmo maximè convenit Venæſectio. p. 599.
Auguſtus, in cujus honorem ſic dicebatur, & quare ſextilis vocabatur. p. 181.

B.

Bacchanalia quænam erant olim feſta. Eorum deſcriptio habetur ex *Cicerone.* p. 241. Quibus nominibus adhuc vocabantur hæc feſta. Quomodo celebrabrantur, & quid licitum erat in eis. Quare fuerunt prohibita. Tragædiæ & Comœdiæ in illis agebantur. Caſta etiam erant illa ſacra & quomodo, à quibuſnam Mulieribus celebrabantur, & quarè. Quis inſtitutor illorum fuit. p. 242. Horum feſtorum Miniſtri. p. 243.
Bacchus, quare ei cognomen Medici fuit impoſitum. Apud Ægyptios hederâ coronabatur. p. 62. 63. & 73. Multis aliis vocabatur nominibus. p. 242.
Balſamatio Cadaverum antiquiſſima nobiliſſimaque eſt, & undè deſumitur illa Nobilitas & antiquitas. p, 5. & 6. Apud quos invaluit mos ille vetus. Ad quot uſque tempus hac Balſamatione conditum Cadaver ſervari poteſt. ibid. & p. 7. Undè patet illius utilitas. ibid. Quomodo definitur Balſamatio. Quotuplex datur illius cauſa. Quare Ægyptii hac Balſamatione utebantur. Quænam eſt finis illius. p. 8. Quanti æſtimabatur apud Antiquos. Ex qua Tellure demandabantur Aromata ad hunc uſum. De odoramentis & aromatibus quibus condiebantur olim Cadavera mentionem faciunt Autores plurimi. p. 9. & 10. Quare Chriſtiani primi ævi Cadavera ſua tam liberaliter ungebant. p. 11. Varii modi ac ritus Balſamandi Corpora apud Antiquos. p. 20. & ſeqq. In Galliis dicitur eſſe terram vim habentem conſervandi Cadavera. p. 23. Varii à recentioribus Medicis Balſamandi Cadavera modi p. 29. & ſeqq. Sententia *Rhaſis* de Cadaverum conditura. p. 29. Balſamatio Cadaveris *Alexandri Papæ* V. p. 30. Balſamatio Nobilium. p. 31. & 564. Modus condiendi Cadavera apud Europos. p. 33. Diverſæ aliæ formulæ Balſamationis. p. 35. & ſeqq.
Barba, ejus dignitas. Signum virilitatis eſt. p. 129. & ſapientiæ. p. 161. Magno in pretio fuit apud Græcos & Romanos. p. 160. & 161. Quare Jovem barbatum fingebant veteres, & per barbam jurabant & quomodo. p. 160. Vetitum erat Mulieribus mentum novacula radere. ibid. & p. 219. Quo tempore fuit inventum barbam radere. Quomodo Sacerdotes Sabini eam tondebant. Sunt Populi qui eam deponebant, alii verò qui eam alebant. ibid. Quare rarò ineſt Mulieribus. p. 290. Sunt quædam Barbatæ inſtar virorum. Undè provenit hæc piloſa excreſcentia in illorum maxillis. p. 528.
Boïæ quodnam genus eſt vinculi. p. 216.
Bufo quid eſt. Ejus odium in hominem. Qualitas ejus veneni, & in quo differt ab illo Araneæ. p. 561.
Buſtirapi, quinam ſic vocabantur, & quam ob cauſam. p. 18.

Cæſa-

C.

Cæſaries à quo verbo ſic dicitur. p. 288.

Calculi in variis partibus corporis oriri poſſunt. Cum lotio & per vomitum excreari poſſe, docet experientia. p. 416. Reperiuntur etiam in venis emulgentibus, ſicut & in diverſis aliis partibus corporis humani. p. 427. De Calculo Veſicæ circa acum in eam illapſam collecto. p. 429. De plurimis diſſimilibus Calculis ex Veſica exemptis per ſectionem. Quid notandum eſt circa illam ſectionem. p. 430. Calculoſi affectus quomodo definiuntur. Eorum Cauſa. p. 470. Cauſæ accidentales. Signa Diagnoſtica. Calculus renum pernicioſus eſt morbus. Ulceri adjunctus incurabilis eſt. p. 471. Quomodo frangitur calculus veſicæ ſanguine Vulpis. Indicantur etiam multa alia medicamenta. p. 577. De eximia cujuſdam Calculi magnitudine. p. 561.

Calculus cretæ, quodnam Symbolum erat apud Antiquos. Quid ſignificabat creta, quid verò carbo. p. 185. Quomodo & ad quid eis utebantut quidam Populi. p. 188.

Calix undè ſic dicitur. p. 128. A parvis incohabant veteres, & in capaciores deſinebant. p. 130. & 183.

Camphora Venerem extinguit, ſed in magna doſi ſumpta. Conceptum impedit, abortumque excitat. p. 621.

Canis cuſtodia; unde provenit celebre illud dictum, *Cave Canem.* p. 334. Apud quos invaluit uſus oſtiarii ſive picti ſive vivi. p. 335.

Cantharides quomodo venenum ſunt patet ex hiſtoria relata. p. 478.

Canticum Canticorum legere periculoſum eſt, niſi in ætate matura, & quare. p. 100. & 101.

Capillus quid eſt, & pro quo ſumitur. p. 287. Quare in Fœminis tanto ſtudio ſervantur Capilli. Quænam ſunt corpora. p. 288. Quodnam eſt diſcrimen inter eos & Pilos. Quid obſervandum eſt in eis. Eorum materia, locus, figura, Color, & undè diverſitas illa coloris. p. 289. & 290. Eorum uſus. Quomodo vivunt Capilli. Modus eos venuſtandi. p. 292. Eorum dignitas. De Capillis Abſalonis. In funereis luctibus tondebantur Capilli. p. 293.

Capiſtra quænam erant vincula, & ad quem uſum. p. 216.

Capitis dolor quomodo per cucurbitulam ſanatus fuit. Mirum vulnus capitis quomodo curatum. p. 455. Alius dolor capitis quomodo ſanatus, p. 517. In dolore Capitis feliciter adhibentur veſicantia. p. 518. Pertinax Capitis dolor quomodo ſanatus. p. 562. Dolor Capitis ut ſanè curetur quid primariò Curandum eſt. Quænam deinde adhibenda ſunt medicamenta. p. 608.

Carnifex quodnam erat ejus munus apud Romanos, & in quo differt à Lictoribus. p. 203.

Caro, quinam Populi carne humana veſci ſolebant. p. 125. Ejus eſus quomodo vocatur. p. 127.

Cataſtæ, quid earum nomine intelligitur. p. 216.

Catena quid eſt, & ad quid ea utimur. p. 217.

Catul-

Catullus, quomodo intelligi debet verbum illud, *Collum*, in ejus Carminibus contentum. p. 262.
Cellæ glaciariæ quo tempore, & ad quem uſum fuerunt inventæ. p. 125.
Ceraſum, quare vocari poteſt Princeps fructuum, & Præcox. p. 304. Ejus elogium juxta S. *Hieronymi*. Quare cornus fuit vocatum. Ejus deſcriptio. Undè nomen ejus habet. p. 305. & ſeqq.
Chamæleon Carlina dicitur. A quo & quare ſic vocata eſt. Ad quid laudatur in Medicina. Chamæleon tanquam Animal quid eſt. In quibus Regionibus naſcitur. Nonnulli in Italia eos nutriunt & quam ob cauſam. De ejus colore. Quomodo nutritur, diversè ſentiunt Autores. p. 228. & 229.
China-chinæ quodnam eſt febrifugum. Quomodo præſcribitur. De tempore & modo quo ſumi poteſt ac debet. p. 580. De ejus doſi. Quid ſic ſumpta præſtat. p. 581. & 480. Quædam notanda poſt ejus aſſumptionem. Ex iſto cortice quid paratur. p. 581.
Chloroſis quid eſt. Quomodo definitur. Ejus cauſa immediata. Aliæ cauſæ ſigna diagnoſtica. Ad quid terminatur hic affectus ſi negligatur. p. 477.
Chriſtiani antiqui ſpe proximæ reſurrectionis Cadavera Condebant, ut refert D. *Auguſtin*. p. 11. Uſurparunt ex Ethnicis uſum cœnæ feralis. p. 19. Primi Chriſtiani Cœnaculis domorum utebantur pro Eccleſiis. p. 121.
Cicuta inter venena refertur, & quare. Optimus eſt externus ejus uſus, ad quid & quomodo. p. 616. Deſcriptio ejus emplaſtri. p. 617.
Cincinni. vid. Cirri.
Cinnabaris quænam æſtimanda eſt in deſperatiſſimis morbis. Quid de ea dicunt multi. p. 608. Aſſumpta in Stomacho variè & mirificè afficit. p. 609.
Cirri maximo in decore erant apud quoſdam Populos. Propriè tamen ſpectant ad ornatum Fœminarum. Cui Comparantur à Pœtis. p. 162. Eorum ope pulchriores apparent Sponſæ. Quonam inſtrumento utebantur Mulieres ad illos efformandos. p. 163. Non decet hominem cirros in fronte gerere, & quare. p. 164. Cirros ſeu crines diversè tondebant veteres. p. 219.
Clyſterum quatuor ſunt genera. Quid utraque. Eorum uſus. p. 612. Quid advertendum eſt in illorum injectionibus. Diversè diverſiſque conficiuntur materiis pro diverſis morbis. p. 613. Clyſteres nutrire multis probatur exemplis. p. 614.
Cochleare, ſeu, Cochlearium quodnam eſt inſtrumentum, & quo uſu. Variè à variis nominatur. Ejus origo & Etymologia. Ex qua materia præſtabatur olim, priuſquam ex metallo conficeretur. p. 134. Nomen Armorum habebat apud Antiquos. ibid. Cochleare apud veteres idem eſt ac Ligula, & eodem officio. Quale erat caput iſtius inſtrumenti. p. 137. Explicatur difficultas quæ reperitur apud *Petron*. circa pondus cochlearium à Trimalcione amicis ſuis convivis miniſtratorum, & quomodo evitari poteſt. p. 337. & 338.
Cœna Pollinctura, ſeu, Novendialis, quid ſub ejus nomine intelligebatur, & quare ſic vocabatur. Quonam diè fiebat hæc cœna quæ Feralis etiam dicebatur. p. 16. Et à quo verbo. p. 17. & 12. Fuit quoque vocata juxta quoſ-

dam Silicernium. Undè manavit genus illud loquendi. (*cœnam è Rogo rapere*) p. 17. Vetutiſima eſt Feralis illa Cœna. Quid de ea dixerunt *Jul.* & *Girald.* De cibis in hac funerali cœna propriis. p. 18. Ac de prohibitis. p. 19. Quid inſtitutum erat in hac cœna. Ad quos tranſiit uſus ac mos ille. ibid. Cœna quid eſt. p. 118. & 257. Variæ ſunt Cœnæ & quænam. p. 118. Cœna funebris quotuplex & quibus parabatur. p. 121. Cœnæ quomodo ferebantur. p. 122. Initio Cœnæ quid apponebatur, quid verò ad finem. Cœna recta quænam erat. p. 122. Cœnæ adipatæ Dapales vocabantur. p. 123. Quænam erat Cœna adventitia & viatica. p. 124. Per Cœnacula quid intelligitur in Sacris paginis. p. 125. Imperatoriæ Cœnæ accumbere cuinam licebat. ibid. Semel de diè Cœnare Sanitati nocet. p. 127. & 256. Tria genera Cœnarum erant apud Romanos, & quænam. p. 127. Cœna pura quænam ſic dicebatur. ibid. Quomodo claudebatur Cœna. p. 128. & 189. Quid de Pueris impuberibus ante Cœnam juſſit *Licurgus.* p. 128. In Cœnis, funeralibus quænam cibaria erant in uſu. p. 129. Quodnam erat tempus Cœnæ apud Athenienſes & Romanos. In cœnis tabella convivatori tradebatur, & ad quem uſum. ibid. Qua hora diei indicabatur Cœna. p. 214. Cœnæ quomodo dividebantur. p. 244. & 257. Quid intelligendum eſt per Caput Cœnæ à ſecunda menſa diſtinctum. p. 244.

Color ater in quo differt à nigro. Ambo tamen Antiquis infauſti erant, iiſque utebantur in Parentalibus. Quodnam ſignum erant patet ex Hiſtoria *Theſei*: Contrà verò color albus. p. 185. Diverſa alia ſymbola nigri & albi coloris, & in quibus circumſtantiis eis utebatur. p. 186. & ſeqq.

Coma quare Viris & Fœminis data eſt. p. 288. Maximæ venerationis erat apud veteres. p. 292. Quid de ea dicit *Ambroſ.* p. 293.

Commeſſatio quid eſt, & quid ſequebatur. p. 118. & 126. Quinam eâ utebantur, & quo tempore. p. 127.

Compedes quænam ſunt vincula. p. 216.

Conceptio hominis quomodo fit. p. 487.

Conſecratio Imperatorum Romanorum quomodo peragebatur antiquitus. p. 229.

Conviva in conviviis quid agere tenebatur. p. 119. Quomodo Convivæ Cœnaturi veniebant. p. 120. Quomodo pateram circumferebant. p. 121. Convivæ nec muti nec loquaces eſſe debebant. p. 122. Carmina canebant tibiis perſonantibus. p. 123. Antea lavabantur. p. 124. Præter veſtem triclinarem lintea quoque ſecum adferebant. p. 345. & 346.

Convivia antiqua quo tempore apponebantur, quandonam & quomodo ab iis diſcedebant Convivæ p. 54. & ſeqq. Convivii Rex quid agebat. p. 118. Ex quibus rebus conſtare debebant ut abſoluta fuiſſent. p. 119. In Conviviis odores incendebantur. Quomodo Convivia funebria celebrabantur. p. 120. In Conviviis quali utebatur aquâ. ibid. & p. 126. Ad quid indulgebantur Convivia Adoleſcentibus. p. 120. In Conviviis ſtabant Pueri & ad quid agendum. ibid. & p. 123. Compotationum ſodalitates vitandæ erant. Convivia quâ horâ à ſobriis adibantur. ibid. Diverſi mores in Conviviis tam apud Spartanos,

Sybaritas, Indos, Perſas, Græcos, quàm Romanos. p. 122. & 127. In eis quot Cyathos potabant Antiqui. p. 122. & 128. Ad Convivia quomodo ſtabant viri & mulieres. p. 123. In eis Tibiæ perſonabant & Buccina. p. 124. 125. & 129. In Conviviis Divitum ſolebant Egyptii in fine menſæ formam Cadaveris à ſervo allatam intueri & ad quem finem, & poſt eos quidam Romani. p. 124. De Convivio Abrahami. ibid. In Conviviis, ciborum varietas morborum eſt cauſa. p. 125. & 173. Quale convivium parabatur Triumphantibus & ubinam. p. 125. In Conviviis quænam Lex aderat. p. 126. Quid agebant Lacedemonii. ibid. Quomodo Convivia definit *Plutarch.* p. 128. Quale fuit magnificentiſſimum omnium Convivium. Quomodo Corinthii Convivabantur olim. ibid. Convivia quando laudantur. In Conviviis Pocillatores erant. p. 130. Quomodo terminabantur Convivia. p. 189.

Coqui ſtabant in Foro, & quid hìc agebant. p. 122. Quandonam Epulas aptabant. p. 129. Quoſnam coquos admittebant Lacedemonii. p. 130.

Cor quomodo ſuavitate odorum recreatur. p. 88. Quid eſt cordis palpitatio; undè oritur & quandonam cor dicitur palpitare. p. 449. Cauſæ talis affectus. Signum & Prognoſis. p. 450. Datur diverſa cordis palpitatio. p. 451.

Cornu Cervi, in quo conſiſtit ejus vis & præſtantia. Quomodo & quare figitur ac vitriolatur. Ejus proprietates. Variè pro variis indicationibus paratur. p. 609. Ex eo paratur unguentum & ad quid. De Gelatina ex eo parata; duplex eſt; Deſcriptio acidæ ejuſque uſus. p. 610.

Cornus. vid. Ceraſum.

Coronæ, quis primus fuit earum inſtitutor, & undè provenit illarum uſus. p. 47. Hæc inventio tribuitur innumeris Divinitatibus. p. 48. & 49. Earum uſus ex Altaribus ad Convivia transmearunt, & cuinam tribuitur exordium hujus ritus. p. 50. In quo Convivii ordine effundebantur Coronæ & unguenta. ibid. Et quo tempore Convivii. p. 51. & ſeqq. Signa erant bibacitatis. p. 57. & 118. Communiter & probabilius ad finem Convivii præſtari ſolebant. p. 57. Noſtrorum temporum mos etiam eſt ad finem Convivii calicem majoris notæ vino optimo afferre. p. 59. Quare in ſecunda menſa afferebantur Coronæ & unguenta. p. 60. 61. & 62. Coronas contra vinolentiam pharmacum eſſe dicit *Plutarch.* p. 63. Et apud veteres & recentiores capitis dolori per ebrietatem maximum ſunt levamen. ibid. & p. 64. Quare Coronæ & ungunta conjungebantur. p. 65. & 66. In Regibus inſeparabilis erat hæc unio. p. 67. De languidulis Coronis *Ciceronis.* ibid. & p. 68. Aliæ Coronarum ſpecies. p. 69. Et ex quo texebantur. ibid. Quare Coronæ florum maximè approbabantur, non verò illæ Arborum. p. 70. Quales Coronæ damnum, quales verò utilitatem & levamen afferebant. p. 72. & 118. Undè exordium ſumpſere Coronæ ex floribus & herbis. p. 75. De origine Naucratitis Coronæ. p. 76. & ſeqq. De Corona ex papyri floribus. p. 78. Coronæ ex Meliloto antiquiſſimæ ſunt. Earum uſus indicatur ex earum nomine & odore. Quomodo eas nuncuparunt Latini. p. 84. Ad quem finem fuerunt primò inventæ omnes illæ Coronæ. p. 86. Quid ſerie temporum ſemper eas comitabatur. p. 87.

De

De Coronis circa collum. ibid. Uſus Coronarum non ſat patet apud Hebræos, quamvis non prohibeatur in ſacris paginis. p. 99. Nec reperitur apud *Homerum.* p. 100. Tamen in Libro Canticorum aliquid ex eo legi poteſt. ibid. De Corona Sponſali in Cantico deſcripta, ſimul & de Corona Salomonis. p. 101. & 102. De Funiculis & Faſciolis quibus fronti Capitique alligabantur. p. 103. & 104. Quare ſponſis puellis Coronæ concedebantur. p. 105. Quare & quomodo in Conviviis Naſus & pedes Coronis percingebantur. p. 106. & 107. Quomodo Coronæ ad finem Convivii protrahebantur. ibid. & ſeq. Et quomodo Convivis diſtribuebantur. p. 109. Tres modi Coronandi vina. ibid. & p. 110. & ſeqq. Ex iſtis moribus quid ſequitur, patet ex Hiſtoria *Cleopatræ.* p. 114. & ſeqq. Coronæ convivales quomodo Hoſpitibus dabantur. p. 119.

Crambe ad quid Aegyptii eam in conviviis apponebant. p. 118.

Cranium quomodo fractum ac deinde curatum. p. 466. Cranium humanum in capitis doloribus & in fluxu dyſenrerico tribuitur. p. 571.

Crux, ejus ſupplicium quibuſnam infligebatur olim, quibus verò non. Hodie abolitum eſt, à quo, & quare. p. 218.

Cryptarum aqua quamvis lapideſcens ſenſibus omnibus explorata fontanæ aquæ ſimillima videtur. p. 382. Potum innoxium præbet tam hominibus quam beſtiis. p. 383. Quomodo tandem condenſatur. ibid. & p. 384.

Culinæ Antiquorum ubinam erant ſitæ. p. 121.

Culter quodnam eſt inſtrumentum, quibus & quo in uſu erat. Ejus uſum ignorarunt Græci. Quis ex eo mentionem facit. p. 135. Nomen armorum habebat apud veteres. ibid. Quare pro diſcerptione ciborum non opus erat cultro. p. 136.

D.

Dapes quis eas deartuabat in conviviis Antiquorum. p. 127.

Dapiferi, eorum officium. p. 118.

December, undè nomen eſt illi. In cujuſnam tutela, & cui dicatus erat. Quænam Feſta celebrabantur hoc menſe. Quid nefas erat agere in illo. p. 182.

Dentes, eorum dolor quis acutiſſimus. Varia eis aſſignantur laudabilia remedia. p. 402. & ſeqq. Sunt qui dicunt dentes eſſe oſſa, alii verò negant, & quare. Eorum proprietates ab aliis oſſibus diverſæ. p. 575.

Diarrhœa qualis per venæ - ſectionem curatur, & quare. p. 524. Diarrhœa ante menſtrua. p. 555. Diarrhœa ante menſtrua in dyſenteriam mutata, ex qua mors ſubiit. p. 622.

Dies atri apud Antiquos habebantur infauſti. Quinam erant illi dies & qui vetitum erat agere in illis. p. 185. & 228. Quinam erant dies Aegyptiaci. p. 186. Quomodo eos dividebant veteres. Quid dies Civilis, quid verò naturalis. In quot partes dividebantur dies. Diverſi erant dies, diversè vocati, & in quibus fas & nefas erat quædam agere. p. 227. & 228.

Diſſertatio de Jatro - Phyſicis in qua recenſentur omnes qui jam jam floruerunt, &

& nunc florent inſignes Ferrarienſes omnium Diſciplinarum cultores, deſcribunturque ſingula eorum nomina, nec non & opera quæ typis dederunt. p. 267. uſque ad p. 273.

Diuretica, quare ab eis ægros abſtinere debent Medici. Non ſunt adhibenda in Dyſuria, ſtranguria & Iſchuria, & quare. Quid melius in iſtis caſibus agendum eſt. p. 448. Multùm proficiunt in debellandis ſebribus. p. 474.

Dyſenteria quid eſt, & quomodo definitur. Quadruplex eſt. Hujus morbi cauſæ proximæ & remotæ. p. 453. Signa diagnoſtica. Prognoſis. p. 454. Dyſenteriæ optimum remedium dicunt plerique Medici aquam naturalem, & quare. Quomodo autem ea utendum eſt. p. 623.

E.

Echo quid eſt. p. 280.

Eclypſis tam Lunæ quàm Solis curioſa Phyſicorum lumina trahit. p. 280.

Elixirium vitæ, ejus virtus laudanda. p. 452.

Elops Græcorum. vid. Sturio.

Embryonis oſſa per alvum, umbilicum & vomitum ex abdomine extracta. p. 418. & 592.

Empyema. vid. Paracentheſis.

Endromis. vid. Veſtis.

Epidromes quid eſſe dicitur & ad quem uſum. p. 217.

Epilepſia quomodo dicitur, & quare. Quid eſt. p. 441. Undè oritur. Quænam ejus cauſæ. p. 442. Ejus Symptomata. Diverſæ dantur Epilepſiæ. p. 443. De quodam dicto ſuperſtitioſo circa ejus curationem. p. 444. Epilepſiâ non ſolùm laborat Homo, ſed & Bruta imò & Arbores. p. 624.

Ethnici ex quo defloratæ virginitatis argumentum ſumebant. p. 262.

Eubulus quid ſub nomine Dionyſii monuit ad ſanitatem. p. 119.

F.

Faba Aegyptia, ejus flos in coronis Antiquorum locum habebat. Diverſa ejus nomina; effectus & color. p. 85.

Fames Canina, undè ſuam trahit originem. Quomodo huic affectui ſatisfieri poteſt. p. 548.

Febris, quid parit diſtinctionem quæ reperitur in tot diverſas febres. Quis verò ſcopus Medici in horum omnium curâ. p. 590. Et quibus uti debet febrifugis. p. 591. Febrificitantes non debet ſiti macerare. ibid. De Febri continua à laudano opiato fugata. p. 467. Alia febris diureticis curata. p. 474. In febribus uſus vini relinquitur prudentiæ Medici. p. 558. Febris lenta quomodo curata. p. 514.

Februarius à quo Numine nomen habet. Quid in illo menſe agebatur. Quid Februum eſſe dicit *Cenſorin.* p. 180.

Fibula quodnam eſt ornamentum, & quibus proprium. A quo verbo derivatur. Tria illarum dantur genera. Quid utraque, & ex qua materia. p. 201. Quomodo iis utebantur Zelotypiâ correpti erga uxores ſuas. p. 202.

Flores in coronis Antiquorum uſitatiores. p. 84.

Foculus Menſarius, quo tempore inventus eſt ejus uſus. p. 332. Quid eſt, & quid ſignificat. ibid. Uſus comedendi cibaria calida antiquus eſt. p. 333. & 334.

Funda apud Autores plura ſignificat. Quodnam eſt inſtrumentum, ex quo confectum & ad quem uſum. Ad quid David eâ uſus eſt. Apud quos Populos exercebatur. A quibuſnam fuit inventa. p. 249. Funda pro diverſis aliis rebus ſumebatur. p. 250.

Funerum pompa ad quos ſpectabat. p. 147.

Furca generaliter ſumpta quid eſt. Duplex fuit, vetus & nova. Quid vetus, quid verò nova. p. 220.

Fuſcinula quodnam eſt inſtrumentum, & quo uſu. Undè derivatur. Quomodo eam vocat *Martinius*. Ejus forma, & ex qua materia. p. 135. Nomen armorum habebat olim. ibid. Apud Latinos recens eſt hoc vocabulum. p. 136.

G.

Genius à quo verbo ſic dicitur. Quomodo vocatur à multis. Quot antiquitus unicuique tribuebantur, & ad quem finem. Quid eum eſſe dicit *Cenſorin.* Quomodo placabatur Genius. p. 196. Quare non tutius erat pejerare per Genium Principis quàm per illud Jovis. p. 197.

H.

Hæmoptyſis quomodo curata. p. 467. Quid eſt. Ejus cauſæ tam conjunctæ quàm externæ. p. 516. Signa diagnoſtica, & Prognoſis. p. 517.

Hæmorrhagia quomodo ſanguine humano ſiſti poteſt. p. 573.

Hæmorrhoïdes quid ſint. Undè provenit dolor & fluxus ſanguinis qui vulgò eas comitantur. p. 594. Signa hujus immodici fluxus. Qualis eſt dolor ille. Quare maturè ſuccurrendi ſunt ægri. p. 595. Quomodo urinâ talis dolor fuit fugatus. p. 570.

Hedera vim habet comprimendi vapores vini. Ejus uſus à quo inventus & ad quem finem. p. 62. Semper adjuncta vino commendatur. p. 63. Quare qui vino madebant, Hederâ caput ſtrictè cingebant. p. 73. Hederæ deſcriptio. ibid.

Hepar quomodo interdum naturalem ſuam magnitudinem ſuperat. p. 577.

Hermathena quid eſt. Quid de ea dicit *Cicero*. p. 245. & 246.

Hernia per amputationem olim curabatur. Novus adinventus eſt modus eas curandi, ſed non laudatur, & quare. Deſcribitur Emplaſtrum ad ejus curationem optimum. p. 432. Aliud Emplaſtrum laudatum. Datur Balſamum ad her-

hernias. Alius modus eas curandi non minus curioſus quàm ſuperſtitioſus. p. 433.

Hirudines in menſium ſuppreſione, utero ſi apponuntur multùm proderunt & quare. p. 479. Earum uſus optimus eſt in dolore capitis, p. 517.

Homo immortalitatis cupidus modum obſtandi inimicæ mortalitati quæſivit. p. 5. Ut qui mortem vitare non poſſet, ſaltem corporis duratione frueret. p. 7. Diverſi Hominum ordines coronis oblecti ſunt, & ob quem finem. p. 49. Omnium animalium moderator eſt juſſu Dei. Deſcribitut cœleſtis ejus origo, intellectuales ejus facultates, ejuſque partium Harmonia. p. 283. Quid mirabilius in illo quàm geneſis illius. p. 284. Quare ſalubrius ac diutius vivebant primi Homines ac nunc vivunt. p. 173. Quomodo fit Canus. p. 291. In quot partibus dividebatur olim ejus vita. p. 195. Quare innumeris pravis affectionibus obnoxia eſt ejus vita. p. 449. Quomodo generatur. p. 487. Ex ovis à Fœmina productis oritur. p. 488. Quomodo fœtus producitur. Quid ſub nomine ovi intelligendum venit. Ova ſunt diverſa pro diverſa ſpecie procreandorum animalium. p. 489. De diverſis mulierum partibus & organis generationi inſervientibus. p. 490. & ſeqq. Quomodo produci poſſunt Gemelli. Quis magis delectatur in coitu. p. 497. & 498. Sunt qui dicunt ipſum ſolum Epilepſia laborare, alii verò qui negant. p. 624.

Hora quid deſignat, quid vero propriè eſt. Quot primo fuerunt inſtitutæ. Origo talis ordinationis. p. 212. Quot deinde in horas diviſus fuit dies. Quare antiquitus inæquales erant Hôræ. De earum diviſione juxta *Martial.* p. 214. & 227.

Horologia à quo & ad quid inventa ſunt. Quare vocabantur à multis Clepſydræ. Quomodo nunciabantur horæ. p. 214. & 227.

Hortus, quibus præcipue ſpectabat ejus cultura. Quid ex eo ſumebant Antiqui. p. 300.

Hoſpites quomodo recipiebantur convivio publico ab Antiquis. p. 119.

Hydrargyrum maximam efficaciam habet in debellandis affectionibus corporis, maximè verò in curatione paſſionis Iliacæ & quomodo. p. 475.

Hydrocele quomodo facile curatur. Datur & alius tutior modus. Curatur etiam Emplaſtris laudatis & deſcriptis. p. 424. & 425.

Hydrocephalus quomodo curatus. Deſcribitur Emplaſtrum maximè conveniens. p. 597.

I.

Januarius à quo Numine nomen habet, & quare. Quis voluit annum ab eo ordiri, quis verò à Martio. Quid agebatur Calendis hujus menſis. p. 199.

Icterus quomodo Sanatus. Sunt qui credunt icteritiam poſſe curari per pediculos, ſed infeliciter. p. 414. Deſcribitur emulſio quædam ad ejus curationem. p. 415. In Ictero purgantia præſcribi poſſunt, ſed in quibuſdam ſolùm caſibus, & quare. p. 547.

Jeju-

Jejunium quid eſt. Fuerunt apud Chriſtianos plura jejunia ſolemnia & accidentalia. Quandonam celebrabantur. p. 247. Modus jejunandi apud veteres Chriſtianos. In Africa quomodo jejunabant Chriſtiani. p. 248. Quid erat ſemi-jejunium de quo *Macrius*. Quale jejunium obſervabatur à Judæis & gentilibus maximè verò à Romanis, & in quibus circumſtantiis. p. 166. 167. & 249.

Jentaculum quid eſt. p. 118. Et quomodo vocatur. p. 119. 121. & 257.

Ignis è corpore viventi per vomitum & per anum emiſſus, & quid fuit hujus eventûs cauſa. p. 444.

Iliaca paſſio quomodo per Hydrargyrum curata. p. 475.

Imaginationis, ſeu, Ideæ vim in mulieribus prægnantibus Hiſtoriæ Medicorum demonſtrant. p. 603. & 604.

Imperforatio mulierum non impedit matrimonium. Quomodo tutè fit hæc operatio. p. 605.

Incubus, mediante Venæ-Sectione liberatur æger à tali affectione. Quænam ſecanda eſt vena in viris, quænam verò in mulieribus, & quid antea obſervandum. p. 551.

Inedia, quò uſque poteſt homo vitam trahere ſine cibo & potu. Quotuplex eſt inedia. Quid imprimis inedia naturalis. p. 328. & 329. Diverſæ opiniones circa modum quo jejunantibus vita traduci poteſt. ibid. & p. 330.

Inſecta minima vivunt in Plantis, Brutis & in hominibus etiam viventibus. p. 282.

Inventores quinam fuerunt multarum artium, inſtrumentorum, ac machinarum Indicantur eorum nomina, & res quæ unius cujuſque inventioni tribuuntur. p. 231. 232. 235. & 236.

Ira quid eſt. Poteſt-ne hominem interimere? Sunt qui affirmativam alii verò negativam tenent. p. 254.

Judæi cadavera ſua quomodo condebant. p. 9. Solebant Feralia convivia prolixè Populis dare. p. 122. Eis vetitum erat tondere Barbam. p. 129. Carne ſuilla veſci eis non licebat. p. 177. Nunquam cibum ſumebant niſi loti. p 130. Lex eis permittebat locuſtarum eſum. p. 211. Convivia facientes veſtibus albis induebantur. p. 341.

Julius à quo nomine ortum ſuum ducit. Quare quintilis nuncupatur. p. 181.

Junius à quo numine ſic dicitur & quare. p. 181.

Juramentum quid eſt. Quandonam dicimur jurare. Multiplex eſt. p. 204. De juramento calumniæ. De juramento Pontificum Gentilium; de juramento Magiſtratuum. Variæ formulæ jurandi apud antiquos. p. 205. Maximè verò apud Romanos. p. 206. De juramento Chriſtianorum & quid eſt. Jurare ex neceſſitate vel ſine eâ quid eſt. Formula juramenti in primitiva Eccleſia. Quomodo hodie juramus nos, & ante quam ætatem prohibetur exigere juramentum. p. 207.

L.

Lac in viris ac virginibus generatur, & in illorum mammis tanta reperitur copia, ut infantes poſſint nutrire. p. 215. & 485. Quale Lac convenit in renum ulcere. p. 469. Lac ex qua materia generatur. Quomodo ad mammas transfertur. Ductus Lympharum undè proveniunt, & ad quid inſerviunt. Multi erraverunt à vera via perſcrutando lactis originem. Viæ chylificæ demonſtrantur. Quomodo Lac ex chyloſa ſubſtantia fit. Quomodo conficitur in mammis. Quid eſt chylus. p. 481. & ſeqq. Datur Lac viride. p. 602.

Lacrymæ naturalem carnis infirmitatem oſtendunt. Earum neceſſitas dura ſed naturalis eſt. ibid. Sunt legati doloris, doloresque minuunt ac levant. p. 142. Quænam erant Lacrymæ Præficarum. p. 147. De illarum origine, productione, ac definitione diversè ſentiunt Autores plurimi veteres. p. 584.

Lactuca quomodo comedebatur olim à pluribus. Dicitur Princeps olerum, & quare inter delicatiores cibos locum habebat. p. 300. Quandonam tranſportatus fuit ejus uſus à fine cœnæ ad exordium. p. 301. Ejus proprietas in conviviis. p. 302.

Læna. vid. veſtis.

Lapides diverſi generis pro certo generantur tum in Cryptis tum in corporibus animalium, ſed quomodo, ignoratur, & hac de re non conſentiunt naturæ conſulti. Diverſæ illorum opiniones circa modum quo efficiuntur & eorum formam. p. 380. Sententia Autoris noſtri, quam fulſit ipſe ſuis clariſſimis experimentis per diverſa loca factis. p. 381. 382. & ſeqq. Quid ex ejus ſententia patet ac demonſtratur circa lapideſcentem aquam in cryptis. p. 285. & 429. Reſpondetur cuidam objectioni. Generantur etiam lapides qui è nubibus præcipitantur. p. 386. Quodnam diſcrimen inter eos verſatur. Quomodo generantur lapides in humano corpore. Quies abſoluta non requiritur ad eorum generationem. p. 387. De lapidibus per agros, paſcua, Sylvas alveoſque diſſeminatis. p. 388. Quid ſentiendum de his omnibus quæ ſcimus in ſaxa diriguiſſe, tum ex hominibus, animalibus, tum aliis naturæ rebus. p. 389. Sequuntur multa experimenta. p. 391. Magno in mundo. Quomodo lapides fiunt ac coagulantur. Quomodo per mechanicam Sal & Sulphur ex lapidibus extrahi poſſunt. p. 393. & 394. Triplices dantur lapides. Quomodo vocantur, & quid ſunt. ibid. & p. 395. In variis partibus hominis naſci poſſunt lapides & quomodo. ibid. & p. 396. 397. & 416. His lapidibus magnæ inſunt virtutes. Quo miniſterio è corpore humano extrahuntur. Quomodo vocatur hæc operatio, & quid de ea ſentiendum. p. 398. & 399.

Lares quinam erant Dii, & à quo geniti. Quem honorem eis deferebant antiqui, & quid eis offerebant. p. 197.

Laternæ ex quo fuerunt inventæ, & ad quem uſum. p. 54.

Laurus

Laurus quo in uſu erat apud Antiquos. p. 69.
Lecti qui inſternebantur in conviviis Antiquorum quomodo parabantur. p. 120. & 129.
Lethargia, in ejus curatione vinum ab aliis interdicitur, ab aliis verò conceditur. p. 596.
Libationes à quo inventæ. p. 127.
Libitina Exequiorum Dea. In ejus Æde vendebantur quæ ad ſupulchrum ſpectant. Multi eam venerem eſſe dixerunt, & quare. Alii Venerem Parcarum, Alii verò Deam Aſtartem dixerunt & quam ob cauſam. Habebatur etiam pro Feretro. p. 12. & 13.
Libitinarii, undè ſic dicebantur. p. 12. Quid ad eos pertinebat in funeribus Quare tanquam viles habebantur. p. 13. In adminiſtratione funerum ſervos habebant ſibi ſubditos, & quomodo vocabantur. p. 14. & 16.
Lictores quinam erant, eorumque munus. In quo differunt à Carnifice. p. 203.
Lienis Scirrhum mirabiliter ſed fabuloſo modo ſanatum. Diverſi alii modi eum curandi. Deſcribitur unguentum in ejus duritiè mirabile. p. 519. In ejus obſtructione vulgus prædicat remedium eum extrahendo. Quid ſentiendum de crudeli illa operatione. p. 530. & 531. Lien ingentis magnitudinis, p. 532.
Lienteria per vomitum & per alvi ſolutionem purgari poteſt, ſed in diverſis caſibus, p. 472.
Ligula idem eſt ac Cochleare. Pro ſpatula in ſpeciem linguæ & pro cochleari explicatur. Loco fuſcinulæ & cochlearis hoc inſtrumento parabantur menſæ. Quare non ſemper illo opus erat. Quandonam illo utebatur. p. 137.
Lochia per alvum evacuari poſſe demonſtrant exempla ſicut & per nares. p. 602. & 603.
Locuſtæ quid per eas intelligendum eſt. Orientalibus Populis gratæ erant in cibum. Quomodo eas legebant ac ſervabant, ut pro cibo in uſu eis fuiſſent. Non omne genus locuſtarum Judæis interdicebatur. p. 211. Quid ſentiendum de illis quibus veſcebatur Joan. Bap. in Deſerto. p. 212.
Lomentum, ſub ejus nomine quid intelligitur. Plures habet ſignificationes. In noſtro caſu quomodo interpretari debet. p. 251.
Lorum quodnam vinculum, ex qua materia, & ad quid inſervit. p. 217.
Lucernæ quandonam appendebantur ad feneſtras. Antiquiſſimus eſt uſus ille apud pleraſque Gentes. p. 199. Invaluit etiam mos ille apud veteres Chriſtianos, vigetque pariter apud nos. p. 200.
Luctus funeralis apud quos fuit in uſu; patet tam ex Sacris quàm Prophanis autoritatibus. p. 142. Luctus in genere quid eſt. Quid eum eſſe dicit *Cicero.* Quomodo excipiebatur ſpiritus exhalantis tam apud Judæos & Romanos quàm & alios pleroſque homines & quare. Idem mos fuit apud Chriſtianos. p. 143. & 144. Quomodo abluebatur, ungebatur & induebatur corpus defuncti. ibid. & p. 145. Sequuntur deinde clamores & luctus. Quotuplex eſt luctus. Particularis videtur naturalis. Lugere mortuos natura docet, eſtque conſuetudo om-

omnium Gentium præter illos qui contrarium tenent. Antiquorum Lugentium ſcena & oſtentatio deſcribitur. ibid. & p. 146. & 148. Luctus iſti quomodo fiebant. ibid. Lugere & elugere quid eſt. p. 147. Quare potius vocabantur mulieres ad lugendum quàm viri. p. 148. In luctu mortuorum quinam erat mos Perſarum aliarumque Gentium. De tempore quo perdurabat ille luctus. p. 149. & 150. De annuo luctu. Viri non compelluntur lugere vel elugere uxores mortuas, & quare. Non datur luctus ſponſi. De veſte funebri. Quid huic luctui finem imponebat. ibid. De luctu publico tam apud Perſas quam Romanos. In quibus caſibus fuit Romæ indictus. Quonam habitu conſidebant Senatores. quomodo terminabatur. p. 151. Quare adhibebantur Tibiæ in funeribus. p. 152.

Luxuries in victu quænam eſt hodiè, & quid ex ea ſequitur. p. 173. & 174.

M.

Maius, quis eum poſuit tertium anni menſem. De ejus nomine multùm inter ſe diſſentiunt Autores. p. 180. Cuinam dedicata erat prima ejus dies. Quædam ſuperſtitio & error circa nuptias in illo menſe celebratas. p. 181.

Malum Armeniacum quinam fructus eſt. Poteſt dici præcox & quare. p. 306. Ejus qualitas, & in quo ſuperat malum Perſicum. p. 307.

Manalis lapis quid eſt. Quomodo dicebatur. Quo ſuperſtitioſo uſu erat apud Gentiles. Hic lapis Iridi ſacer erat. p. 252.

Mania nequit ſanari niſi per purgans aliquod medicamen. Dantur & alia optima remedia in ejus Curatione. p. 549.

Manica quodnam vinculum eſt. p. 217.

Mare, ejus æſtûs cauſa requiritur, diverſiſque effectibus tribuitur. p. 279.

Martius à quo Numine ſic dicitur. Quare olim primus anni menſis erat. Quare Calendæ illius celebres erant. Quid prima illius die agebatur. p. 180.

Medicamenta fœtida in Hyſterico affectu Naribus admota commendantur, & quare. Quænam ſunt. E contra medicamenta odorata pudendis appoſita uterum retrahunt. p. 529. Aſtringentia in fluore muliebri non conveniunt niſi prius ſervatis ſervandis. p. 515. Medicamenta ſolo odore purgare poſſunt. p. 531. Externa Medicamenta & quænam in convulſionibus conveniunt, & quare. p. 533. Medicamenta oleoſa maximè conveniunt in affectione caninæ famis. p. 548. Medicamenta quædam externa ad mictum ſanguineum tollendum commendata. p. 552.

Mel quare res ſacra dicebatur. Quomodo vocatur, *Apum labor.* Undè provenit. p. 308. & 309. Quare Nymphis offerebatur olim. p. 310. Sicut & Cereri Bacchoque, & aliis Numinibus. p. 311. Quis primus invenit ejus uſum. Quomodo Ægyptii illud olim comedebant. In quo magis patet ejus excellentia. p. 312. Undè nectaris nomen habuit. p. 313. Immoderatè potum inebriat ut vinum. Quonam in uſu erat apud Sarmatas & Moſcos. De quodam melle graveolente. p. 314. Fuit primus hominum cibus. Fuit etiam

in uſu in primitiva Eccleſia, ſicut & apud Gentiles. p. 315. Apud Antiquos primum locum habebat in menſa & quomodo. p. 316. Ejus præſtantia in Epulis. p. 319. & 320. Ejus facultas in arte medica non ſolùm durante vita, ſed & poſt mortem & in quo ſita eſt mirabilis illa qualitas. p. 321. & ſeqq. Veteres eo etiam utebantur ad varios cruciatus, & ejus nomen adhibebant ad aliquid ſuave deſignandum. p. 324. De Placentis mellatis in ſecundis menſis à veteribus paratis, & in exordio cujuſcumque anni Pueris largitis. p. 325. & ſeqq.

Melancholia ex multis cauſis oritur. Si ex amore procreatur, ſola venere curatur. p. 522.

Melilotum inter coronas Antiquorum locum habebat, & quare. p. 84. Ejus color & odor. p. 85.

Melo. vid. Pepo.

Menſa apud ſcriptores antiquos pro Altare ſumebatur, ſicut & ſacrificium pro convivio. p. 49. Menſa ſecunda idem eſt ac ad fructus. p. 60. Menſæ quomodo parabantur in cœnaculo, earum forma & ſtructura. p. 119. 127. & 189. Menſæ Monopodicæ. Urnaria menſa. Apud Romanos linteis opperta erat, apud Græcos non. p. 120. Quomodo *Cyrus* ad menſam locabat quos ad cœnam invitabat. p. 121. Quis primus Menſam & ſellam fecit, apparatumque coquinæ compoſuit. p. 126. Ad menſam Antiquorum aderat Magiſter diverſo nomine vocatus qui ſcinderet obſonia. p. 136. Quid eſt menſa gliſcens, & quid per eam intelligitur. p. 258.

Menſtrua, quare tali tormento quovis menſe ſubjectæ ſunt Fœminæ. p. 499. Per qualem viam expurgantur. De tempore iſtius purgationis, & qua ratione. Quomodo fit hæc purgatio. p. 500. Maximè in gravidis ſine abortu. Non venoſa ſunt Menſtrua. Quare alia Animalia non patiuntur ut Mulieres. Quid ſequitur ſi parum aut nihil, vel magis ut congruum fluunt. p. 501. Cauſa hujus fluxus, & cur ſemel tantùm in menſe. An iſto ſanguine nutritur fœtus in utero. p. 502. & 503. De menſtruis albis. p. 504. Quid ſentiendum de iis in quibus ante ætatem fluunt. p. 505. Poteſt mulier concipere quamvis nunquam menſes ſit paſſa. Reperiuntur Mulieres quibus menſtrua prodeunt poſt debitum tempus. p. 506. Proprietates hujus ſanguinis. p. 507. In tali fluore muliebri quænam adhiberi poſſunt medicamina, & quare adſtringentia non conveniunt. p. 515. De menſtruis croceis. p. 558.

Mercurii crudi virtus. Non venenatus ſed medicinalis eſt. In diverſis gravibus morbis laudatur, feliceſque producit effectus. p. 410. Modus eum parandi. Quænam tamen parit incommoda. p. 411.

Merenda dicitur cibus poſt meridiem. p. 257.

Mictus ſanguineus multis medicamentis externis ſiſtitur. p. 552. Deſcribitur Cataplaſma ſummoperè commendatum. p. 553.

Mimi ad quid vocabantur in funeribus. p. 148.

Minium unguentis fuit additum, & ad quem uſum. p. 125.

Mirthus ad quid erat in uſu apud veteres. p. 69.

Mitræ inter Fœminarum ornamenta numerantur. Quid per eam intelligunt Grammatici. p. 104.

Mola Salſa quid eſt, ad quid inſerviebat, & quid ab ea deductum eſt. p. 221.
Montes quomodo vocantur à nonnullis Philoſophis. p. 279.
Morbi, eorum eventus non ſolùm deſumuntur ab excrementis, ſed & etiam ex ipſis partibus corporis. p. 573.
Mulſum quid eſt, & quo in uſu erat apud Romanos. p. 122. & 124.
Mumia, quid hoc nomine vulgus appellat. p. 8. Quodnam eſt vocabulum. p. 24. Quid denotat ac ſignificat. Quot ſunt ſpecies Mumiæ. Quomodo vocantur ac conficiuntur. p. 25. & 26. De ejus virtutibus varia dicunt Doctores, variaque medicamina ex ea parantur. De Mumia confecta ex corpore ſub arena ſuffocato. De Mumia ex aromatibus. Modus habendi veram Mumiam juxta quoſdam. p. 27. Non tamen approbatur. Difficillimum eſt veram habere, & quare. De Mumia Leporina. De proprietatibus Mumiæ. p. 28.
Muſica poteſt ne per antipathiam aut per ſympathiam humores movere, ut fit in Tarantatis. p. 579.
Myrrha quomodo nuncupata, & quomodo deſtillat. p. 89. Vino eam miſcebant Antiqui. p. 91. Myrrha ſtacte quid eſt. Ex ea parantur pene ulla unguenta. p. 93. In Cantico pluries commendatur. p. 98.

N

Narcotica, ſunt qui ea exhibent in curatione febrium, & in quibus caſibus. Deſcribitur unum Cardiaco-Narcoticum. In illorum adminiſtratione cautela utendum eſt. p. 626.
Nardus quid eſt. Ejus unguentum vino miſcebant Antiqui. De vino Nardino. p. 91. Quare & quomodo unguentaria hæc potio ſaluti maximè infenſa eſt. In Viris damnanda, in Fœminis verò abominatio. p. 92.
Naſus amputatus quomodo reſtitutus. Quis hujus Curationis primus fuit inventor. Deſcribitur Emplaſtrum conveniens. p. 431.
Natura floribus & herbis utilitatem miſcuit & oblectamentum. p. 75. Diverſa ejus portenta, ſive ludentis illius extraordinaria Miracula. p. 230. Multoties ſibi aperit vias ad expellendos morbos quod multis patet exemplis. p. 406. Multa à Natura fiunt quæ cognitionem noſtram ſuperant. p. 430. Acidum Naturæ amicum eſt, ſed non omne. p. 526. Natura varietate gaudet. p. 569.
Nauſea, ad eam debellandam multa indicantur remedia. Nonnulli verò vomitum tanquam unicum remedium tradunt. Quomodo provocandus eſt ille vomitus. p. 527.
Nicotiana ſub variis nominibus agnoſcitur. A quo nomen accepit. Ubinam primùm inventa. Quomodo dividitur. In quo conſiſtit ejus vis. Ejus uſus improbatur ab aliis, ab aliis verò laudatur, & in variis morbis commendatur. p. 585. Vim habet purgandi. p. 586. vid. Tabacum.
November quare ſic dictus. Sub cujuſnam præſidio erat apud Romanos. Quid in illo menſe celebrabatur. p. 182.

Nudi-

Nudipedalia quænam erant Feſta, & ad quid inſtituta. Propria erant Judæis, & ad quid. Sic & Romani eis utebantur. p. 219.
Numella quodnam vinculum erat, & ad quem uſum. p. 216.

O.

Obſtetrices, earum ignavia patet ex hiſtoria allata. p. 476.
October quare ita dicitur. Quare in tutela Martis erat, & ei hoc menſe immolabantur Equi. p. 182.
Ocularia quare dicuntur fuiſſe antiquitus in uſu. Novæ ſunt inventionis, & quomodo probatur. Ab aliquibus confundebantur cum Conſpicillis. p. 165. Circa quod tempus fuerunt inventa. p. 166.
Oculus quali lumine indiget, ut videat, & ſecundum quid videt. p. 365.
Ocymum quomodo ſcorpiones generare dicitur. p. 571. Sed falsò. p. 572.
Ophthalmia quomodo curata in quodam Juvene. Lac unicum ei videtur remedium. p. 520. Datur & oleum remedium paucis notum. Sunt & pleraque alia ſubſidia. Deſcribuntur alia medicamenta ophthalmica. p. 521.
Opium quid præſtat, ejuſque proprietates. In ſedandis diverſis affectibus maximè verò nimio menſium fluxu optima ſunt opiata medicamenta, & quare. Quo nomine inſignitur opium. p. 445. & 446.
Orgia. vid. Bacchanalia.
Os Frontis, in illo reperitur cavernula circa cujus uſum maximum dubium eſt. p. 568. Inſignes effectus oſſium humanorum in exſiccandis & abſumendis vitioſis humoribus. p. 570.
Oſcultatio terræ. Quare Antiqui tam Græci quàm Latini terram oſculati fuere; ſicut & Amantes parietes, portas, ac poſtes Amatarum. Mos ille vetuſtiſſimus fuit apud adorantes in Templo. p. 253.
Ova, ſuperſtitio quædam poſt eorum ſumptionem à *Plinio* memorata. p. 337.

P.

Palla quid eſt, & quare ſic vocabatur olim. Quomodo ea utebantur Veteres. p. 259.
Panagrum quodnam genus vinculorum dicebatur, p. 216.
Panis qualis erat apud Græcos & Latinos. p. 129. Frangebatur olim manibus, non cultro, & quare, p. 136.
Paracentheſis quid eſt. Unicam videtur eſſe opem in Thoracis hydrope. Quænam eſt operatio, & quomodo agenda. p. 602. Sunt qui eam rejiciunt & quare, p. 451. & 546.
Paralyſis, quænam partes in ea afficiuntur, & quomodo ſublevantur. Vomitum deprædicant multi, pluresque formulas & modos docent. p. 435. Quare largo hauſtu aquæ frigidæ curari dicitur, p. 574.
Paraſiti fuerunt olim venerabiles, nunc vero non ſic. Quiſnam erat illorum mos. p. 255. Quid de ipſis dixerunt plerique Autores, p. 256.

Penis meatus, ejus uſus duplex & qualis. Sanguis præter naturam per eum excerni poteſt. Cauſa immediata talis affectionis. Ejus curatio. Quid præter ſanguinem excernitur per eum, p. 625. Penis callus curatu difficillimus eſt. Quomodo tandem curatur, p. 421.

Pepo, de eo ambiguè ſenſerunt Autores. Quid eſt Pepo. Diversè nominatur. Ejus deſcriptio. Modus conſervandi eos ad hiemem uſque p. 294. Quinam meliores creduntur. Ejus vis & qualitas. In ejus uſu quid attendendum eſt. Quid bibendum eſt cum eo, an vinum vel aqua. p. 295. A nimio ejus eſu abſtinendum eſt. p. 296.

Peripneumonia linimentis curari non poteſt. p. 600.

Philoſophia naturalis quid eſt. Ejus objectum. Ad quid nos ducit, & quo modo. In quo differt vera à falſa, p. 277. & 278. Solus Philoſophus poteſt enarrare Opera Dei, & quomodo. *ibid.* & *ſeq.* Ipſis tantum tribuitur aeris miracula penetràre, Tonitrua perſcrutari, Globum terraqueum inveſtigare. p. 279. Quare Philoſophiam edoceri mandarunt Veteres. p. 284.

Phrenitis quid eſt. Quid in ea læditur. Cauſæ proximæ & remotæ. Differt à Delirio & Paraphrenitide, & in quo. p. 473. Indicantia ſigna. Periculoſus eſt morbus, & quare. Signa ſalutis. p. 474.

Phthiſis morbus eſt incurabilis & irreparabilis. De Phthiſi ab ulcere gutturis nullo remedio curatâ, p. 447. Quomodo vocatur à Latinis, & undè oritur. Ejus cauſæ proximæ & remotæ ſeu externæ. Ejus ſigna & terrifica prognoſtica. p. 468. & 469.

Pica, hoc morbo laborant innumeræ mulieres maximè gravidæ. In ſexu maſculino rariora ſunt exempla. Sunt tamen multi quibus talis rerum abſurdarum eſus non eſt nocuus. p. 582.

Pili, in quibuſnam Animalibus reperiuntur. Eorum nomen generale eſt, niſi in capite, & quomodo vocantur. p. 287. Undè erumpunt, & in quibus corporis partibus non enaſcuntur. Quomodo dividuntur, & quid ſunt. De cavitate, ipſis evulſis ſpectata. p. 288. ſunt qui dicunt pilos obſervaſſe in corde, ventriculo, utero, & viis urinariis, p. 290.

Piſces, quare ſanis & ægrotis bonum eſt alimentum, p. 263.

Piſtores à quo tempore fuerunt Romæ, p. 122.

Pleuritis curatur per venæſectionem pluries repetitam, & quare. p. 405. & 544. Abſque ea etiam curatur, daturque unguentum & modus eo utendi, nec non & alia pleraque remedia, p. 416. & 417.

Pocula in conviviis exhauſta, vertebantur. p. 118. Erant Priſcis Boum cornua, p. 120. & 183. Inter ea quiſnam erat mos Perſarum, p. 121. Quid vero agebant Priſci ſapientes. *ibid.* In poculis nivem aliquando miſcebant Pocillatores. p. 122. Pocula in menſa apponebantur non verò miniſtrabantur, p. 126. Pocula Chryſendeta quænam erant. Pocula vitrea ſub quo Principe fuerunt excogitata. p. 130. Quot ſunt Antiquorum genera Poculorum. Quid utraque. Ex qua primò fuerunt materia, p. 183. Quædam Gentes cranium humanum pro poculo habuerunt, p. 184.

Podagra vid. *Arthritis.*

Pœnæ militares apud antiquos duplices, leviores & acerbiores. Primæ ignominiam tantum inferebant, multipliceſque erant, & quænam, p. 217. Quænam erant ſecundæ, & quomodo infligebantur, p. 218.

Pollinctores ſervi erant libitinariorum. A quo verbo nomen habent. Sic vocabantur etiam à ſuis officiis. Sumebantur impropriè pro uſtoribus. p. 14. Aliqui eos habebant ſub nomine Presbyteri. Quibus datum eſt hodie eorum munus. p. 15.

Pollinctura, ejus pretium pretioſam mortem reddebat. p. 9. XII. Tab. lege, vetita eſt pollinctura. p. 12. Pollinctura Cænæ. *vid.* Cœna.

Potus calidus hodie in uſu eſt ſic ut & apud Veteres. Quare aquâ calidâ utebantur Antiqui in ſuo potu, p. 354. Ex qua aqua parabatur illa aqua calida, & quomodo coquebatur, p. 355. Quomodo colabatur ſeu eribrabatur illa aqua. p. 356. Quid ſentiendum de frequenti potu calido vel frigido, p. 358. Ad pulmones non pervenit potus, daturque ratio cur ad eos ferri non poteſt. p. 583. Febricitantibus nunquam à Medicis denegandus eſt potus, p. 591.

Præficæ mulieres ad quid inſerviebant in funeribus. p. 146. præerant planctui non verò dolori nec funeri. *ibid.* Quodnam erat earum pretium, p. 148. Quænam erant earum lacrymæ. p. 147. & quomodo lacrymabantur. *ibid.* Canebant etiam, & quid. p. 148. Redibant ad tumulum, & quid hîc agebant. *ibid.*

Prandium quid eſt, p. 118. & 257.

Propertius, explicatur locus ejus, an in illo debeat legi, *nigros* vel *pigros*. p. 261.

Proverbium quoddam de Conviviis. p. 122. Undè illud, *cibus ſine ſale*. p. 128. Undè illud *hæc ſint ſub roſa dicta* p. 237.

Pudicitia quid eſt, & à quo verbo. Summis laudibus extollitur tam apud ſacros quam profanos Autores. Quare illa omiſſa ruit omnis virtus. Magni eam fecerunt nonnullæ Fœminæ, p. 224. & 225.

Pulſus differentiæ. Quid in ejus tactu obſervare debet Medicus p. 587. & 588.

Pulvis Serpentum ac Viperarum aſſumptus non præſervat ab illorum morſibus, & quare, p. 607.

Purgatio inter remedia quibus utitur Medicina ad ſananda corpora præcipuum habet locum. Duplex eſt, p. 472.

Pythagorici quare fabam non comedebant, p. 124.

R.

Rabulæ Forenſes ubique reperiuntur. Undè ſic dicuntur. Quid de illis dicitur. p. 171. & 172.

Repotia quid eſt. Undè ſic dicuntur, & quonam die celebrabantur. p. 341.

Riſus cauſæ & natura. Ejus definitio. Riſus Epilepticus quid eſt. Unde oritur, Datur talis riſus ſymptomaticus, & quomodo curatur. p. 575.

Ros Maïalis certis diebus collectus multis morbis mederi dicitur externè adhibitus. Non tutum eſt deambulare nudo pede in eo. Per Philtrum colatus quamnam exhibet materiam. Quid generare dicitur. p. 618. Quid ex eo conficitur. Dicitur mirabile ens, & quare. Quid in eo reperitur & ad quid utile. p. 619.

Roſa Veneri, Cupidini, & Gratiis ſacra eſt. p. 80. & *ſeqq.* p. 236. & 238. Roſæ virgo comparatur. p. 105. Fuit amica Conviviorum, Symbolum ſilentii, Cacumini

cumini

cumini Sceptrorum & obeliſcorum ſummitatibus antiquitùs imponebantur. Quo in uſu erat apud Germanos. p. 237. Quid ſignificat in Sacris paginis. Agnoſcitur pro hieroglyphico imbecillitatis. p. 238. Spectaculum eſt vitæ humanæ. Sunt qui ab ea abhorruerunt. p.239. præſertim à rubra, & quare.p. 240.

Rubinus geſtatus quales producit effectus. Ejus quinta-eſſentia commendatur in variis morbis. p. 622.

Ruta mulieribus prægnantibus infenſa eſt. pag. 73.

S.

Sal commune quid eſt. Ejus uſus varius fuit apud veteres; nullum ſine eo fiebat Sacrificium, & quare. p. 220. Sic & apud Judæos. Quare Sal in Divinationibus apponebatur. Quomodo vocatur in Levitico. Quo in uſu erat apud Gentiles, & quod ſignum erat. Quodnam erat omen ſi in menſa effunderetur. Ejus uſus incognitus fuit multis Gentibus, & quo tempore. Commoda quæ ſuppeditat hominibus. Symbolum eſt ſterilitatis. p. 221. Locum etiam habet in Sacris apud Chriſtianos. p. 222.

Sanguis ex qua ſubſtantia fit. p. 535. Quomodo definitur. Quid de illo dicebant Veteres, & in quo erraverunt. p. 536. Multis gaudet motibus, ſed imprimis circulari. p. 537. Quomodo fit iſte motus. Quare neceſſaria eſt ſanguinis circulatio. p. 538. Probatur experimento dari ſanguinis circulum. p. 539. Duplex eſt ejus uſus, & ad quid. Datur & alius uſus ſanguinis. p. 540. Sanguis nutrit-ne omnes partes, vel tantum aliquas. p.541. Multa curioſa de ſanguine extra corpus habito. p. 542. Præter ſanguinis humani præſtantiam, non fugiendæ ſunt poteſtates ſanguinis brutorum. p.543. Nimius ſanguinis fluxus quomodo per medicamenta opiata ſedatur. p. 445. Sanguinis transfuſio quomodo fit. p. 553. Non ab omnibus approbatur, ſed refutantur eorum rationes. p. 554. De ſanguine albo è venis emiſſo per Phlebotomiam. p. 555. Sanguis nigricans cum in patina refrixit, non ſemper denotat humorem melancholicum. p. 559. Sanguis quomodo ſanguinem ſiſtit. p. 573. Datur machina mechanicè inventa ad demonſtrandum ſanguinis circulum. p. 560. Ex circulatione ſanguinis in corpus humanum fit comparatio ad circulationem aquæ in & circa terram. p. 567.

Sclopetum, diverſæ ſunt opiniones de eorum vulneribus, ſi venenata erant, undè procederet hæc venenoſitas. Quomodo curantur. Poſſunt tamen eſſe venenata ſed quomodo. p. 623. & 624.

September quare ſic vocatus eſt. In cujus tutela erat. p. 182.

Sepultura ſuperſtitioſa Ethnicorum. p. 11. Variæ fuerunt rationes ſepeliendi cadavera apud antiquos p. 19.

Serapis quomodo à multis dictus eſt. Ejus origo. Sub qua forma celebrabatur. Templa ei dedicarunt diverſæ Nationes. p. 175. Curioſa Hiſtoria de ejus ſtatua. p. 176.

Silani, in quo ſenſu fuit accepta vox illa, & quid ſignificat. p. 246. & 247.

Silicernium quid eſt, & quare ſic dictum. p. 17. & 121.

Silurus. vid. *Sturio*.

Sinæ

Simiæ quomodo cibos attrectant. p. 120.
Singultus quid mali infert ventriculo. Quid præſtat agere ad eum expellendum. Per vomitum feliciter ſedari poteſt. p. 597.
Sitis, quid ſitis nimia. Hujus affectionis cauſa proxima. p. 526. Cauſæ externæ. Quid ſitis morboſa. Ejus ſigna diagnoſtica & prognoſis. p. 527.
Sobrietas ad vitæ conſervationem inſervit, contrà vero luxuries. p. 173. Multa dantur exempla. p. 174.
Sol unicus Mundum hunc temperat. p. 279.
Sperma ceti quid eſt. Ejus color & odor. Unde oritur, & quomodo efficitur. Ejus uſus, & doſis. p. 611.
Spinæ ventoſæ materia quid eſt. Ejus ſignum, & quomodo curatur, p. 606.
Spiritus, ex tribus claſſibus quibus componuntur humani corporis partes nullus datur nobilior præter eum, & quare. Duplex eſt Spiritus. Quis primus, p. 458. Ubinam micat ac ſplendet. Deficiente illo, quid deficit, ac ſequitur, p. 459. Quomodo nutritur. Secundus duplex quoque eſt. Quomodo definitur vitalis, p. 460. Ex dictis quid patet circa motum ſanguinis. Sunt qui negant dari tales Spiritus, adverſus quos propugnatur, p. 461. Quomodo definiuntur Spiritus Animales. Reſpondetur ipſis qui dicunt non dari tales Spiritus, p. 462. In quanam parte cerebri generantur illi Spiritus, p. 463. & *ſeqq.* Datur & ab aliis Doctoribus alius Spiritus ab illis diſtinctus. Quomodo vocatur, & in quanam parte generatur, p. 466.
Sponſæ domum viri ingreſſæ quomodo diem agebant; p. 129.
Sponſi quomodo ad nuptiale Convivium ducebantur, p. 122. Non lugebant Sponſas mortuas, p. 150.
Stacte quid eſt, p. 96. *vid.* Myrrha.
Statio, quid intelligendum eſt per Stationum dies, p. 248. & quid in illis agebatur, *ib.*
Statua humana, *vid.* Sanguis.
Stellæ, Cœli coronæ dicuntur. p. 47.
Stomachi paſſio quomodo curata, p. 472.
Strena quid ſignificat. Earum origo. Quibus Populis erant propriæ. Quo tempore, & qua occaſione diſtribuebantur, & ſub quo nomine ad nos pertranſiit ac perdurat ille mos, & quomodo. p. 198.
Structor pro quo ponitur, & unde ſic dicitur. p. 129.
Studium, quandonam ſtudiis indulgendum eſt, p. 257. Quare matutinis horis, non verò poſt cibi ſumptionem. Quodnam Anni tempus aptius eſt ad ſtudendum, p. 258.
Sturio quid eſt, p. 296. & 299. Sunt qui eum ſilurum eſſe dicunt, alii Accipenſerem, alii verò qui eum ab illis diſtinguunt, p. 297. In quo differt à Siluro. Pro diverſis aliis Piſcibus ſumitur à quibuſdam aliis, p. 298. Quid ad Medicinam facit, p. 299.
Sudorifica dicuntur optima multis in morbis, & quare. Arabes eorum uſum laudant in Diabete. Sed ſuſpecta videtur talis operatio, daturque ratio cur non conveniant, p. 457.

Superſtitio Gentilium; Gentiles antiqui in ſiccitatibus pluviam Diis ſuis petebant, ſolemnique pompa id agebant. In quo conſiſtebat hæc ceremonia, p. 252.

Suppoſitoria qualia debent eſſe. Quomodo confici debent, p. 616.

Sus in Judæa nullus erat, & quare. Quorumnam hominum eſt ſymbolum. Carne ſuilla uſæ ſunt aliæ Gentes, commendaturque in quibuſdam morbis, p. 177. In quo Fano prohibitus erat ejus eſus. Quis primus invenit uſum comedendi eum. In quonam uſu erat apud Argivos, p. 178.

Syderum influxus maximam efficaciam habere in corpus humanum dixerunt nonnulli Autores. Multi tamen Medici in ſuis operationibus magis obſervant pulſum quam Sydera, p. 588. & 589.

Sympoſiarca erat Rex Convivii, & quid ei competebat in eis, p. 125.

Syncops, in ſyncope optimè conveniunt olea Aromatica, nec non & ſalia volatilia; & quare p. 551.

Syntheſis quid eſt, p. 125. *vid.* Veſtis.

Syringa, quid in ejus immiſſione animadvertendum eſt, ut veſicam ingrediatur ſine læſione Valvulæ. Signa talis læſionis, & quomodo ei ſuccurritur, p. 423.

T.

Tabacum diverſè à diverſis Nationibus appellatur. Quare à multis dicitur, *Herba Reginæ.* Diverſa alia nomina ſortitur. Undè dicitur, *Tabacum.* Quis primus in Europam ſemen ejus tulit. Quatuor ejus differentiæ. p. 208. Ejus Dotes. Sunt qui damnant ejus fumum, alii verò laudant, & quare. p. 209. Ejus proprietates. p. 210.

Teneſmus, quid eſt. Quomodo ei occurritur. Sunt qui per Venæ-ſectionem tanquam univerſale præceptum hanc affectionem corrigunt. Alii verò putant venam non eſſe ſecandam. p. 534.

Tibia in conviviis locum habebat. p. 124. 125. & 129. Sicut & inter luctum mortalem. p. 152.

Topica frigida intempeſtivè appoſita maximè noxia ſunt in morbis curandis. Id patet multis experimentis. p. 412.

Tragædia quid eſt. Ejus definitio. p. 190. Undè vim ſuam habet. Quænam magis eſt grata, & quare. Quodnam eſt ejus proprium. Quid melius eſt narrare funeſta facta, vel ea repræſentare. p. 191. Quid in Tragicis debet obſervari, imprimis ut ſit opta ad movendam pietatem. p. 192. Ad quid inſervit Tragœdia. Qualis debet eſſe ejus compoſitio. Quodnam laudabilius eſt illius genus. p. 193. Quot partibus conſtare debet. p. 194. Quare in quinque tantùm actibus dividitur. Poteſt etiam fieri in tribus. Qua oratione conficienda eſt. p. 195.

Triclinares quomodo ſtabant in conviviis. p. 126.

Triclinium, quid eſt. Quomodo vocatur, & undè nomen habet. p. 119. & 341. In Triclinio lectus erat & cuinam concedebatur. p. 123. In eo non caſtigabatur ſervus. p. 125. Quomodo ornabatur. p. 128.

Turcæ quomodo cœnant. p. 119. & 120. Nullas habent Academias. p. 223.

Tuſſis, ſunt qui hunc affectum per dulcium ingurgitationem curari volunt. Quare tali arte immedicabilis redditur morbus. Quare verò medicamentis fluitizantibus utendum eſt. p. 545.

Vacu-

Vacuna quid eſt, & quibus præerat. p. 182.

Venæ-ſectio præſtantiſſimum eſt remedium in diverſis morbis, & quomodo eâ utendum eſt in Pleuritide. p. 405. & 544. Maximè convenit in Arthritide. p. 413. In menſibus ſuppreſſis multùm juvabit, & in quanam parte melior ſit. p. 459. In Diarrhæa commendatur. p. 524. In teneſmo ſupra modum extollitur. p. 534. Quare Medici Venæ-ſectionem vereri debent in eorum operationibus. In amore inſano nullo modo convenit ſanguinis miſſio. p. 548. In Colico dolore ſummopere commendatur. p. 550. In incubo multùm prodeſt conſideratis quæ conſideranda ſunt. p. 551. Poſt Vene-ſectionem non interdicendus eſt ſomnus, & quare. p. 563. Quid ſentiendum de Venæ-ſectione Neroniana, eſt in uſu inter Germanos. ibid. In Hepatis obſtructione, ſed tempus animadvertendum eſt. p. 599.

Venenum menſæ & vitæ quale eſt, ejuſque Antidotum. p. 128.

Ventriculus, in ejus læſione conveniunt acida, & quare. p. 525. Quænam ſunt acida illa. p. 526. Quomodo nuncupatur. Cuinam aſſimilatur. Quænam pars eſt corporis, & in quo loco ſita. p. 508. Quotuplici conſtituitur membrana. Quot habet orificia. Quare ejus vulnera ſemper lethalia dicuntur. p. 509. Ejus uſus. A quo nutritur. Partes cum quibus connexionem habet. p. 510. & ſeqq.

Verbena quare dicitur herba ſacra. Quomodo abuſivè vocatur. p. 225. Verbenaca etiam dicitur, eique variæ tribuuntur virtutes, & quales. Locum habebat inter magicos uſus. p. 226.

Vermes non ſolùm in inteſtinis, ſed & in omnibus corporis partibus generantur teſte experientia. p. 422. & 566. Extra corpus per urinam producuntur. p. 556. Reperiuntur in aceto tam vivi quàm mortui; reperiuntur & in ſemine humano. p. 565. In eorum curatione amaris dulcia longè præferenda dicuntur, & quare. p. 600.

Verrucæ ſunt diverſæ. Quomodo vocantur penſiles & quare. A quo generantur. Quomodo poſſunt extirpari. Ad eas decidendas paratur lotium. p. 426.

Vertigo, in Vertigine purgatio requiritur & quare. Quomodo verò purgandum eſt. p. 532.

Veſalius accuſatur crudelitate in diſſecandos homines, tamen excuſatur, à Thuano ejus hiſtoriam referente. p. 260.

Veſicatoria, eorum utilitates in diverſis affectibus. Quodnam genus eſt remedii. Valdè commendatur. p. 615.

Veſtis Cænatoria, à quibuſdam Cubitoria dicitur. Differt tamen ab ea, quare & quomodo. p. 339. Undè ſic dicta eſt. Quid eſt veſtis Cubitoria. p. 340. Quare Cœnatoriæ veſtes dicebantur Triclinariæ. Semper ferè erant albæ. p. 341. De veſte Palmata. De veſte Læna à Syntheſi diverſa. Quid de Syntheſi ſenſerunt plerique. p. 342. & 343. De veſte Endromide. ibid. De veſte hyacinthina. De purpurea quæ Dibapha dicebatur. ibid. & p. 344. Diverſæ erant illæ veſtes Cœnatoriæ pro diverſitate tempeſtatum, & quarum præcipuè Fœminarum potiùs quàm virorum erant. p. 346. & 347. Undè ſua deſumebant Nomina. p. 348. & ſeqq.

Vincula apud veteres diversè pro diverſo illorum uſu nominabantur. p. 216.

Vinum Myrrhatum, quid de eo dixerunt Autores plurimi. p. 93. Ejus proprietates ac virtutes. p. 94. Laudatiſſimum erat apud veteres. p. 97. Vina ſic condi-

condita & aromatiſata in uſu fuerunt apud Hebræos. ibid. & ſeqq. Quale fuit vinum illud quod datum fuit J. C. in ejus paſſione, & quem ob finem fuit datum, quare verò ex eo noluit bibere. ibid. Vinum ut Rex Coronare fas eſt, p. 109. Vinum honorarium quid eſt. p 119. & 127. Vina quomodo recondebantur. p. 123. Mulieribus vinum vetitum erat. p. 125. & 262. Vinum Mellitum quid eſt. p. 126. & 316. Vinum Antidotum eſt contra vitæ ac menſæ venenum. p. 128. Vina Caſtrare quid eſt. ibid. Quomodo condiebantur. p. 129. Quid eſt Vinum fumo inveteratum. ibid. Quâ pœnâ afficiebantur Mulieres, ſi Vinum bibiſſent, & quomodo bibiſſe exprobarentur. Quid potabant Fœminæ. p. 262. Vinum Peponibus amicum eſt. p. 296. Sub nomine Vini quid intelligitur. Quid prædominat in illo. Ejus laus, & vires. p. 359. & 558. Ejus proprietates ſive modicè ſive immodicè ſumatur. p. 360. & ſeqq. Ob quem finem Deus creavit illud. ibid. Quis primus Vinum temperavit aqua. Varietas hujus mixtionis. p. 363. Vinum in febribus permittitur cum quadam cautela. p. 558.

Vinum nardinum. vid. Nardus.

Viola, quare à Coronarum textura eam rejiciunt aliqui, alii verò eam inter eas enumerant. p. 71. Quid de ea narrat *Plutarch.* ibid. & p. 75.

Viſio, ejus medium, objectum & inſtrumentum circa quæ diverſæ ſunt opiniones. p. 365. & 366. Alia ratio ex Definitione luminis deſumpta. ibid. & p. 367. De neceſſitate medii in viſione. p. 368. Quomodo producitur Viſio. p. 369. & ſeqq. De Viſione Amantium. p. 372. & ſeqq.

Unctio Mortuorum. vid. Balſamatio.

Unguenta in uſu fuerunt apud veteres in eorum Conviviis. p. 50. Et quare afferebantur in ſecunda Menſa. p. 60. Quinam ea in uſum traxerunt, & quam ob cauſam. Non omnia apta erant, & quibuſnam uti conveniebat. De Stillaticis Unguentis. Antiqui quare privata pro quacumque parte corporis habebant Unguenta vinoque ea miſcebant. p. 89. Unguenta Myrrhata quare ſic vocata. In conviviis in uſu erant apud Hæbreos Genteſque omnes. p. 98. & 99. Eorum moderatus uſus laudabilis eſt, nimius verò damnatur. ibid.

Unguentarii Libitinariorum ſervi, quomodò vocabantur ab aliquibus, & unde ſic nominabantur. Sub nomine Medici habebantur. p. 15.

Unguentum Sympatheticum quare ſic dicitur. Deſcriptio illius. Ejus proprietas. De ejus operatione variè varii dicunt. p. 620.

Vox quomodo & quare mutatur in coitu. p. 262.

Utenſilia quid ſub hoc nomine venit, p. 136.

Uteri procidentia quomodo curata. Sunt qui negant poſſe fieri hanc procidentiam. Utero ſecto, poteſt-ne vivere Fœmina. Quid in tali amputatione vitandum eſt ac requiritur. p. 407. & 408.

Vulvâ quamvis clausâ, mulier tandem concipit. Quomodo id fit. Quomodo curantur tales Mulieres. Præter operationem ſanari poſſunt aliis remediis. Quænam diligentia adhibenda eſt in tali operatione. p. 419.

X.

Xenia. vid. *Strenæ*

F I N I S.